UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologiæ Speculativæ Scholasticis Prælectionibus Et Exercitiis Accommodatæ Libri IV

Haunold, Christoph

Ingolstadii, 1678

Liber IV. De Incarnatione, Et Sacramentis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-82733

Visual Library

[MRA] [IHS] [IPH]

CONTROVERSIARVM THEOLOGICARVM

LIBER IV.

DE INCARNATIONE ET SACRAMENTIS.

TRACTATUS I.

DE INCARNATIONE.

CAPVT I.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Peccatum sit infinitæ malitiæ.

1. PRoterat hæc quæstio tractari in secundo libro cùm ageretur de Peccatis. sed vsu jam recepto translata est in hunc locum, occasione doctrinæ satis communis, asserentis, ex infinitate malitiæ peccati, & non aliter, posse Necessitatem Incarnationis seu satisfactionis infiniti valoris pro peccato generis humani probari. Præliminaris ergo seu præjudicialis quæstio est, An peccatum sit, aut possit esse infinitæ Malitiæ: quod si negabitur, prout negabitur, videndum deinde erit, an ex alio capite fuerit ad finem redemptionis nostræ Necessaria Incarnatio: quod idem est ac quærere, an Creatura pura posset satisfacere pro peccato, cùm ejus Malitia sit tantùm Finita. Pro resolutione prioris quæstionis

2. Supponendum est 1. Christi opera habuisse ex duplici capite condignitatem ad delendum peccatum generis humani, videlicet in genere Satisfactionis, & in genere Meriti. Discrimen vtriusque declarabitur in progressu. Hoc inquam nunc supponimus, infrà probandum; Si enim Christi satisfactio non fuisset condigna &

sufficiens, inepta esset præsens quæstio, vtrum fuerit Necessaria.

Supponendum 2. In peccato posse considerari tres Formalitates diversas, ab invicem separabiles, &, licet non perfectè & reciprocè, ab invicem præscindibiles. Prima est, quòd sit contra legem vel præcipientem, vel prohibentem. Secunda, quòd sit Voluntaria aversio ab vltimo Fine, & ab æterna felicitate. Tertia, quòd sit offensa & contemptus quidam divinæ Majestatis, Excellentiæ & amicitiæ ejusdem. Hæ porrò formalitates in peccato repertæ, pariunt diversos effectus morales. Nam peccatum vt habet primam formalitatem, infert Reatum Pœnæ & supplicij subeundi: & hæc formalitas reperitur etiam in peccato Veniali. Prout peccatum habet secundam formalitatem, infert privationem vltimi Finis, non quidem per modum supplicij, sed præcisè quatenus non erat positum Medium Necessarium ad vltimum finem consequendum: quo modo averteretur aliquis ab vltimo fine, si apprehenderet aliquam actionem esse necessariam ad vltimum finem, eam tamen voluntariè omitteret, eò quòd arbitraretur, vltimum finem esse sibi aliunde impossibilem, ex defectu vel impossibilitate alterius cujusdam Medij etiam necessarij. Denique tertia formalitas infert in Persona offensa Jus ad rationabilem aversionem ab offendente, & Jus tractandi eum vt inimicum, in offendente verò infert obligationem satisfaciendi & placandi offensum, seu tollendi Jus rationabilis aversionis. De hac tertia formalitate dubitatur, an reperiatur propriè in peccato Veniali, & videtur negandum cum S. Thoma, quem sequitur Suarez *d. 4. s. 11. §. dico tamen primo.* & alij Recentiores. Quia peccatum Veniale non est contemptus divinæ amicitiæ, quam non dissolvit, ac proinde non præbet Deo titulum aversionis; nec parit obligationem satisfaciendi pro offensa: imò non est materia satisfactionis propriè dictæ pro culpa, sed solùm pro pœna, cujus reatum contraxit per primam formalitatem, quatenus est transgressio legis. Præbet quidem peccatum Veniale Deo titulum negandi aliquos favores majores quos exhibuisset non peccanti: sed hæc non est aversio propriè dicta, nec tollitur per satisfactionem, sed per actus meritorios, quibus homo illos favores iterum promeretur.

3. Supponendum 3. cum P. VVadingo *d. 1. dub. 3. n. 34.* Peccatum mortale ex duplici capite promereri pœnam, nempe, & quatenus est transgressio Legis, & quatenus est offensa Dei. Quatenus est offensa Dei meretur pœnam æternam, & eatenus infinitâ, quatenus æternitas à parte pòst est aliquo modo infinita. Quatenus autem præcisè est transgressio Legis, meretur insuper aliquam pœnâ, non quidem æternam, sed temporalem; & hanc etiam in inferno cessare docet idem Auctor, de quo nos diximus in secundo libro. Ratio prioris est, quia ex transgressione Legis oritur in Legislatore, exercente Justitiam Vindicativam, jus puniendi transgressorem pœnâ commensuratâ & proportionatâ transgressioni Legis. Hujus autem transgressionis malitia commensuratur cum Bono illo, quod Legislator per observantiam legis intendebat: hoc verò bonum non est bonum infinitum, vt patet: ergo nec malitia transgressionis est infinita, ne quidem secundùm quid, in eo sensu, quo contemptus divinæ amicitiæ est malitia infinita secundùm quid, vt dicemus: ergo non meretur pœnam æternam, quæ est infinita secundum quid. Ratio posterioris, nempe, quòd mereatur pœnam temporalem, est hæc: quia de fide est, quòd remissâ pœnâ æternâ, adhuc remanent, per se loquendo, reatus pœnæ temporalis: hujus autem rei nulla commodior ratio reddi potest, quam dicendo cum quodam Recentiore Hispano, quòd peccatum, vt est transgressio legis, & vt respicitur à Justitia vindicativa, mereatur pœnam temporalem, quæ remaneat, sublatâ pœnâ æternâ, debitâ proptèr contemptum divinæ Majestatis, & amicitiæ ejusdem: quare rectè dicitur, non ex mero Dei arbitrio, sed ex natura rei remanere hujusmodi pœnam temporalem.

Præsens itaque controversia procedit de formalitate offensæ divinæ, de qua quæritur, an sit simpliciter infinitæ malitiæ. Affirmant Cont. Capreol. Didacus Alvarez, Hurt. Mendoza, Coninck, Martinonius, VVadingus, Bernald. Communiùs tamen RR. negant.

4. DICO, Malitiam peccati non esse simpliciter infinitam, sed solùm secundùm quid. Esse infinitam secundùm quid, colligitur ex infinitate personæ offensæ. Quòd autem non sit infinita simpliciter & absolutè, loquendo de peccato Veniali, consentiunt adversarij; quòd peccatum mortale est dissensio. Probatur autem Conclusio primò & sufficienter, ostendendo principuum adversariorum argumentum esse ex numero eorum, quæ nimium probant, & ideo nihil probant. Argumentum eorum desumitur ex pœna quam meretur peccatum mortale; nisi enim, inquiunt, esset infinitæ malitiæ, non meretur pœnam æternam: atqui meretur pœnam æternam: ergo est infinitæ malitiæ. Argumentum hoc infrà solvemus, assignando aliam rationem hujus meriti. Nunc ostendendum est, plus probare quàm admitti possit ab adversarijs: probaret, inquam, quòd etiam actus meritorius præcedens ab homine justo, esset infinitæ bonitatis, quia meretur præmium æternum, nempe vitam æternam, vt definitum est in Tridentino Conc. sequelam autem omnes negant: ergo etiam in adversariorum argumento negari potest.

P. Hurtadus Mendoza §. 29. duas responsiones adhibet huic retorsioni. Primò, ait, responderi posse, nostra bona opera solùm mereri conservari substantiam visionis beatæ, ipsam autem æternitatem illius non mereri. Rationem assignat, quia non aliter meremur Gloriam, nisi in quantum meremur gratiam habitualem: atqui æternitatem Gratiæ habitualis non meremur, quia hujus æternitas

nitas pendet à perseverantia & auxilio gratiæ finalis, quam nemo condignè meretur: ergo nec æternitatem gloriæ meremur condignè. Confirmat deinde hocipsum. æternitas Visionis non debetur, nisi in quantùm debetur æternitas Gratiæ: quia Visio est effectus Gratiæ: sed æternitas Gratiæ non debetur: ergo nec æternitas Visionis.

5. Hæc tamen responsio est imprimis contra torrentem Doctorum, vt fatetur auctor, vnde nec ipse acquiescit. Deinde impugnatur ratione. Si enim non meremur æternitatem visionis ex hoc capite, quia perseverantiam finalem in gratia non meremur, à qua pendet æternitas Visionis, sequitur, nos non mereri substantiam Visionis de condigno, quod est contra ipsum adversarium. Sequela probatur. Nam visio beata ne quidem ad vnicum instans datur nisi dependenter à perseverantia finali: ergo si hoc obstat, quominùs mereamur æternitatem Visionis, etiam obstabit, quominùs mereamur substantiam Visionis.

6. Ad argumentum verò Hurtadi facilis est responsio: sicut sub conditione meremur æternitatem visionis, ita etiam sub conditione mereamur æternitatem Gratiæ, nempe, si in Gratia decesserimus: ergo purificatâ conditione meremur tam æternitatem Gratiæ quàm Gloriæ. Imò hoc & non alio modo meremur pœnam æternam, nempe si in peccato decesserimus: ergo si purificatâ hac conditione meritum pœnæ æternæ est meritum malitiæ simpliciter infinitæ, etiam meritum Gratiæ & Gloriæ erit bonitatis infinitæ: hoc autem etiam adversarius negat: ergo pari jure negatur, peccatum esse malitiæ infinitæ.

7. Impugnatur responsio secundò. Concilium Trident. docet, nos nostris operibus in Gratia mereri vitam æternam: ergo non tantùm meremur substantiam Visionis, sed ipsam quoque æternitatem.

Ad hoc respondet Hurtadus, nos mereri quidem æternitatem, sed solùm materialiter seu consecutivè, quatenus ex natura rei consequitur lumen gloriæ, quod connaturaliter petit durare æternùm. Sensum proinde Concilij vult esse, nos mereri visionem, quæ connaturaliter est æterna.

8. Sed contra 1. Qui meretur essentiam rei, meretur etiam passiones & proprietates essentiæ: atqui æternitas est proprietas Visionis: ergo si meremur essentiam Visionis, meremur etiam æternitatem illius. Respondet Hurradus n. 33. distinguendo majorem, quando passio addit multò majus beneficium, quàm sola essentia, & est divinitùs separabilis ab essentia, negat majorem, quando verò non addit, & essentia sine passione est parvi momenti, concedit. Jam verò Visio etiam sine æternitate est res magni momenti: æternitas insuper addit magnum beneficium: ergo merendo visionem non hoc ipso meremur illius æternitatem.

Sed contra: Visio momentanea non esset præmium sufficiens ad alliciendos SS. Martyres, vt tormenta sustinerent: alliciebantur ab æternitate præmij: omne autem illud pertinet ad constitutionem præmij, quod est necessarium, vt sufficienter alliciatur animus ad actus meritorios eliciendos, quorum obtinendorum gratiâ præmium est constitutum.

9. Secunda responsio P. Hurtadi ad nostram retorsionem est, negando quòd æternitas sit passio & proprietas Visionis, vultque, hanc solâ Dei misericordiâ concedi. Verùm hæc responsio negat, quod omnes alij concedunt, & non satisfacit auctoritati Tridentini, & vlteriùs sic impugnatur. Sicut per peccatum mortale non tantùm meremur substantiam inferni, sed etiam æternitatem illius, tametsi æternitas non sit proprietas pœnæ inferni, ita Theologi, quando asserunt, quòd mereamur æternitatem visionis, non se fundant in eo, quòd æternitas sit proprietas Visionis, sed quia vita æterna proponitur nobis per fidem vt præmium: ergo sive sit, sive non sit proprietas, dicendum est, habere rationem præmij.

10. Probatur nunc Conclusio 2. Si peccatum contineret malitiam infinitam, hæc sanè malitia non esset Infinita in quantitate aut numero, aut intensione: esset ergo infinitum in perfectione vel quasi perfectione, hoc est, in aliquo genere summum excogitabile: hoc autem est falsum: ergo non est malitia infinita. Sequelam concedunt adversarij. Minor probatur. Illud est infinitum in aliquo genere, quo non potest in eo genere excogitari perfectius seu majus: quod principium omnes recipiunt, excepto Arriagâ: sed hoc non verificatur in malitia peccati: ergo &c. Declaratur illud principium. Infinitum in quantitate, numero, intensione, differt ab infinito in perfectione per hoc, quòd infinitum in intensione, quantitate & numero, constituatur per negationem termini intrinseci, hoc est: ad hæc infinita (si dari possent) sufficeret non habere terminum intrinsecum, hoc est, vltimum instans aut punctum terminativum, aut vltimum gradum, aut vltimam vnitatem: hoc inquam sufficeret, etiamsi haberet terminum extrinsecum, hoc est, etiamsi illi posset superaddi aliqua vnitas, gradus, palmus &c. At verò Infinitum in perfectione non constituitur per negationem termini intrinseci: Deus enim est infinitæ perfectionis, & tamen habet terminum intrinsecum, cùm sit vnicus: constituitur ergo per radicalem negationem termini extrinseci, hoc est, exigit nullam esse excogitabilem perfectionem, cum qua non identificetur. Hoc posito probatur minor propositio. Vnum peccatum mortale est altero gravius: ergo habet terminum extrinsecum: & quia repugnat peccatum, quod sit omnium possibilium gravissimum, ideo quodlibet possibile peccatum habet terminum extrinsecum: ergo nullum est simpliciter infinitum.

11. Argumentum hoc, quod est ex mente S. Thomæ, non placet Arriagæ, qui sic argumen-

tatur. Ponamus implicare omnem creaturam, immò omne Ens, etiam ipsum Deum, excepto homine: in tali casu homo (formaliter loquendo) non magis erit infinitus quàm modò sit: per hoc enim quòd cætera sint vel non sint possibilia, nihil accrescit (formaliter loquendo) nec decrescit homini: atqui in illa hypothesi careret homo termino extrinseco: neque enim esset excogitabilis aliqua perfectio possibilis, quæ non esset in homine: ergo si nostrum principium verum esset, esset infinitus, quod tamen est falsum, & contra hypothesin.

12. Ad hoc argumentum patet responsio ex dictis. Non enim dicimus, infinitum constitui per negationem formalem termini extrinseci, sed per negationem radicalem, hoc est, per talem entitatem, quæ exigat identificari cum omni perfectione excogitabili in certo aliquo genere. Jam verò Homo secundùm rationem suam specificam hanc exigentiam non habet, quia non exigit habere identificatas omnes perfectiones possibiles, neque hanc exigentiam haberet (formaliter acceptus) in casu illius hypothesis, quia formaliter loquendo talis & non alius esset, quàm est modò: ergo non esset magis infinitus quàm est modò. Econtra Deus secundùm rationem suam specificam exigit identificari cum omni perfectione simpliciter simplici in specie, seclusâ omni imperfectione, & ideo est infinitè perfectus, nec habet terminum extrinsecum. Pari igitur ratione, vt peccatum mortale, v. g. Homicidij, esset infinitæ malitiæ, deberet intrinsecè exigere continere malitiam Infidelitatis, odij Dei &c. atqui hanc exigentiam non habet: ergo non continet malitiam simpliciter infinitam.

13. Ad argumentum nostrum aliter respondere conatur P. Conink, peccata esse quidem inæqualis malitiæ, si considerentur præcisè prout habent oppositionem cum dictamine rationis, seu sub conceptu peccati philosophici, non item si considerentur in ratione offensæ Dei: vt sic enim ait, omnia esse æqualia, nec vnum gravius alio. quia quatenus peccatum est mortalis offensa Dei, æqualiter avertit à Deo.

Sed contra primò. Quia loquendo de aversione positiva & formali ac intrinseca ipsi peccato, & non tantùm de aversione consistente in privatione Gratiæ sanctificantis, sic inquam certum est, peccata inæqualiter avertere à Deo; Ratio est: quia quò difficilior redditur regressus ad Deum, eò est facta major aversio: atqui aliqua peccata reddunt difficiliorem regressum ad Deum quàm alia: ergo alia alijs magis avertunt à Deo. Major est clara. Minor probatur. Odium Dei reddit vtique difficiliorem regressum ad Deum per illius amorem, quàm furtum: item peccatum Infidelitatis reddit difficiliorem regressum ad Deum, quàm cætera peccata, quæ cum fide consistunt, quia Infidelitas tollit fidem, sine qua est impossibile reverti ad Deum.

14. Contra 2. Quia, vt argumentatur Card. Pallavicinus, ille magis avertitur à Deo, & magis offendit Deum, qui majorem ejus indignationem voluntariè incurrit: Sed ex duobus inæqualiter *philosophicè* peccantibus ille qui gravius peccat, voluntariè incurrit graviorem indignationem Dei: ergo magis avertitur, magisque Deum offendit. Minor probatur. Quia quando malitia philosophica peccati est in vno gravior, tunc à Deo magis prohibetur, & Deus propter illud magis irascitur & indignatur: ergo est difficiliùs reconciliabilis: ergo peccator est hoc ipso magis aversus.

15. Probatur nunc Conclusio 3. Si peccatum mortale contineret malitiam simpliciter infinitam, hoc ideo esset, quia dignitas Personæ offensæ, auget gravitatem ipsius offensæ, & per consequens dignitas infinita auget gravitatem offensæ in infinitum: atqui hæc ratio non probat intentum: ergo &c. Minor probatur, & simul redditur ratio à priori nostræ Conclusionis. Dignitas Personæ offensæ non auget gravitatem offensæ secundùm ipsam substantiam suæ dignitatis præcisè & immediatè, sed eatenus, quatenus existit intentionaliter in mente ipsius offendentis, seu in quantùm apparet offendenti: atqui cognitio quâ peccator cognoscit Deum esse bonum infinitum, est valdè imperfecta, & limitata, ac ænigmatica, repræsentans videlicet bonum infinitum instar boni finiti: & est modò perfectior, modò imperfectior: & ratione suæ limitationis habet quòd possit consistere cum peccato: si enim esset visio intuitiva Dei, redderet hominem impeccabilem: ergo dignitas offensi licet infinita, & aliquo modo etiam cognita vt infinita, non auget malitiam peccati, vt fiat simpliciter infinita.

Probatur Conclusio 4. Ex eod. Card. Pallav. Nullum malum, inquit, potest esse infinitum: ergo nec peccatum. Antecedens probatur. Vel enim est necessarium, vel contingens. Non necessarium: quia omne necessarium est bonum. nec contingens: quia Deus illud cognoscens, adeoque liberè abstineret ab eo impediendo: sed impossibile est, vt voluntas non efficaciter odiat ac repudiet malum infinitum cognitum vt tale, sicut impossibile est, vt non amet & velit bonum infinitum cognitum vt tale, tantam enim habet vim bonum ad excitandum amorem, quantam habet malum ad excitandum odium: ergo malum infinitum contingens est impossibile.

16. Probatur Conclusio iterum à priori. Malitia peccati tanta & non major est, quam ea bonitas debita, quæ per peccatum formaliter excluditur: sed hæc bonitas debita non est bonitas infinita, sed est simpliciter finita, ergo etiam malitia peccati non est simpliciter infinita sed finita. Major videtur innegabilis. Declaratur tamen ampliùs. In tantùm aliqua forma est mala subjecto, in quantùm privat subjectum aliquo bono debito, & illius bonitatem non compensat: ergo gradus malitiæ mensuratur per ordinem ad gradum

dam bonitatis formæ quâ privat, & quæ sit debita: si enim debita non est, non dicitur subjectum malè affectum, aut malè se habere per carentiam illius formæ.

17. Confirmatur. Nam Bonum & Malum habent se ad invicem in moralibus, sicut rectum & obliquum in physicis aut Mathematicis: sicut ergo linea obliqua eò magis est obliqua, quò magis recedit à rectitudine: ita in moralibus eò aliquid est magis malum, quò plùs recedit à bonitate hic & nunc debitâ.

18. Minor verò Argumenti facti est etiam apud adversarios in confesso. Nam forma debita denominans hominem moraliter bonum & rectum, non est alia, quàm ille actus qui excluditur per peccatum: sed bonitas illius actûs est bonitas tantùm finita: ergo bonum exclusum per malitiam peccati, est bonum finitum.

DICES. Potest actus peccaminosus habere sex gradus intensionis, & tamen actus debitus non deberet habere sex gradus intensionis; sufficienter enim excluderetur actus malus per vnicum gradum actûs boni: ergo potest in actu malo esse major malitia, quàm sit bonitas in actu oppositò debito. R. Distinguendo consequens: potest esse major materialiter & intensivè, vel etiam extensivè, & quoad numerum actuum, concedo: formaliter seu secundùm formalitatem malitiæ, quæ in singulis gradibus imbibitur, & de qua est præsens quæstio, Nego consequentiam. Vnde si esset possibilis actus infinitè intensus, esset vtique infinitæ malitiæ materialiter, sed non formaliter, hoc est, non secundùm illam formalitatem quàm adversarij volunt esse simpliciter infinitam in omni peccato mortali, & in omni gradu illius. Confirmabuntur dicta ex solutione objectionum.

Solvuntur Argumenta contraria.

19. OBjicitur primò famosum Argumentum calculatorium. Quò Major est dignitas offensi, eò major est gravitas offensæ: ergo si dignitas offensi est simpliciter infinita, etiam offensa erit simpliciter infinita in ratione offensæ: atqui persona offensa est simpliciter infinita: ergo etiam offensa est infinita.

Priusquam respondeamus directè, retorquetur Argumentum, ostendendo quòd nimium probet. Imprimis probaret, quòd etiam Amor Dei esset infinitè bonus. Quò enim præstantior est persona amata, eò præstantior est Amor: sed Persona divina est infinitè præstans: ergo amor illius est infinitè præstans: quod omnes negant.

Secundò probaret argumentum, quòd malitia peccati tanta sit, quantus est valor satisfactionis & Meritorum Christi, adeoque Christus non satisfeciisset superabundanter, nec vnus actus Christi fuisset sufficiens pro omnibus peccatis. Probatur autem ex fundamento adversariorum. Satisfactio Christi vtique non fuit major in suo genere, quàm fuerit dignitas Christi satisfacientis, & Dei offensi: si ergo malitia peccati assurgit ad infinitam malitiam æqualem dignitati offensi & Christi satisfacientis, erit per consequens æqualis satisfactioni Christi: ergo hæc non superabundat.

20. Retorsionem hanc censuit ex adversarijs P. Bernal. *d. 4. s. 6. à. n. 125.* aliter solvi non posse, quàm asserendo, omnes & singulos actus meritorios Christi fuisse infinitè intensos. Verùm hanc intensionem esse Chymæricam suppono ex Philosophia, & omitto alia, quæ huic responsioni opponi possent.

Tertiò retorqueri potest argumentum ad hominem contra adversarios, quorum plerique volunt, peccatum Veniale esse etiam offensam divinam propriè dictam, & tamen negant habere malitiam infinitâm: certè hîc non minùs procedit calculatio, quàm in peccato mortali, vt per se manifestum est.

21. Ad Argumentum respondetur directè, distinguendo antecedens. Gravitas offensæ crescit crescente dignitate offensi, augmento & proportione Arithmeticâ seu rationali, negatur, Geometricâ & Irrationali, conceditur antecedens, & negatur consequentia. Proportio rationalis vocatur illa, quæ observatur inter extrema, quorum vnum ita potest crescere, vt adæquet alterum: v.g. quò sunt plures homines, eò sunt duplò plures oculi, & oculi centum hominum possunt adæquari à numero Ducentorum hominum. Proportio Irrationalis est, quæ observatur inter extrema, quorum vnum non potest vnquam ita crescere, vt adæquet alterum, prout contingit in cognitione & objecto: si enim objectum est perfectius cognitione, eò quòd objectum sit substantia, cognitio verò accidens, nunquam potest cognitionis accidentalis perfectio crescendo adæquare perfectionem objecti, & tamen etiam hîc procedit illa calculatoria propositio: quò est perfectius objectum, eò est perfectior cognitio. Jam verò ad hoc genus extremorum pertinent extrema, de quibus disputamus. Sicut enim amor & honor nunquam potest assurgere ad eum gradum bonitatis, in quo consistit dignitas divina amata & honorata, ita nec offensa seu contemptus: nam, vt vidimus, offensa non potest esse in majore gradu malitiæ, quàm in quo gradu bonitatis est amor & honor debitus, qui semper est & manet Finitus.

Replicabis. Offensa dignitatis creatæ in suo genere est in eo gradu malitiæ, in quo gradu est dignitas offensi: ergo idem dicendum erit de offensa dignitatis increatæ. Retorqueo. Honor debitus dignitati creatæ est in eo gradu bonitatis, in quo est dignitas honorati: ergo etiam honor debitus Deo. Si adversarij negent antecedens retorsionis, negabo ego antecedens replicæ: si verò concesso antecedente negent consequentiam, negabitur etiam eorum consequentia, & paritas. Est autem hæc disparitas. Dignitas Personæ creatæ est finita, & ideo taxat sibi certum gradum honoris, quo major possibilis quidem est, sed illi dignitati indebitus, adeoque excedens.

quapropter in hoc sensu potest concedi, quòd honor & honoratio in suo genere adæquent dignitatem personæ creatæ : Deus autem non ita taxat sibi honorem, vt major possibilis illi non debeatur à pura creatura : sed quacunque honoratione positâ si est alia major possibilis, etiam hæc potest Deo esse debita, si eam exigat : quapropter honoris debitum taxatur hîc & nunc mediante cognitione & dictamine practico quod actum honoris præcedit : & per consequens eodem modo taxatur offensa talis honoris exclusiva.

22. Objicitur 2. Illud malum est simpliciter infinitum in ratione demeriti, quod meretur pœnam simpliciter infinitam : sed talem meretur peccatum mortale : ergo &c. Minor probatur, quia pœna æterna æquivalet pœnæ temporali infinitè intensæ : imò tolerabilius & optabilius videtur, sustinere pœnam infinitè intensam tempore finito, quam pœnam acerbissimam per totam æternitatem. Responderi posset primò, Negando minorem. Reverâ enim pœna æterna à parte pòst, non est infinita categorematicè, sed tantùm syncategorematicè, quia nunquam ponitur reipsâ nisi in duratione finita. Porrò pœna simpliciter infinita in intensione est impossibilis, & ideo non potest comparari cum pœna æterna : quomodo autem argumentum retorquendum sit in actu bono, jam suprà contra Hurtadum ostensum est.

23. Verùm, demus pœnam æternam posse vocari pœnam simpliciter infinitam. R. ad argumentum negando Majorem, quemadmodum adversarij negare debent in merito præmij æterni. Quare autem tam præmium quàm pœna debeat esse æterna, etiamsi actus meritorij & demeritorij non sint simpliciter infiniti, non spectat ad hunc locum, sed ad tractatum de actibus humanis. Breviter rationem vtriusque dat Card. Pallav. & etiam post S. Augustinum proponit Comptonus. Hæc enim (inquit Card.) est conditio naturæ rationalis, vt debeat sistere in aliquo termino Boni vel Mali ; & quidem nisi terminus boni posset naturaliter esse firmus & æternus, homo appetitu naturali appeteret aliquid impossibile, dum appetit perpetuam felicitatem. Econtra nisi pœna deberet esse æterna, Deus non esset summè timendus, siquidem omne temporale potest contemni, vtpote non oppositum cum vltimo fine, hoc est æternâ felicitate, quam solam necessariò desideramus.

Quod autem attinet ad pœnam æternam, alia specialis ratio paulò pòst reddetur.

24. Respondetur nunc ad Argumentum 2. Distinguendo Majorem. Quod meretur pœnam infinitam, est etiam infinitum, eo modo quo pœna est infinita, concedo, alio modo quem adversarij contendunt, nego Majorem & distinguo Minorem. Pœna æterna est infinita præcisè quoad durationem à partè pòst, concedo Minorem, est infinita quoad intensionem vel perfectionem, nego Minorem ; & distinguo consequens : ergo etiam peccati malitia est infinita quoad durationem, concedo consequentiam, alio modo, nego consequentiam. Itaque peccatum mortale est ex natura sua irreparabile ipsi peccanti, adeoque quantùm est ex se est æternum, nisi gratis condonetur : negatâ porrò condonatione evadit simpliciter æternum. Vlteriùs homini decedenti in peccato mortali, negatur à Deo omnis condonatio : ergo jam evadit hoc sensu infinitum : & non nisi vt sic constituto peccato debetur æterna pœna : ergo vt sic est summa proportio inter peccatum mortale & pœnam æternam.

25. Hinc quidam Recentior Hispanus existimat expeditè rationem reddi, quare peccatum æternùm puniatur. Cùm enim peccatum donet æternùm, hoc ipso æternùm constituit inimicum Dei : atqui offensus habet Jus tractandi malè inimicum, quamdiu manet inimicus : ergo habet Deus jus æternùm malè tractandi inimicum. Ad promerendam ergo pœnam æternam non requiritur malitia infinita intensivè, seu in perfectione, sed sufficit infinita duratio peccati, propter impossibilitatem condignæ satisfactionis (vt adversarij fatentur esse) præstandæ à creatura pœra, & propter negationem condonationis etiam æternam.

26. DICES. Causa debet esse æquis effectui, ergo si aliquid est causa alicujus effectus infiniti, debet etiam causa esse aliquo modo infinita : atqui peccatum actuale causat aliquem effectum infinitum, nempe voluntatem divinam non condonandi peccatum per totam æternitatem : Ergo debet etiam ipsum peccatum actuale esse aliquo modo infinitum : non est autem infinitum quoad durationem ; ergo quoad perfectionem seu malitiam. Omissâ retorsione in actu bono merente voluntatem Dei præmiandi æternùm, Respondetur directè, Distinguendo antecedens : Causa adæquata debet esse infinita, concedo, inadæquata, nego antecedens. Voluntas Dei nunquam condonandi, habet partim pro causa (impropriè loquendo, hoc est pro determinativo) voluntatem divinam essentialem ejusdem peccatum. Hoc modo cognitio transiens causat sui speciem perpetuam ; homicidium transiens causat irregularitatem perpetuam, & sic de ferè cæteris alijs.

27. Objicitur 3. Quæcunque æquivalent vni tertio, æquivalent inter se. Sed malitia peccati & pœna quoad intensionem infinita, æquivalent vni tertio, nempe pœnæ æternæ : ergo æquivalent inter se : ergo sicut pœna infinita intensa est simpliciter infinita, ita & malitia peccati erit simpliciter infinita. R. Transmissâ propositione Minore, quòd pœna simpliciter infinita æquivaleat pœnæ æternæ, (quod in rigore falsum est, vt jam suprà dictum) distinguo Majorem : Quæ æquivalent vni tertiò eodem genere æquivalentiæ, æquivalent inter se, concedo Majorem, quæ æquivalent diverso genere æquivalentiæ, nego

nego Majorem : cujus rei plura exempla suppetunt. Sic centum Aurei sunt æquales equo, & equus est æqualis Juri in equum quod habet dominus, & tamen centum aurei non sunt æquales Juri domini in equum : hoc est : si ego detinerem equum alienum, non satisfacerem Justitiæ ad æqualitatem, si domino repetenti equum, obtruderem centum aureos, volens retinere equum : cogerem enim illum ad vendendum equum. Itaque Jus seu Dominium Equi, & centum aurei sunt quidem æqualia eidem equo, sed non sunt æqualia inter se ; alioquin satisfieret Justitiæ à fure, si daret centum aureos, retento equo, quia Justitia non obligat nisi ad æqualitatem. Ratio autem est, quia Dominium est æquale equo tanquam facultas disponendi de re, tanquam objecto talis facultatis : Centum Aurei sunt æquales equo in ratione pretij, si equus emendus esset : sicut ergo color in ratione objecti adæquat potentiam Visivam, & Florenus adæquat libram coloris in ratione pretij, nec tamen Florenus adæquat potentiam Visivam in ratione objecti sicut adæquat color, ita nec centum floreni adæquant Jus Domini, volentis equum suum adhuc existentem habere potiùs, quàm ejus pretium.

28. Pari modo pœna infinita in intensione, æquivalet (vt nunc permitto) pœnæ æternæ quoad numerum, comparando v. g. numerum dierum cum numero graduum, peccatum verò non adæquat pœnam æternam hoc genere æquivalentiæ, sed in ratione causæ demeritoriæ, seu in ratione formæ constituentis inimicum. quo sensu non adæquat pœnam simpliciter infinitam, quia in tantùm meretur pœnam æternam, in quantùm ipsum peccatum durat æternùm : quapropter si infligeretur pœna simpliciter infinita, & peccatum adhuc permaneret transactâ jam pœnâ infinitè intensâ, adhuc maneret jus ad pœnam æternam, & sic pœna esset major quàm sit malitia peccati, quæ non meretur pro tempore determinato pœnam simpliciter infinitam.

29. DICES. Esto pœna inferni, non sit pœna simpliciter infinita, revera tamen peccatum mortale meretur pœnam simpliciter infinitam : alioquin malè dicerent Patres & Theologi, Deum punire peccata citra seu infra condignum. R. Cùm pœna simpliciter infinita sit impossibilis, repugnat, quòd peccatum illam mereatur. Deinde falsum est, quòd peccatum defacto non puniatur ad æqualitatem, ita vt illud quod deest, sit pœna simpliciter Infinita, neque hæc est mens PP. aut Theologorum, sed dicere volunt, quòd de Misericordia Dei meritò cogitandum sit, eam aliquantò minùs punire, quàm condignè posset. Cæterùm Scriptura S. non semel indicat æqualitatem pœnæ. Deuteron. 25. v. 7. *juxta mensuram delicti erit & plagarum modus* Apoc. 18. v. 7. *Quantum glorificavit se & in delicijs fuit, tantum date illi Tormentum & luctum.* P. Martinus Esparza aliter intelligit illud effatum, sicut & illud, quòd Deus præmiet vltra condignum : & dicit, non posse aliter verificari vniversaliter, nisi in hoc sensu, quòd plus mali sit in peccato, quàm in pœna peccati, quæcunque tandem pœna infligeretur, cùm sint diversi ordinis : & econverso plus boni sit in præmio, quàm in Merito, quia sunt diversi generis, & peccatum constituit supremum genus mali, adeoque non potest ab vllo alio malo in ratione mali adæquari ; & econverso Visio Beata constituit supremum genus Boni creati accidentalis.

30. Objicitur 4. Gravitas mali pensatur à præstantia Boni quo privat, & consequenter, illud malum quod privat bono simpliciter infinito, est malum simpliciter infinitum : atqui peccatum privat bono simpliciter infinito, nempe Deo, ergo est infinitum malum. R. Distinguendo majorem. Quod privat infinito bono secundùm se & immediatè, concedo : quod privat infinito bono duntaxat quoad possessionem finitam & limitatam, nego ma. & eodem modo distinctâ minore negatur consequentia. Peccatum ergo non aliter privat Deo, quàm quatenus privat visione Beatificâ.

31. Objicitur 5. Illud est malum simpliciter infinitum, quod aufert à Deo bonum simpliciter infinitum : sed hoc facit peccatum mortale, aufert enim à Deo rationem vltimi Finis, & eum transfert in creaturam. R. 1. Hoc modo probari posse, quòd actus honestus esset bonum simpliciter infinitum : nam quod tribuit Deo bonum simpliciter infinitum, est bonum simpliciter infinitum ; sed actus honestus tribuit Deo bonum simpliciter infinitum, nempe rationem vltimi finis, ergo &c. R. 2. Negando Minorem, & ejus probationem. Non enim aufert peccatum à Deo hoc quod est ; esse vltimum finem rerum omnium, sive : esse omnibus creaturis propositum vt vltimum Finem : sed solùm aufert à Deo exercitium vltimi finis respectu hominis peccantis, & pro hoc casu particulari : hoc est, peccatum est actus, quo peccator non ordinat hic & nunc suas actiones in Deum vt vltimum finem : hoc autem exercitium est bonum simpliciter finitum, & Deo extrinsecum, consistens videlicet in actu virtutis, qui per peccatum excluditur : ergo etiam privatio illius est simpliciter finita.

32. DICES. Saltem illud peccatum esset simpliciter infinitè malum, quo quis intenderet destruere Deum, nec enim malitia pensatur ex eventu, sed ex affectu. Responderi posset retorquendo Argumentum in actu volente Deum conservare ab interitu, qui esset infinitè bonus. Directè respondet Card. Pallav. affectum non accipere bonitatem vel malitiam ad mensuram affectûs chymerici. Tunc enim affectus æstimatur perinde ac eventus, seu actus & effectus simul, quando effectus est simpliciter possibilis, ac proinde quando affectus posset in aliquo casu esse effectivus illius effectûs. Proculdubio enim affectus destruendi Deum, non habet tantam malitiam, quantam haberet, si illud possibile esset : nam in hoc casu teneretur Deus illum impedire, cùm ta-

men

men defacto non teneatur. Omissâ hac responsione, quæ difficultate non caret;

Respondeo, Negando antecedens: nam talis affectus limitatur ab imperfectissima cognitione, & præterea ejus malitia non potest esse major, quàm sit bona rectitudo opposita, sc. affectus non destruendi Deum, quæ est finita.

33. Objicitur 6. illud est malum simpliciter infinitum, quod habet infinitam ineligibilitatem, hoc est, quod nunquam licitè eligeretur, etiamsi per impossibile ad bonum infinitum obtinendum serviret & necessarium esset: atqui tale est peccatum: ergo &c. Habet hoc argumentum instantiam in peccato veniali, & facilè Respondetur, Ineligibilitatem peccati non provenire ex Infinitate malitiæ, sed ex oppositione cum voluntate legislativâ Dei, quæ est Regula omnis prudentis electionis. Si enim secundùm se esset malitia infinita, tunc esset majus malum quàm omne bonum possibile, ad quod obtinendum potest permissio peccati deservire, hoc autem est falsum: quia Deus non potest permittere peccatum, nisi ad bonum, vel majus vel saltem æquale obtinendum illius permissione.

34. Objicitur 6. Si homo haberet infinitos gradus Gratiæ, illi omnes expellerentur per vnum peccatum mortale: ergo debet esse infinitè malum, quia habet vim privandi infinito Bono. R. Transeat antecedens, Nego Conseq. Non sufficit ad rationem mali infiniti, esse incompossibile cum bono infinito in intensione, v. g. si daretur in me amor infinitè intensus alicujus puræ creaturæ, cum illo esset incompossibilis actus odij, quantumvis remissus, ejusdem creaturæ, & tamen hic gradus non esset in vllo sensu infinitus. Præterea vt privatio alicujus boni sit in eo gradu malitiæ, in quo gradu bonitatis est bonum quo privat, debet hoc bonum esse debitum, vt jam suprà notatum est.

Ex dictis concludimus, non ideo Incarnationem Verbi fuisse necessariam, & puræ creaturæ satisfactionem pro peccato impossibilem, quòd peccatum sit infinitæ malitiæ, sed aliam Rationem quærendam esse.

CONTROVERSIA II.

An pura Creatura possit condignè satisfacere pro peccato mortali, proprio vel alieno.

§. I.

Præmittuntur aliqua de Merito Primæ Gratiæ, & statuitur vera sententia de satisfactione.

35. ADvertendum est discrimen inter Meritum & Satisfactionem. Satisfactio supponit offensam propriè dictam, quâ quis aliam personam, cui reverentiam & honorem debebat, contempsit & inhonoravit, sive deinde hic contemptus fuerit contra Justitiam Commutativam, sive contra aliam virtutem, v. g. contra Religionem, vel aliam innominatam: vno verbo: supponit talem actum, quo alter rationabiliter ad indignationem, aversionem & inimicitiam, vel saltem ad amicitiæ dissolutionem commoveri potest, dum offendens exhibeat condignam satisfactionem: quâ exhibitâ, cessat per se, absque vlla liberali remissione offensi, Titulus & Jus ad indignationem & aversionem, nec potest ampliùs esse rationabiliter infensus. Quapropter satisfactio requirit æquivalentiam seu æqualitatem inter opus satisfactorium, & inter negationem offensæ: hoc enim debet esse ejusdem æstimabilitatis, cujus erat Non fuisse offensum. Meritum econtra requirit præmium alterius liberalitate conferendum, cui quo debet quidem habere proportionem, in quo opus à tali persona profectum, sit dignum tali præmio, non tamen infert præmianti necessitatem præmiandi, nisi pactum præcesserit: neque etiam requirit æqualitatem valoris, nàm per actum virtutis in gratia factum, meremur augmentum gloriæ, & tamen hoc augmentum est quidem præstantius actu virtutis facto in via. Sic est in politicis, si alicui Aulico propter egregium facinus conferatur Præfectura vel Feudum, cui præmium proportionatum, sed non æquale, imo enim illud facinus emeret tanto pretio, vt ponimus. Potest ergo præmium in valore primùm excedere, & tamen esse proportionatum seu condignum. Hoc discrimine posito prius quam dicamus de possibilitate condignæ satisfactionis pro peccato mortali, placet breviter aliqua dicere (quamvis huc non magnopere pertineat) de possibilitate Meriti primæ Gratiæ, aut remissionis peccati alieni.

Prima Sententia negat, posse putam creaturam in gratia existentem, mereri condignè aliam infusionem Gratiæ. Ita Vasq. Gasp. Hurt. Moratius, Petrus-Hurt. Arriaga. Aldrete.

Secunda affirmat. Ita Suarez, Granado, VVadingus, Ripalda, & alij RR. Card. de Lugo limitat ad creaturam habentem plenitudinem Gratiæ.

Sententiæ neganti possibilitatem, adversus affirmanti implicantiam, incumbit probatio. Probationes afferam, & quid ad illas responderi possit, breviter indicabo.

36. Argumentantur aliqui primò. Qui non potest id quod est minus, neque potest id quod est plus: sed pura creatura non potest condignè satisfacere pro peccato alieno, quod est minus quàm Mereri Gratiam sanctificantem: ergo non potest hanc Mereri. Minor probatur. Nam infusio gratiæ non solùm est extinctio peccati, qualis est satisfactio, sed est insuper Assumptio in Amicum, quod vtique plus est, quàm præcisè definere esse inimicum. R. Distinguendo Majorem: Ille vtriusque debeat esse causa adæquata, concedo Majorem.

Majorem. Secùs Nego. Satisfactionis causſa adæquata esſet pura creatura, & satisfactio esſet forma adæquata expellens peccatum : at verò Gratiæ sanctificantis causſa adæquata non esſet creatura & actus Meritorius, sed insuper liberalis voluntas Dei, volentis præmiare talem actum per infusionem Gratiæ. Deinde etiam negatur Minor quoad secundum membrum, nempe quòd satisfacere condignè sit minus, quàm Mereri de condigno Gratiam. Homo justus meretur de condigno augmentum Gratiæ sanctificantis, & non potest condignè satisfacere pro peccato. Ratio jam est insinuata, quia meritum de condigno non est causſa adæquata & neceſſitans Deum ad infusionem Gratiæ, sicut satisfactio est forma adæquata tollens jus ad indignationem : quare licet plus sit infusio Gratiæ quàm extinctio juris ad indignationem : dignitas tamen ad infusionem Gratiæ, non est plus quàm extinctio ejusdem juris. Si enim Deus nollet infundere Gratiam, adesſet quidem dignitas operis, sed non adesſet fructus illius dignitatis, qui vltimò dependet à liberalitate Dei.

37. Advertendum hîc est aliud discrimen inter Satisfactionem & Meritum ejusque Dignitatem, vnde constabit, esſe facilius, ponere Meritum dignum remissione peccati, quàm ponere condignam satisfactionem. Dignitas Meriti crescit cum respectu ad excellentiam personæ præmiantis, hoc est : quò major est illius personæ excellentia, eò majori præmio dignum est opus, quia majorem excellentiam decet præstantiùs præmiare, quàm minorem excellentiam, vt patet in humanis. Econtra valor satisfactionis decrescit & vilescit ex respectu ad excellentiam majorem personæ offensæ. Quando igitur est eadem persona præmians & offensa, tunc ex eo capite ex quo crescit dignitas meriti, decrescit valor satisfactionis : ergo difficilius est illi personæ satisfacere pro offensa, quàm mereri illius liberalem condonationem : ergo non infertur legitimè impossibilitas meriti condigni ex impossibilitate satisfactionis.

38. Argumentantur alij. 1. Illud non meremur de condigno, quod si Deus retribueret, non ageret vt decet bonum & prudentem remuneratorem, etiamsi operans ita præmiari desideraret, eò quod tale desiderium esſet imprudens : sed ita fieret, si Deus opus hominis justi remuneraretur præcisè per aliquid illi extrinsecum, & non promovens propriam illius felicitatem, sed alienam, prout fieret, si Deus alteri daret gratiam sanctificantem, mihi autem benè operanti nullam : ergo non potest quis alteri mereri gratiam sanctificantem, nisi habeat jam plenitudinem gratiæ, ita vt suam gratiam augere non possit. Probatur minor. Vnusquisque enim ex lege prudentiæ & charitatis tenetur suam potiùs quàm alterius sanctitatem curare & desiderare : atqui opus bonum justi meretur de condigno augmentum Gratiæ in ipso operante, & hoc est illi melius, quàm si detur alteri : ergo si desideraret eam alteri potiùs quàm sibi, imprudenter desideraret, & si Deus hoc desiderium exaudiret, non præmiaret condignè. Hoc argumento vtitur Card. de Lugo.

39. Respondet quidam Recentior Hispanus, negando suppositum. Nihil enim, inquit, prorsus minueret de augmento suæ Gratiæ justus, etiam quando alteri applicaret suum meritum. Ratio est, quia si homo justus applicaret actum religionis aut actum jejunij alteri, non ideo minùs mereretur, imò plùs præmij etiam sibi conferendi mereretur, quàm alter justus avarus, qui jejunans jejunium suum sibi retineret, nec vlli alteri applicaret, jacturæ propriæ timidus. Patet, quia justus ille secundus, non applicans jejunium alteri, solùm meretur præmium condignum jejunio, alter verò justus charitativus & liberalis, meretur præmium illius actus charitatis erga Deum & proximum, quo illi propter Deum summè dilectum applicuit suum jejunium : ergo propter applicationem illam non solùm nullam jacturam, imò non leve lucrum facit sanctitatis propriæ justus applicans meritum suum alteri. Siquidem, si jejunium sibi retineret, lucraretur solùm vt jejunans, si autem alteri per veram charitatem applicet suum jejunium, lucratur vt amans Deum, hoc est, duplo vel etiam quadruplo plus quàm jejunans. Hæc ille Recentior.

40. Hæc tamen responsio non est vniversalis pro omni casu. Non enim procedit primò in casu quo Deus alteri meum meritum applicaret, absque vlla mea applicatione aut intentione; quod fieri posse docet hic ipse Recentior, modò ille, cui applicatur, sit mihi ita conjunctus & charus, vt bonum ipsius reputetur bonum meum, & mihi gratum sit illi applicari. Secundò, non procedit in casu, quo ego non ex motivo charitatis divinæ, sed ex motivo aliquo humano, sed tamen honesto, applicarem alteri meum meritum. Tertiò, non procedit in casu, quo per actum charitatis remissum applicarem alteri meritum plurium actuum tum charitatis tum aliarum virtutum, & quidem actuum valde intensorum, & plus meritoriorum, quàm sit actus applicationis.

41. Respondeo ergo magis vniversaliter cum eodé R. Negando minorem, nempe, quòd non sit prudenter desiderabile à me, vt alteri conferatur prima gratia potiùs quàm mihi augmentú Gratiæ. Imò hoc objectum est desiderabile ex præstantissimo motivo charitatis, vt bene idem Recentior advertit : ergo est prudenter desiderabile. Quis enim neget esſe prudenter desiderabile, vt non solùm ego justus sim, sed vt mecum plures alij justi sint, & Deum in æternum ament, qui alioquin non fuissent justificandi, sed æternùm damnandi, etiamsi ego per hanc communicationem minùs sanctus remaneam? Ratio à priori est, quia Charitas erga me non me obligat ad augendam semper & in omni occasione & meliore modo possibili sanctitatem propriam : ergo si vellem remanere

in gradu obtento, & alijs reliquos applicare, planè satisfacerem legi charitatis erga me, & exercerem simul perfectissimam charitatem erga proximum. Hoc mihi adeo certum est, vt id videantur supponere omnes Theologi. Doctrina enim communis est, quòd si quis moraliter certus se esse in gratia Dei, in casu naufragij apprehenderet vnà cum alio, gravi peccatore, vel non baptizato, tabulam, quæ non nisi vni sufficeret ad enatandum, si inquam talis relinqueret tabulam alteri, vt fortassis postea justificaretur, cum morali certitudine suæ submersionis, quòd inquam præstantissimum actum charitatis exerceret. Atqui talis augmentum suæ sanctitatis postponeret saluti proximi: si enim ipse evaderet, adhuc diutiùs viveret, & adhuc posset plurimos gradus sanctitatis mereri: ergo si hujus Augmenti probabilitas potest prudenter & salvâ lege charitatis in gratiam alienæ salutis negligi, non apparet, cur non etiam possit augmentum Gratiæ statim obtinendum. Ratio vlterior est, quia, vt traditur in 1. 2. non est contra prudentiam, eligere id quod mihi minus bonum est, v. g. Matrimonium præ cælibatu, modò in se honestum sit. Ergo multò minùs erit contra prudentiam, eligere id, quod quidem mihi minus bonum est, à parte rei tamen, & ratione totius vniversi est melius. atqui sic melius est salvari & esse sanctos octo vt vnum, quàm vnum salvari & esse sanctum vt octo, septem autem in æternum perire Deúmque blasphemare, esto hoc posterius mihi melius esset: ergo non est contra prudentiam, illud prius desiderare.

42. DICES. Si melius est, octo esse sanctos vt vnum, quàm vnum esse sanctum vt octo, & reliquos omnino non esse sanctos, tunc si ego mererer de condigno septem gradus gratiæ, & Deus illos distribueret inter alios septem, præmiaret meum meritum vltra condignum: ergo non essem hanc distributionem promeritus de condigno, sed tantùm de congruo. Probatur conseq. quia qui dat aliquid melius, quam id quod sum promeritus de condigno, jam dat aliquid vltra condignum: sed ita fieret in casu proposito: ergo &c.

42. Facilè, negando primam consequentiam. ad probationem, distinguo. qui dat aliquid melius, & dando illud melius dat plus, seu facit majores expensas, concedo, secùs nego, & dico, posse dari aliquid Melius seu optabilius, & tamen non dari plus. Exemplum. Si cui occurrerent duo pauperes indigentissimi, & vtrique daret vnum panem quo famem pellere posset, meliùs ageret, quàm si vni eorum vtrumque panem daret, & tamen non daret seu expenderet plus in priore quàm in posteriore casu. Item si duos haberem filios pauperes, & aliquis dives vellet ob mea merita condigna vtrumque hæredem scribere, ita vt ambo possent deinceps commodè vivere, rem vtique mihi optabiliorem faceret, quàm si vnum ex asse hæredem institueret, altero in paupertate relicto, & tamen non præmiaret mea merita vltra condignum, quia non plus expenderet in vno quàm altero casu.

43. Posset denique objici auctoritas S. Thomæ qui 1. 2. q. 114. a. 6. negat, hominem, etiam pto Christo, posse alteri mereri primam gratiam. Respondetur tamen, S. Thomam loqui secundùm præsens decretum & ordinationem Dei, qui statuit, vniuscujusque hominis merita præmiare per gratiam ipsi infundendam, alios verò non nisi præcedentibus dispositionibus requisitis, v. g. baptismo vel pœnitentiâ in re aut voto suscepto, quibus positis infundatur prima Gratia ex merito Christi. Sed de hac digressione hactenus. Loquendo jam de satisfactione

Dicendum est, purum hominem ne quidem de potentia absoluta posse condignè satisfacere pro peccato Mortali alieno, quantumvis sit sanctus. Ita cum S. Thoma omnes ferè Theologi, qui tamen in reddenda ratione non conveniunt. Sola contrariam Sententiam tribui à VVadingo & alijs Aureolo, Scoto, & Thomistis; verùm hi Aa. requirunt acceptationem Dei liberalem, nec loquuntur de satisfactione strictè dicta, sed impropria, quâ exhibetur opus aliquod bonum æquale in bonitate primaria malitiæ peccati pro quo satisfieret: hanc autem æqualitatem posse præstare à pura creatura, docent plures Theologi, alijs negantibus: de quo infrà agetur.

44. Solent pro Conclusione adduci verba quorundam PP. sed aliqui illorum, vt VVadingus ostendit, non videntur locuti esse de quacunque creatura possibili, sed solùm de hominibus, qui defacto omnes concipiuntur in peccato originali, & egent Redemptore. Aliqui tamen dictis clarè eam supposuerunt. S. Ambros. in Epist. ad Hebr. 9. *Tantum*, inquit, *fuit peccatum nostrum, vt salvari non possemus aliquando* (intellige per condignam satisfactionem) *nisi vnigenitus Filius Dei moreretur pro nobis.* S. Leo Ep. 81. *Quæ reconciliatio esse poterat, quâ humano generi propitiaretur Deus, nisi omnium causam mediator Dei hominúmque solus peteret!* S. Augustinus omnium clarissimè eam expressit in Enchiridio c. 108. *Neque per quem*, inquit, *liberaremur vnum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Jesum, nisi esset Deus.*

§. II.

Rationes minùs efficaces expenduntur.

45. PRima probatio fuit Durandi, Majoris & Almaini, & quidem à paritate Gratiarum actionis. Impossibile est, Deo pro beneficijs accepta condignas gratias agere, vt habet Aristoteles 8. Eth. c. vlt. ergo nec satisfacere pro peccato mortali. Hoc argumentum ex pluribus capitibus enervatur. Imprimis nimium probat, nempe quòd nec parentibus posset condignè satisfieri pro gravi offensa, quia, vt idem philosophus docet, nec parentibus possumus pares gratias agere pro beneficio generationis. Deinde deberet Deus

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

dus reddere rationem antecedentis, & ostendere deinde bonitatem consequentiæ, nempe quòd eadem ratio procedat in satisfactione puræ creaturæ, & non procedat in satisfactione Christi. Tertiò, concesso antecedente, negatur conseq. antecedens enim intelligendum est, quòd non possit ex sola virtute Justitiæ satisfieri omni obligationi honorandi Deum & parentes, quia insuper est obligatio ex Religione & Pietate. Ad condignam autem satisfactionem, sufficeret, ex quacunque virtute ea poneretur. Quartò, negatur iterum paritas. Nam vt ex Vasquez advertit Lugo, ipsa gratiarum actio est novum beneficium Dei, vtpote procedens ex gratia præveniente & inclinante ad agendas gratias: ergo per collationem hujus gratiæ efficacis, inducta est nova obligatio gratitudinis: at verò gratia quæ daretur ad satisfaciendum, & ipsa satisfactio, non induceret novam obligationem & titulum satisfaciendi, quia non esset novum delictum, quo solo inducitur obligatio satisfaciendi.

Secunda probatio est P. Vasquez, qui vult, ideo neminem posse pro peccato mortali proprio satisfacere, quia per peccatum mortale incurrit homo debitum carendi omni cogitatione congruâ & salutari: atqui actus per quem quis satisfaceret pro peccato, præsupponit cognitionem congruam: ergo jam præsupponit favorem quo gratis remittitur pars debiti: ergo nunquam pro toto debito, sed tantùm pro parte debiti satisfieri posset.

46. Hæc probatio communiter & meritò non recipitur. 1. quia probaret, quòd nec Christus condignè satisfeciisset pro nostris peccatis; nam nostris peccatis pro pœna debebatur negatio Redemptoris: ergo quòd Christus missus esset Redemptor, jam erat alicujus pœnæ dimissio, quam opera Christi præsupponebant. 2. quia non attingit scopum præsentis quæstionis. Non est enim quæstio de remissione alicujus pœnæ debitæ pro peccato, sed de remissione & extinctione culpæ, quæ tota remanet remissâ aliquâ parte pœnæ: vnde per minimam prolongationem vitæ post commissum peccatum,, jam remittitur aliqua pœna, & tamen remanet culpa tota, de qua quæritur an pro illa possit condignè satisfieri, quatenus scilicet manet adhuc iuteger titulus rationabilis aversionis.

47. Tertia probatio est Card. de Lugo n. 55. [Sicut, inquit, peccatum mortale, licet sit malitiæ finitæ, parit tamen dignitatem pœnæ infinitæ secundùm durationem, eò quòd illa pœna necessaria sit secundùm rectam gubernationem, ad arcendum homines à tanta culpa; sic etiam licet sit offensa finita, postulat tamen condignè non aboleri per satisfactionem finitam: alioquin si scirent homines, Deum condignè placari posse per nostra obsequia, & offensam omnino extingui, faciliùs auderent Deum offendere, & minùs gravitet sentirent de hujusmodi offensa, quàm oporteret, ad eam omnino vitandam. Itaque pensatâ gravitate offensæ, & hominum levitate & impudentiâ, condignè sequitur, nulla hominis obsequia admittenda pro perfecta Dei placatione, sed semper manere Deo jus integrum ad rationabilem aversionem.] Hæc Lugo.

Rejicitur hæc probatio à quodam Recentiore Hispano paucis verbis. [Quis, inquit, non videt, eâdem facilitate defendi posse, impossibilem fuisse Christo satisfactionem pro nostris peccatis æqualem, quia videlicet vilesceret gravitas offensæ divinæ, si homines sibi persuasissent, esse aliquo modo possibilem satisfactionem æqualem.

48. Cæterùm, æquè paucis verbis se defenderet Lugo, dicendo, ex possibilitate satisfactionis præstandæ à Christo, non vilescere peccati gravitatem, ejusque æstimationem ad absterrendum, eò quòd homo non habuisset prudens fundamentum, sperandi aut suspicandi hoc remedium à Deo provisum iri, quale tamen fundamentum habere posset de possibilitate condignæ satisfactionis propriæ, si ea possibilis esset. Sicut apud homines non vilescit gravitas acerbissimi morbi contrahendi, ex eo, quòd possibilis sit aliqua medicina hactenus incognita, quâ posset in momento depelli. Pluribus ergo discutienda est probatio Lugonis. Eam acriter impugnant Arriaga & Card. Pallav.

P. Arriaga primò sic impugnat. Vel sensus est, Impossibilitatem satisfactionis esse necessariam & sufficientem ad hoc, vt omnes homines absterreantur, vel solùm ad hoc, vt possint absterreri. Non primum, quia defacto innumeri non absterrentur ex Gentilibus, qui nihil sciunt de Christi satisfactione. Non secundum, quia etiamsi esset possibilis satisfactio, adhuc essent alia motiva quæ possent absterrere: sicut defacto licet nobis ex meritis Christi sit possibilis satisfactio per Sacramenta, nihilominus multi absterrentur à peccatis ex alio motivo, quàm ex impossibilitate satisfactionis. Quâ ratione hoc argumentum vrgendum sit contra responsiones quæ adhiberi possent, postea commodiùs dicemus.

49. Impugnat Arriaga 2. Si hæc implacabilitas esset primatiò instituta ad homines à peccato absterrendos, deberet omnibus esse sufficienter promulgata: atqui non est promulgata; nam Vasquez, Cajetanus, & alij, arbitrantes posse nos pro culpa condignè satisfacere, suppositâ cogitatione congruâ gratis à Deo collatâ, non agnoscunt hanc implacabilitatem, & plurimi alij nihil de ea vnquam cogitârunt.

Ad hoc argumentum tacitè respondet Lugo, se non negare, etiam alia motiva esse, quæ sufficienter absterreant, nempe pœnam inferni, & alia: quarè satis est, constare hominibus saltem de vno ex his motivis: nihilominus tamen necesse erat, vt ipsa difficultas satisfactionis etiam absterreret in ratione implacabilitatis, secluso quocunque alio motivo.

50. Sed vrgeri potest. Quia vix quisquam mortalium unquam mihi exstitisse videtur, qui ex hac implacabilitate formaliter sumpta, & se-

clusis pœnis, jacturâ præmij, infinitâ Bonitate Dei, intrinsecâ turpitudine peccati, & oppositâ Honestate, fuerit motus ad abstinendum à peccato. Nam imprimis Christiani credunt defacto ex Meritis Christi Deum esse placatum, & per media à Christo instituta esse placabilem: quomodo ergo movebuntur ab Implacabilitate? De Gentilibus Christum ignorantibus, non possum dubitare, quin alijs potiùs motivis, quàm hac Implacabilitate fuerint absterriti. Neque credo aliquem fuisse qui hanc implacabilitatem agnoscens, non agnoverit pœnam infligendam.

51. Impugnat Arriaga & Pallavicinus. 3. Homines satis arcentur à peccato per hoc, quòd licet possibilis esset actus supernaturalis condignè satisfactivus pro peccato, nihilominus tamen scirent, illum actum non posse à se poni, nisi Deus ex sua misericordia elevet ad talem actum, & sic aliquam partem pœnæ remittat: quòd enim ex misericordia Dei possit poni condigna satisfactio, non minuit terrorem magis, quàm quòd possit ex misericordia Dei gratis condonari, vel acceptari satisfactio congrua. Omitto referre, quibus Lugo ad hæc respondere conatur n. 58. & 59. quia in illis vel petitur principium, vel aliqua gratis supponuntur.

52. Impugnat Pallavicinus 4. Ex discursu Lugonis sequitur, infallibilitatem, quam habemus defacto remissionis impetrandæ per opera supernaturalia, esse inconvenientem, quasi eâ posità homines non satis ampliùs arceantur à peccatis, atque adeo præsentem œconomiam ordinis supernaturalis non esse benè institutam ad tuendam Majestatem Dei: quòd enim hæc infallibilitas habeatur vel ex impetratione Christi, vel ex natura ipsorum actuum, ad quos eliciendos Christus impetraverit potentiam, videtur prorsus impertinens.

53. Respondet Card. de Lugo n. 61. aliud esse quod peccatum ex se postulet, vt juxta sui gravitatem vitetur, aliud verò id, quod Deus ex sua misericordia facere potest: quia sicut potest condonare pœnam, quæ alioquin rationabiliter exigitur ad deterrendos peccatores, ita potest condonare culpam, & placari facilè, licet ex hoc ipso faciliores reddantur homines ad peccandum: hoc enim inconveniens superatur à satisfactione Christi, quæ est infiniti valoris: plus quippe valet satisfactio Filij Dei ad placandum, quàm facilitas peccandi inde secutura ad retardandam veniam peccatorum. Breviter. Lugo vult dicere, Deum pluris facere merita Christi cum incommodo frequentioris lapsûs, quàm commodum rarioris lapsûs cum carentia meritorum Christi.

54. Contra hoc sic vrgeo. Non est satis, quòd Lugo ostendat, difficiliorem esse lapsum, si homines sciant, Deum esse implacabilem: item non est satis, quòd ostendat non esse absurdum, defacto faciliùs aliquos labi ob spem facilioris veniæ, quia hoc compensatur præstantiâ meritorum Christi: hæc enim verissima sunt. Sed ostendendum esset, implicabilitatem esse necessariam ad hoc, vt homines, quantùm satis est, hoc est, quantùm recta gubernatio requirit, absterreantur; & tamen defacto hoc tam necessarium remedium, sine vllo inconvenienti, esse ex merito Christi sublatum. Hoc inquam, est incredibile, & meo judicio falsum, quòd ad honoranda Christi merita, sit ablatus terror simpliciter necessarius ad sufficienter absterrendos homines à peccatis, alioquin etiam pœna æterna auferri deberet. Quidquid tamen sit de hoc

55. Impugno Lugonis doctrinam 5. Ratio quam Lugo affert omnimodæ implacabilitatis, non est vniversalis, ex duplici capite. Primò, quia non procedit in Angelis, sed ad summum in solis Hominibus. Fundat enim se in prava inclinatione hominum, inordinata propensione & impudentia ac proclivitate in easres, quæ carni blandiuntur, & quæ tantam vim inferunt, vt difficillimum sit resistere: hæc certè locum non habent in Angelis, qui nullis inordinatis pulsionibus vrgentur, immò ex natura sua non sentiunt vehementem proclivitatem ad malum, sed potiùs ad bonum: vnde alia motiva abunde illis sufficiebant ad absterrendos à peccato, quantùm recta gubernatio requirebat, & tamen etiam Angelis est Deus implacabilis per condignam satisfactionem. Secundò. Lugonis ratio non evincit physicam aut metaphysicam implacabilitatem, sed tantummodo moralem, hoc est tam difficilem, vt licet physicè non repugnaret, à nullo tamen vequam homine exhiberetur. Probo. Nam homines scirent, à se pro satisfactione condigna tam difficilia exigi quæ à nemine præstabuntur, etsi physicè loquendo præstari possent, quis non videt eodem modo absterrendos esse, acsi condigna satisfactio nec physicè præstari posset: tam enim a vno quàm in altero casu sunt certi de Deo nunquam placando. Finge Deum minari mortem omnibus illis, qui intra decem annos commissi sunt veniale peccatum; finge simul etiam revelatum esse, quòd nemo possit potentiâ moraliter tare per decem annos omnia venialia, hoc est, omnes certò certiùs commissuros esse, etsi potentiâ physicâ possent evitare: quæso, quid solliciti caperent homines ex hac potentia physica sine morali, ad spem evitandæ mortis concipiendam? ergo nec potentia physica (sine morali) ad placandum Deum esset motivum alliciens ad faciliùs peccandum, si certus essem de impotentia morali: ergo hæc sola sufficeret, quod erat probandum. Itaque Lugonis probatio non est efficax.

§. III.

Digressio brevis, vtrum opus puræ creaturæ possit esse æquale bonitatis cum malitia peccati.

56. Quarta probatio Conclusionis est quorumdam DD. Salmanticensium apud Reginaldam, qui toti sunt in eo, vt probent, nullum opus pure

puræ creaturæ posse esse æqualis bonitatis cum malitia peccati, quantumvis hæc sit tantùm finita. Probant autem hoc modo. Per peccatum excluduntur omnes gradus possibiles Gratiæ & Gloriæ in quantalibet intensione: est enim homo peccator dignus illis omnibus carere: atqui nullum opus bonum per modum meriti est inductivum omnium graduum Gratiæ & Gloriæ in quacunque intensione possibili, cùm nullum sit opus bonum puræ creaturæ, quod non condignè præmietur certâ intensione Gratiæ finitâ & determinatâ: ergo major est malitia peccati, quàm bonitas cujuscunque operis possibilis puræ creaturæ.

57. Hanc probationem, quam post Antonium Perez amplexus etiam est P. Martinus Esparza, rejecit Card. Pallavicinus c. 5. n. 82. hoc modo. Sæpè per aliquod crimen amittitur fructus omnium bonorum operum præcedentium, quæ tamen bona opera, si post commissum crimen fierent, compensarent æqualiter demeritum illius criminis: ergo etiamsi peccatum demereretur fructus omnium bonorum operum præcedentium, si tamen illa opera subsequerentur, possent compensare illud peccatum. Antecedens probat exemplo Manlij, qui post Capitolium defensum vltimo supplicio affectus est, ex crimine affectati regni, cùm tamen, si antè regnum affectâsset, & postea pœnitens Capitolium ab hostibus defendisset, vtique dignè purgâsset crimen præteritum. Ita contra Salmanticensium probationē Pallavicinus.

Aliter, & magis à priori impugno Salmanticensium fundamentum. Confundunt enim actum primum, & actum secundum. Concedo, quòd peccatum mortale sit in actu primo, & quantum in se est, destructivum & impeditivum cujuscunque intensionis Gratiæ, defacto tamen & in actu secundo nunquam destruit nisi in aliquo certo & determinato gradu quem invenit, & si nullum invenit, nullum defacto destruit. Porrò malitia peccati esto ex hoc capite habeat quandam malitiam secundùm quid infinitam (qualem bonitatem habet etiam actus charitatis possibilis creaturæ, vt dicam) in ordine tamen ad resistendum condignæ satisfactioni, non est considerandum peccatum secundùm actum primum, hoc est, quid posset mali inferre, vel boni impedire: sed, quid defacto destruat, vel quantum boni debiti impediat in anima. Ratio à priori est, quia satisfactio est compensatio: fit autem compensatio sufficiens, quantùm ad æqualitatem, si compensetur malum actu illatum, etiamsi non compensetur malum, quod inferri potuisset. Dixi. *quoad æqualitatem.* nam de alijs capitibus ex quibus redditur insufficiens, dicemus §. seq.

58. Confirmatur. Ex doctrina horum authorum sequitur, nec hominem homini posse condignè pro vlla gravi offensa satisfacere. Nam gravis offensa est impeditiva omnis affectûs amicabilis in quocunque gradu intensionis: atqui nullum opus satisfactorium est inductivum omnis affectûs amicabilis, sed tantùm alicujus certi gradûs, quo posset dari major, si daretur perfectius opus. ergo &c.

59. Respondet P. Esparza, in æstimandis meritis & demeritis aliud esse judicium Dei, & aliud hominum. Homines quidem non magnopere curant ea quæ tantùm in actu primo excluduntur per offensam, quia tantùm attendunt ad id, quod est vtile: at verò Deus æstimat merita & demerita præcisè ex bonitate ac dignitate intrinseca actuum.

60. Sed contra. In hac responsione committitur æquivocatio, & confunditur ratio meriti cum ratione satisfactionis. In ordine ad exigendam condignam satisfactionem, tam homo quàm Deus attendit id, quod est intrinsecum & essentiale offensæ, sed eatenus solùm, quatenus est exclusiva alicujus boni debiti: quatenus autem est exclusiva boni indebiti, nec Deus nec homo attendit: nam malitia offensæ, prout inductivæ obligationis satisfaciendi, adæquatè mensuratur ab exclusione seu impeditione boni debiti, vt suprà diximus. v. g. offensa quâ quis alteri negat honorem vt duo, excludit quidem non solùm honorem vt duo, sed etiam honorem vt octo: sed condignæ satisfactionis obligatio non inducitur ad exhibendum omnem honorem etiam indebitum & incompossibilem cum offensa.

61. Ad argumentum Salmanticensium directè respondendo, concesso vtroque membro antecedentis, negatur consequentia, sive, negatur illa propositio, quæ sub illo enthymemate latet, & est hæc. Quandocunque aliquid est impeditivum majoris boni, quàm alterum est inductivum, illud est majus malum, quàm hoc sit bonum. Ratio negandi est, quia ad inferendam majorem malitiam, non debent comparari effectus negativi vnius causæ, cum effectibus positivis alterius causæ, sed debent comparari effectus negativi cum negativis, & positivi cum positivis, vt acutè notavit Recentior Hispanus à me jam sæpè laudatus, ac deinceps laudandus: atqui in dicta Salmanticensium probatione, comparantur effectus negativi peccati cum effectibus positivis actûs boni, v. g. Charitatis: nimirum comparantur gradus gratiæ & gloriæ impediti à peccato, cum gradibus productis ab actu charitatis, & quia illi plures sunt istis, infertur, peccatum esse magis activum in ordine ad offendendum, seu inducendum jus aversionis, quàm sit actus charitatis ad satisfaciendum condignè seu placandum, quod malè infertur: sicut malè quis inferret, majorem vim activam agentis frigidi quàm agentis calidi ex eo, quòd frigidum inducat vnum gradum frigoris, exclusivum omniū graduum caloris vltra septem, calidū autem inducat tantū septem gradus caloris.

62. Quodsi ergo comparatio fiat inter effectus negativos, hoc est, exclusos à subjecto tam per peccatum, quàm per actum charitatis, item inter effectus positivè introductos ab vtroque, reperietur (inquit citatus R.) quòd sicut peccatum prohibet infinitos gradus amicitiæ & com-

placentiæ divinæ, & omnem multitudinem beneficiorum Dei, ita actus charitatis hominis adoptati in filium Dei, prohibeat infinitos actus displicentiæ & inimicitiæ divinæ, & infinita supplicia Dei, cum quibus omnibus est incompossibilis, & sicut peccatum inducit determinatum gradum pœnæ positivè luendæ, ita & actus charitatis determinatum gradum gratiæ & gloriæ.

63. Argumentantur ijdem DD. Salmanticenses 2. Tunc peccatum est Majus Malum, quàm quodcumque opus bonum possibile puræ creaturæ, quando peccatum ex se præcisè est productivum de condigno juris ad puniendum, nullus autem actus bonus ex se præcisè, hoc est, non præsuppositâ adoptione in filium Dei, est productivus de condigno præmij: sed verum est antecedens. ergo & consequens. R. 1. Argumentum nimium probare, videlicet, quòd levissimum peccatum veniale hominis justi sit Majus Malum in genere mali moralis, quàm intensissimus actus cujuscunque virtutis elicitus à peccatore: cùm illud de condigno mereatur aliquam pœnam, hic verò nullum præmium nisi de congruo. Respondetur 2. directè, Negando Majorem. Ratio negandi est, quia creatura est essentialiter serva Dei, & à Deo contemptibilis: ergo multò magis est proportionata, & (vt ita dicam) dignificata ad incurrendum reatum pœnæ, quàm ad obtinendam Filiationem Dei: quid ergo mirum est, si ex duobus æqualibus in ratione boni & mali, possit malum inducere id quod est minus & facilius, sine superaddita aliqua dignitate, bonum verò non possit inducere id quod majus est sine superaddita dignitate? satis est, quòd hac superadditâ, hoc est, præsuppositâ Gratiâ sanctificante, quæ est adoptio filiorum Dei, mereatur de condigno vitam æternam: neque enim hæc præsuppositio auget intrinsecam bonitatem actûs.

Confirmatur responsio. Actus intensissimus Charitatis, elicitus ab homine peccatore, est vtique præstantior, quàm actus aliquis remissus temperantiæ elicitus ab homine justo; & tamen hic posterior meretur de condigno gratiam & gloriam, non item ille prior. ergo ex defectu Meriti, proveniente ex defectu adoptionis, non licet inferre, actum esse minus bonum intrinsecè.

64. Argumentantur ijdem Salmanticenses 3. Bonum, quod per offensam excluditur, est honor debitus Deo. Sed honor debitus non est tantum bonum, quantum malum est offensa excludens honorem debitum: ergo Malum & Bonum quæ sibi opponuntur, non sunt in æquali gradu moralitatis, quod tamen pro fundamento assumunt illi, qui cum Scotistis docent, posse puram creaturam offerre Deo bonum æquale peccato. Minor probatur. Si enim essent in æquali gradu, tunc sicut offensa semper meretur pœnam, ita exhibitio honoris debiti semper meretur præmium: sed hoc non est verum, saltem inter homines, alioquin aulici, qui identidem suo Principi exhibent debitum honorem, semper merentur de condigno præmia. Similiter qui alium occidit, meretur grave supplicium: qui verò non occidit, non propterea meretur magnum præmium, immò nec gratias meretur. R. Negando Minorem. Ad probationem respondeo concedendo sequelam, si nimirum actus, quo quis honorem debitum exhibet, habet motivum honestum, & adjunctam arduitatem, & victoriam motivi absterrentis: & ideo defacto Deus præmiat omnes actus honestos hominis justi. Quòd autem homines non præmient actus justitiæ ex se exercitos, non arguit, quòd actus ipse secundùm se non sit dignus præmio, nam ne quidem actus indebitos solent privati homines præmiare. Denique quòd nullas gratias agant pro solutione debiti, jure id faciunt, quia, vt dicemus in secundo tract. de Jure & Just. in hoc differt Justitia ab aliis virtutibus ad alterum v. g. à Pietate, Liberalitate &c. quòd Justitia non inducat obligationem gratitudinis.

65. Ex his apparet, non satis efficaciter probari impossibilitatem condignæ satisfactionis ex impossibilitate æqualitatis moralis inter ejus bonum & malum puræ creaturæ; quam æqualitatem Schola Scotistica non sine fundamento debitum dit, vt hactenus vidimus. Inquirendum proinde est, quid præter hanc æqualitatem vlteriùs requiratur ad condignam satisfactionem, ex cujus impossibilitate proveniat, quòd pura creatura non possit condignè satisfacere Deo.

§. IV.

Probatur Conclusio alijs Argumentis.

66. PRæmitto, Implacabilitatem de condigno propter offensa gravi esse perfectionem simplicem, ex conceptu suo; non enim sonat incrementiam, nec pugnat cum clementia, sed aliud non est, quàm quòd tanta sit dignitas personæ offensæ, vt quidquid exhibeatur operis aut obsequij, non propterea sit tantæ efficaciæ, vt inducat necessitatem deponendi aversionem, sed opus sit clementiâ ad hanc deponendam. Quòd autem hæc implacabilitas sit perfectio, vel propterea consequens ad perfectionem infinitam, declaratur à minore ad majus. Quò enim persona offensa est dignior, eò difficilior est condigna satisfactio, & eò difficiliùs est talis persona condignè placabilis, si cætera sint paria, v. g. si Rusticus & Rex ambo patiantur à rustico colaphum, Rex est vtique rationabiliter difficiliùs placabilis quàm rusticus, propter excessum dignitatis: ergo omnimoda implacabilitas ex conceptu suo dicit perfectionem convenientem Enti infinitæ perfectionis; Nam sicut Ens infinitæ perfectionis est id, quo perfectiùs excogitari non potest, ita ejus implacabilitas debet esse tanta, quâ major excogitari non potest: sed hæc non est alia, quàm omnimoda implacabilitas, vt consideranti facilè liquet. ergo dicit perfectionem convenientem Enti infinitæ perfectionis. Hoc posito

Probatur

Probatur Conclusio. Deo tribuendæ sunt omnes perfectiones simpliciter simplices : ergo tribuenda est illi tanta implacabilitas, quanta non implicat in ratione perfectionis : sed hujusmodi est implacabilitas de qua est quæstio. ergo est Deo tribuenda.

67. Hinc declaratur, quâ ratione S. Thomas ex offensæ Infinitate secundùm quid, rectè intulerit impossibilitarem condignæ satisfactionis à pura creatura præstandæ : quia scilicet est offensa divinæ Majestatis, exigentis habere jus ad aversionem inextinguibile per opus Finiti valoris, nisi accedat Spontanea Remissio.

68. Probatio hæc videtur esse ad mentem omnium eorum, qui hanc implacabilitatem desumunt ex eo, quòd offensa crescat ex dignitate offensi : subintelligere enim debent, quòd crescat in ratione implacabilitatis : vnde rectè infertur, quòd si persona sit infinitæ Majestatis, implacabilitas debeat esse major quacunque excogitabili conveniente cuicunque creaturæ possibili perfectiori in infinitum : hæc autem non potest esse alia, quàm implacabilitas omnimoda : quæcunque enim talis non est, potest esse commensurata perfectioni & dignitati creatæ possibili. Et hæc sit prima probatio.

69. Probatur nunc Conclusio 2. ex ijs quæ dicam in Tract. 2. de Jure & Just. circa restitutionem honoris. Quicunque alium inhonorat vel offendit, debet in satisfactionem placativam exhibere plus honoris & obsequij, quàm aliàs antecedenter ad offensam potuisset offensus exigere jure suo à tali personâ : per ipsam enim inhonorationem obligatur ad humiliandum se magis, quàm ante factam offensam, vt ex communi omnium sensu & naturæ instinctu colligitur, & in dicto loco declarabitur. atqui nullum opus tam præstans exhibere potest pura creatura, quod Deus non posset jure dominij exigere, etiam nullâ potiùs offensâ : ergo nullum opus finiti valoris, sed solùm opus infiniti valoris (quale Christus solus exhibere potuit) potest sufficere pro condigna satisfactione.

70. Pro hac probatione videtur stare P. Ripalda *To. 2. de Ente Supernat. d. 97. n. 24.* [Quia, inquit, creatura constituitur per peccatum serva, Deusque in illam acquirit novum Jus ad ea omnia, quæ de illa velit facere, ipsi præcipere, & circa ipsam disponere ; hoc autem Jus valet plus quàm omnis satisfactio possibilis puræ creaturæ, cùm nulla satisfactio possit æquare æstimabilitatem eorum omnium operum & servitiorum, quæ Deus potest exigere ratione servitutis ex peccato contractæ &c.] Cæterùm mihi non videtur necessarium recurrere ad novum titulum, cùm primævus sufficiat.

Clariùs huic probationi videtur favere Card. Pallav. n. 79. his verbis. [Vt aliquis satisfaciat æqualiter pro aliquo debito ex delicto gravi, debet tantum facere supra id, NB. ad quod ante debitum contractum tenebatur, quantum infrà suum debitum fecit delinquendo : v. g. si quis alteri alapam inflixit, debet tantum honoris illi exhibere supra id ad quod alioquin teneretur, quantùm infrà suum debitum tractavit offensum : & idem etiam contingit in debitis pecuniarijs. atqui nemo potest Deum tantum honorare supra id, ad quod alioquin teneretur, vel quoad specificationem, vel quoad exercitium, (vult dicere : ad quod vel actu, vel potentiâ obligatur) quantùm despexit Deum, postponendo amicitiam ejus alicui bono finito. ergo.

71. Tertia probatio sit P. Arriagæ & Theophili Reynaudi *lib. 3. s. 1. c. 3. n. 96.* Ex ijsdem capitibus ex quibus crescit offensa, nempe ex dignitate offensi & vilitate offendentis, ex ijsdem decrescit satisfactionis valor : nam quò vilior est persona satisfaciens, & quò nobilior persona offensa, eò minoris fit satisfactio : quæ si fuisset exhibita à nobiliore, vel alicui ignobiliori, pluris fieret. Jam sic. Peccatum est offensa infinitæ personæ, proveniens à vilissima : satisfactio autem exhibita à pura creatura, etiam dignificata per gratiam, respicit infinitam personam, & oritur à vilissima persona : ergo satisfactio puræ creaturæ decrescit ex capitibus, vnde crescit peccatum : ergo manet semper in inferiore ordine, quàm sit peccatum : ergo non potest esse condigna pro peccato.

Probationi huic accedit Recentior Hispanus, addens, quòd sicut satisfactio decrescit ex dignitate offensi, & vilitate offendentis, ita vnicè crescat ex dignitate offendentis : adeoque nunquam possit intelligi condigna satisfactio, nisi sit æqualis dignitas offensi, & satisfacientis.

72. Confirmat is ipse deinde hoc modo. [Si hæc eadem, quoad materiale, offensa, quæ committitur à vili creatura contra Deum infinitum, committeretur à Persona æquali Deo (est hypothesis impossibilis) procul dubio illa offensa exigeret condignam satisfactionem simpliciter infinitam, hoc est, exhibitam à persona offendente, quàm supponimus æqualem Deo : ergo à fortiori offensa commissa à vili creatura exigit condignam satisfactionem plenè & simpliciter infinitam. Consequentia probatur : quia incredibile est, offensam ab illa circumstantia à qua constituitur gravior in ratione offensæ, ab illa eadem constitui contentam minori satisfactione, & minori pretio compensabilem : cùm ergo offensa vilis creaturæ in Deum, solùm differat ab offensa personæ æqualis Deo contra eundem Deum quoad circumstantiam vilitatis personæ offendentis, & hæc circumstantia fecerit graviorem offensam in ratione offensæ : implicat ab illa circumstantia reddi offensam vilis creaturæ in Deum indigentem minoris satisfactionis, quàm indigeat offensa commissa in Deum à Persona non vili sed Deo æquali.] Hæc ille

73. Vt hæc probatio subsistat, duo quæ objici possent, solvenda sunt. Primò ergo contra eam sic argumentari licet. Ex hac probatione sequitur,

sequitur, quòd ne quidem pro peccato Veniali posset pura creatura condignè satisfacere: hoc autem videtur esse contra sensum communem DD. Sequela patet, applicando totum argumentum, quod cuivis facile est.

74. Ad hoc dupliciter responderi potest. Primò negando suppositum, ex suprà dictis, nempe, negando quòd peccatum veniale sit offensa propriè dicta, causativa aversionis, cùm nihil penitùs minuat amicitiam Dei, vtpote nullum gradum Gratiæ sanctificantis expellens, & ideo non est materia satisfactionis pro culpa, sed tantùm satisfactionis pro pœna. Et quidem satisfactio pro pœna etiam tunc, quando est condigna, adhuc tamen opus habet acceptatione liberali Dei, secùs quàm satisfactio condigna pro culpa exigeret. Disparitas est, quia, vt bene notat Card. Lugo, Satisfactio pro culpa seu placatio formaliter, pertinet ad ipsum offendentem, & ipsi debet esse voluntaria. At verò inflictio pœnæ pertinet ad Superiorem, cujus est vindicare transgressiones legum, ipsiúsque, & non rei arbitratu metienda est: quare non tenetur acceptare voluntariam satisfactionem, quantumvis condignam, hoc est tantam, quantam ipse offensus posset jure infligere.

75. Bz. 2. Permittendo, quòd veniale peccatum sit propriè dicta offensa, conceditur sine vllo absurdo sequela, cum Petro Soto, Wadingo & alijs RR. quibus jure accenseri possunt Suarez & Arriaga, requirentes liberalem acceptationem. Et sanè fundamentum contrariæ Sententiæ tam leve est, vt non moveat nisi sponte volentem moveri. Dicunt enim, ideo posse pro veniali condignè satisfieri, quia Amicitia videtur hoc ab amicis exigere, vt si alter ab altero leviter offendatur, & jus ad levem aversionem tribuat, hoc jus deinde cesset, si offensor per opera egregia, quantúmvis aliunde debita foveat, & augere studeat amicitiam. Ecce! tota probatio consistit in vno: *Videtur*. ad quod adversarij respondent: *Non videtur*. Vel certè, dicam ego, si hoc tibi videtur esse de ratione amicitiæ, vt satisfactio possit fieri per aliquid aliunde jam debitum, si fiat ab amico, exigente scilicet hoc amicitiâ, dicam inquam pariter ego, satisfactionem non decrescere ex Vilitate personæ satisfacientis, si hæc sit amica, exigente hoc amicitiâ, & sic cessabit obiectio, quia non erit paritas inter Mortale & Veniale, nec poterit applicari argumentum à Mortali ad Veniale.

76. Ego quidem ex his duobus respondendi modis præfero priorem; cujus vlteriorem rationem hanc reddo. Satisfactio pro culpa non est introducta nisi in hunc finem, vt reus haberet medium, quo posset abolere culpam etiam invito offenso, sive, nullâ illius benevolentiâ accedente. ergo omnis culpa fundans satisfactionem debet esse ejusmodi, vt, si pro eâ non satisfiat, possit offensus ad libitum suum, & jure suo semper manere aversus. atqui hoc repugnat peccato veniali: nam hujus natura est, vt etiam nulla ponatur condigna satisfactio vsque ad finem vitæ, necesse tamen sit illius culpam diminuere, alioquin impediret felicitatem æternam, adoptionis in filium Dei: ergo peccatum Veniale quoad culpam non est materia satisfactionis.

77. Contra id quod ex Recentiore primo limus, videlicet, satisfactionem condignam semper requirere æqualitatem in dignitate inter personam offendentem & offensam, opponi potest secundò. In humanis videtur hoc esse contra omnium sensum: nam omnes judicamus, quod si aliquis aulicus graviter offenderet summum Principem, v. g. spargendo de ipso, quòd sit prodigus, vel avarus, vel præceps in agendo, vel quòd immium indulgeret genio suo, neglectis Provinciæ curis, omnes, inquam, judicamus, quòd prædicti culpa & offensa posset per magnam sui humiliationem, & sinceram offensæ detestationem, vel per alia heroica facinora ita satisfacere principi, vt, si vellet vlteriùs aversus esse, irrationabiliter & durè agere censeretur. Ita suprà ex Pallavicino tulimus, quòd Manlius potuisset condigne satisfacere pro culpa affectati regni. atqui hi homines dignitate inæquales. Ergo inæqualitas dignitatis non arguit impossibilem satisfactionem condignam.

78. Ad hanc objectionem respondet ipse Recentior: ideo inferiorem hominem posse superiori condignè satisfacere, quia Rex est homine plebeio superior solùm secundùm quid: unde, licet vt Rex sit superior, potest vt indignus esse inferior eodem vt opem ferente. Hinc plebeius à certo vitæ periculo Regem liberans, moraliter censeretur illi vitam donare, & regiam majestatem protegere: in quo eventu satisfaceret ad æqualitatem, quia vt protector esset superior. Ita ille.

79. Posset tamen, meo judicio, adhuc alia ratio reddi, independenter ab hac indigentia. Omnis homo est alteri æqualis in dignitate substantiali & præcipua quam Natura intendit, etsi in accidentali vnus ab altero excedatur. Porrò Aversio suscipit magis & minùs, nam quò gravius est delictum, eò major est aversio. Jam ergo propter substantialem æqualitatem potest homo condignè satisfacere saltem pro parte aversionis, exhibendo opus aliquod indebitum æqualis bonitatis cum malitia offensæ. Deinde repetendo ejusmodi opera poterit totum jus aversionis abolere, vel etiam statim prima vice per opus præstantissimum condignè satisfacere. Nam excessus accidentalis in dignitate, potest compensari excessu bonitatis operis. Nihil hujusmodi habet cum habet in satisfactione hominis pro offensa Dei, vt pater.

§. V. Ob-

§. V.

Solvuntur Objectiones.

80. OBjicies 1. Omne finitum potest compensari per aliud finitum: sed malitia peccati est finita: & satisfactio est compensatio: ergo potest pro peccato condignè satisfieri à pura creatura. R. Distinguendo majorem. Si sint ejusdem ordinis & rationis, & habeant proportionem inter se concedo, secùs nego. Sic perfectio hominis tametsi finita, non potest adæquari perfectionibus brutorum aut plantarum. sic bonum vitæ & membri, non potest compensari quantâcunque pecuniæ summâ, vt dicemus Tr. 2. de Jure & Just. Jam, opera puræ creaturæ in ratione satisfactionis, non habent proportionem cum peccato mortali. Neque enim peccatum mortale habet partes aliquotas malitiæ, quarum vna sine cæteris per satisfactionem tolli possit; sed neque etiam pro toto simul satisfieri potest, vt probatum est ex infinita perfectione Dei, ex debito radicali cujuscunque operis boni, ex vilitate personæ offendentis: ergo à primo ad vltimum, nulla est proportio in ratione satisfactionis inter opera puræ creaturæ, & inter peccatum mortale.

81. Objicies 2. Quando quis reddit totum illud quod abstulit, Satisfacit ad æqualitatem: sed homo per actum Charitatis reddit totum quod abstulit per peccatum: ergo satisfacit ad æqualitatem. Minor probatur: quia per peccatum abstulit Deo rationem vltimi finis quoad exercitium, vt suprà dictum; & per actum Charitatis restituitur ratio vltimi finis. R. Distinguendo Majorem. Satisfit pro ablatione præcisè vt est ablatio, concedo. pro ablatione prout habet rationem offensæ, & tribuit jus aversionis, nego majorem. Nam etiamsi offensa gratis remitteretur, adhuc esset obligatio restituendi quod ablatum est: v. g. qui alterum offendit illi detrahendo, debet, etiam post gratuitam reconciliationem, restituere famam, & econtra potest aliquis alteri restituere quod injustè abstulit, sicque satisfacere Justitiæ, & tamen alter esse adhuc rationabiliter aversus, propter specialem contemptum, qui inerat tali læsioni: v. g. si quis Regi coronam vi auferret, vtique non placaret Regem restituendo coronam: ergo satisfactio seu compensatio ablationis quà talis, non est formaliter ablatio juris ad indignationem.

82. Objicies 3. Magis placet Deo actus bonus supernaturalis, quàm displiceat peccatum mortale: atqui quando offensor exhibet aliquid magis placens quàm displiceat offensa, condignè satisfacit: ergo potest pura creatura condignè satisfacere pro peccato mortali, saltem ex suppositione potentiæ elevatæ ad actum supernaturalem eliciendum. Major probatur. Nam præmium quod Deus reddit pro actu bono, est quid melius quàm sit malum pœna peccati, vt communiter dicitur: atqui major bonitas præmij arguit majorem complacentiam Dei in merito, ergo &c. R. Hoc argumentum probaret, quòd homo defacto quocunque levissimo actu supernaturali condignè satisfaceret pro innumeris & gravissimis peccatis. Negatur ergo major. Ad probationem negatur minor. Quòd enim Deus det gloriam pro merito, non provenit ex majori appretiatione meriti supra peccatum, sed ex eo, quòd Deus ex sua Bonitate hominem ordinet ad talem finem, & quòd opus bonum procedat ab homine justo, habente jus ad talem gloriam, adeoque non ex complacentia circa meritum secundùm se, sed ex complacentia circa meritum & circa substantiam hominis & Gratiæ: pœnam autem inducit displicentia circa peccatum secundùm se.

83. Objicies 4. Incredibile est, Deum feciſſe homini majorem potestatem suæ perditionis, quàm suæ salutis, cùm Scriptura de vtroque æqualiter loquatur, Ezech. 18. *Cùm averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, morte morietur: cùm averterit se impius ab impietate sua quam operatus est, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit* · atqui si impossibilis est condigna satisfactio, habet quidem homo vires ad perdendam justitiam, sed non ad eam recuperandam. ergo &c. R. Si hæc argumentandi ratio bona esset, sequeretur, quòd sicut homo non indiget Gratiâ Dei ad peccandum, ita etiam non indigeret gratiâ Dei ad condignè satisfaciendum. Deinde Deus fecit homini potestatem conservandi innocentiam, & sic consequendi salutem, sicut fecit ei potestatem eam perdendi, & hoc satis erat; neque Deus ad plus tenebatur; sicut natura dedit homini potestatem conservandi vitam, & se occidendi, sed non dedit potestatem restituendi vitam semel ablatam. Scriptura Sacra loquitur de Misericordia Dei, qua defacto constituit media, quibus homo in omni statu potest redire ad Justitiam, non quidem per satisfactionem de condigno, sed per Meritum de congruo.

84. Objicies 5. Si homini esset impossibilis condigna satisfactio, frustra natura indidisset homini stimulos pœnitentiæ: sicut si impossibilis esset Beatitudo æterna, malè indidisset natura stimulos consequendi Beatitudinem. R. 1. Sæpè stimulamur ad detestationem alicujus operis, quod tamen non possumus ampliùs emendare: quis autem horum stimulorum finis sit, non pertinet ad Theologum, sed ad Ethicum investigare. R. 2. Sicut possibilitas Beatitudinis supernaturalis per Gratiam Dei, sufficiebat, vt immitteretur homini desiderium Beatitudinis, ita etiam possibilitas reconciliationis per Misericordiam Dei, sufficiebat ad immittendos stimulos pœnitentiæ.

CONTROVERSIA III.

Vtrum Christus condignè satisfecerit pro peccato Humani generis, & ejusdem Reparationem condignè promeruerit, & vtrum illius Merita sint Valoris infiniti.

§. I.

Affirmativæ Sententiæ auctoritas.

85. CErta Catholicorum contra Pelagianos & Abaylardanos doctrina est, quòd Christus nos condignè redemerit, idque pluribus locis docent Sacræ paginæ, dum dicunt, satisfactionem Christi superabundantem. ad Rom. 5.

Scotus tamen, Durandus, Gabriel, Almainus & Medina apud Vasquez d. 5. c. 1. & Suarez d. 4. s. 3. docuerunt, opera Christi habuisse hanc condignitatem per denominationem extrinsecam, ab acceptatione Dei, à qua etiam opera puri hominis potuissent habere condignitatem: sicut si quis creditori acceptanti vnum florenum pro centum, solveret vnum florenum, posset dici condignè solvisse.

86. Dicendum tamen est, Christi opera ex se condignitatem habuisse ad satisfaciendum pro culpa & pœna totius generis humani. Probatur 1. auctoritate SS. PP. S. Athanasius *in Evangelium de Cruce & Pass. Dom.* ait, Christum parva magnis compensâsse. S. Chrysostomus serm. 11. in c. 5. Ep. ad Rom. ait, Christum multò plura quàm debebamus, solvisse, tantóque plura, quantò guttula exiguam pelagus excedit immensum.

87. Verùm hic ipse valor & sufficientia Rationibus etiam comprobari solet, ostendendo, Christi opera omnes habuisse conditiones, quæ, & quo modo ad condignam satisfactionem requiruntur. Septem autem conditiones in quæstionem veniunt, vtrum & quo modo requirantur. Prima est, vt id quod offertur, sit æquale offensæ, eâ æqualitate, quàm præcedente controversiâ ostendimus deesse satisfactioni puræ creaturæ. Secunda; vt sit ad alterum. Tertia; vt sit à Persona quæ offendit. Quarta; vt sit ex aliàs indebitis. Quinta; vt non sit ex acceptis à creditore, seu ab offenso. Sexta; vt non sit ex bonis ipsius creditoris seu offensi. Septima; vt non possit ab offenso repudiari.

§. II.

Vtrum opera Christi habuerint debitam æqualitatem cum offensa qua tali.

88. DICO 1. Opera Christi habuerunt eam æqualitatem in ratione satisfactionis, quam diximus deesse cuicunque operi bono puræ creaturæ. Probatur. Non esset perfectio Dei, quin esset imperfectio, posse contemnere opera personæ æquè dignæ, ac est ipse Deus offensus, & quæ proinde sunt infiniti valoris, excedentia infinitè omne obsequium, quod à pura creatura peccatrice exigi potest: ergo quidquid debitur in operibus puræ creaturæ, habetur in operibus Christi.

89. Confirmatur. Satisfactio Christi non decrescit ex illo capite, ex quo decrescit satisfactio puræ creaturæ, nempe ex vilitate satisfacientis: deinde crescit ex pluribus capitibus ex quibus decrescit offensa. Nam offensa decrescit ex fragilitate offendentis, ex gravitate tentationum, & ex imperfecta cognitione Personæ offensæ, contra satisfactio Christi crescit ex firmitate adhæsionis ad bonum, ex plenitudine cognitionis & Scientiæ, ac denique ex dignitate personæ satisfacientis, quæ influit in augmentum satisfactionis secundùm totum suum esse reale, sine vlla limitatione: at verò dignitas personæ offensæ tantùm influit objectivè in augmentum offensæ secundùm esse intentionale, & limitatè, ob limitatam cognitionem illius dignitatis: ergo non tantùm adæquat, sed etiam superat gravitatem offensæ.

90. Objici potest hoc sophisma. Infinitas offensæ crescit ex duobus capitibus seu principijs, nempe ex dignitate Personæ offensæ, & ex vilitate personæ offendentis: atqui infinitas satisfactionis Christi tantùm crescit ex vno principio, nempe ex dignitate Personæ satisfacientis: ergo non adæquat offensam. R. Distinguendo majorem, vel primum membrum antecedentis: crescit ex duobus principijs constituentibus vnum principium, ita quidem, vt non possint intelligi crescere ex vno illorum sine respectu ad alterum, concedo, secùs, nego. Ratio est clara. Nam Dignitas aut vilitas secundùm se non faciunt crescere offensam: si enim vilis vilem offendit, non crescit offensa ex vilitate: sed offensa crescit ex Vilitate & Dignitate comparatis sumpta, hoc est, vnâ comparatâ, cum altera, & sic constituunt vnum principium.

§. III.

Vtrum Satisfactio Christi fuerit sufficiens ad Alterum.

91. RAtio dubitandi est obvia. Nam Christus est ille ipse Deus, qui est offensus: atqui Christus est satisfaciens: ergo satisfaciens non distinguitur realiter ab offenso. Hoc non obstante

DICO 2. Satisfactio Christi fuit sufficienter ad alterum. Probatur. Ad satisfactionem non requiritur alteritas Physica, sed sufficit alteritas civilis seu Moralis. Sed hæc convenit satisfactioni Christi: ergo &c. Major probatur. Ad satisfactionem vtique non requiritur major alteritas quàm ad Justitiam: sed ad hanc sufficit Alteritas Moralis seu civilis: ergo etiam ad satisfactionem sufficiet. Minor declaratur in ex-

emplis. Quæstor, seu Collector, quatenus gerit personam tam Ministri publici, quàm subditi, exigit à se contributionem. Provisor publicus potest nomine Reipublicæ emere frumentum à seipso vt habet rationem Civis: Tutor & Curator potest solvere Pupillo vel Minorenni, & illius nomine acceptare, vel econtra sibi nomine pupilli solvere debitum. Executor Testamenti potest sibi ipsi solvere Legatum in Testamento relictum: atqui in his omnibus non intervenit alteritas physica, sed tantùm civilis seu Moralis, quatenus scilicet eadem persona Physicè considerata, fungitur duabus personis: ergo pari modo Christus dominus, qui per assumptionem humanæ Naturæ constitutus est caput generis humani, repræsentabat Genus humanum; quatenus verò simul erat Deus, gerebat Personam offensam: ergo sub hac duplici consideratione poterat sibi satisfacere.

92. Cæterùm, requirebatur insuper alteritas physica Naturarum, qualis est inter Naturam divinam & humanam: nam actus satisfactorij non poterant formaliter procedere à Natura Divina, quæ non est capax arduitatis, doloris, humiliationis, orationis &c. Sicut ergo hæc alteritas naturæ necessaria erat, atque etiam sufficiebat, vt Christus dici posset orare Deum, illi obedire, se illi humiliare &c. ita etiam sufficiebat ad condignè satisfaciendum.

§. IV.

An satisfactio Christi fuerit satisfactio illius qui offendit.

RAtio dubitandi est, quia Christus non peccavit, sed Genus humanum descendens ab Adamo: ergo non satisfecit Christus pro culpa propria, sed pro aliena: ergo non satisfecit ipse offensor.

Card. de Lugo docet, Satisfactionem Christi non posse rectè dici, *satisfactionem nostram*, sed tantùm *pro nobis*. Si enim satisfactio Christi esset aliquo modo nostra, tunc debuisset necessariò acceptari: hoc autem reputat Lugo absurdum, ob rationem infrà referendam & solvendam; vbi etiam videbimus, vtrum hoc legitimè sequatur ex illo antecedente, & an contineat aliquod inconveniens.

93. DICO 3. Satisfactio Christi rectè dicitur: *esse nostra*. Ita in terminis S. Thomas mox citandus, ex quo etiam ratio conclusionis redditur. Satisfactio Capitis est satisfactio membrorum & totius corporis, & hoc tam in physico quàm in politico & mystico corpore verum est. atqui Christus fuit & est Caput nostrum politicum & mysticum: ergo satisfactio illius est satisfactio nostra. Minor est certa, & continetur apertè in S. Scriptura pluribus locis. Solùm est inter Scholasticos controversum, an constituatur caput formaliter & adæquatè per solam vnionem hypostaticam, vel an insuper requiratur pactum, seu consensus Dei, sicut Adam constitutus est caput nostrum per Decretum seu pactum. Hoc posterius sentiunt communiter Theologi: Illud prius tenet Recentior Hispanus, citans pro se P. Vasquez v. 48. c. 4. n. 17. sed reverà hoc Vasquez non habet, sed solùm docet, quòd gratia Capitis potiùs consistat in vnione, quàm in Gratia habituali, eò quòd per Vnionem habuerit Christus vim condignè satisfaciendi pro nobis, & influendi in sua membra; quæ Gratia nulli alteri poterat convenire. Verùm ad præsens institutum nihil interest, quid in hoc puncto verius sit: satis est, quòd fuerit Caput nostrum.

94. Nunc ergo probatur major propositio Authoritate simul, & ratione. S. Thomas q. 48. a. 2. movet in terminis difficultatem præsentem, his verbis. [Videtur, quòd Passio Christi non causârit nostram salutem per modum satisfactionis. Ejusdem enim videtur esse satisfacere, cujus est peccare &c. sed Christus non peccavit: ergo ipse non satisfecit.] Respondet deinde his verbis. [Ad primùm dicendum, quòd Caput & membra sunt quasi vna persona mystica, & ideo satisfactio Christi ad omnes fideles pertinet, sicut ad sua membra] & q. seq. a. 1. in C. ait, quòd Christus tanquam caput nostrum, redemerit nos tanquam membra, sicut si homo per aliquod opus meritorium quod manu exerceret, redimeret se à peccato quod pedibus commisisset: sicut enim naturale corpus est vnum, ex membrorum diversitate consistens, ita tota Ecclesia, quæ est mysticum corpus Christi, computatur quasi vna persona cum suo capite, quod est Christus.] Hæc S. Thomas, cui in hoc puncto adhæret P. Vvadingus d. 2. *dub.* 4. §. 1.

95. Confirmatur. Adamus ex eo quòd fuerit constitutus caput humani generis in hunc finem, vt in posteros transfunderet vel Justitiam originalem, vel privationem illius, peccando fecit, vt omnes posteri dicerentur, *peccâsse in Adamo*: ergo pariter quia Christus constitutus est caput nostrum in eum finem, vt nos Deo reconciliaret, ita pro nobis satisfecit, vt rectè dici possimus in Christo satisfeciisse.

Objicies. Si satisfactio Christi esset satisfactio nostra, sequeretur, quòd non justificaremur gratis, nec gratis nobis remitteretur peccatum originale: consequens est absurdum: ergo & antecedens. Sequela probatur. Ex eo quòd peccatum Adami sit peccatum nostrum, ita reddimur per illud digni pœnâ, vt hæc non dicatur infligi *gratis*. ergo si satisfactio condigna Christi fuit nostra satisfactio, non remittitur peccatum *gratis*.

96. R. In argumento æquivocari in voce *Gratis*. aliquando enim hæc vox significat idem quod; *frustra*. seu, *sine caussa & merito*. & hoc sensu non infligitur pœna gratis, hoc est sine vllo merito, seu potiùs demerito: quia verè adest demeritum seu culpa. Eodem sensu etiam potest dici nos non justificari gratis, hoc est, sine omni merito, quia reverà justificamur propter merita & Satisfactionem Christi, sive ea sit *nostra*, sive *pro nobis*.

aliquando autem, & Theologicè vox, *Gratis*, significat *Gratiâ*, hoc sensu, dicimur justificari gratis, nempe interveniente Gratiâ novâ vltra Gratiam satisfactionis Christi. Nam merita Christi nemini prosunt, nisi cui applicantur. omnis autem eorum applicatio est nova Gratia: ergo semper justificamur gratis. Præterea, loquendo etiam de ipsa satisfactione Christi quatenus per illam justificamur, verè per gratiam justificamur, quia quòd satisfactio Christi sit nostra satisfactio, hoc est, quòd Christus sit nostrum caput, & ponat pro nobis talem satisfactionem, est vtique Gratia. Denique, possumus dici justificari gratis & sine merito seu satisfactione propria strictissimè sumpta, hoc est, quæ sit essentialiter & immediatè, ac sine applicatione propria, non tamen sine satisfactione mediatè propria, hoc est, appropriata per applicationem capitis: & quia hæc appropriatio est gratia, ideo vt sic justificamur gratis seu per gratiam.

§. V.

Vtrum satisfactioni condignæ repugnet, esse ex acceptis ab offenso, vel ex ejus bonis.

97. DICO 4. Satisfactio condigna potest fieri ex acceptis ab offenso. Probatur à pari. Satisfactio ex Justitia Commutativa potest fieri ex illis bonis, quæ quis priùs titulo donationis accepit à Creditore. Atqui in condigna satisfactione non subest specialis ratio repugnantiæ: ergo &c. Itaque licet satisfactio Christi procedat ex dono & beneficio Incarnationis, & alijs auxilijs præcedentibus ipsa opera Christi, hoc tamen non minuit valorem satisfactionis. ad hunc enim plus non requiritur, quàm vt opera liberè procedant,

98. DICO 5. Satisfactio condigna potest fieri ex bonis offensi hoc sensu, quòd ipsa opera satisfactoria sint vera dona & bona illius cui satisfit. Probatur pariter ex Justitia. Qui rem alienam injustè detinet, tenetur ad restitutionem illius rei, & illam restituendo satisfacit: atqui tunc restituit quod est ipsius creditoris: verè enim ille, & non restituens est dominus: ergo potest ex Justitia commutativa satisfieri pro offensa ex bonis offensi. Accedit, quòd bona opera quæ facimus, sunt quidem bona & dona Dei, sed hæc ita sunt, vt simul etiam propriè sint bona nostra, prout definitum est in Trident. ergo per talia opera satisfit Deo etiam ex bonis nostris, esto sint etiam bona Dei. Sunt autem & dicuntur esse bona nostra, quia procedunt à nostra voluntate, liberè se ad illa determinante.

§. VI.

Vtrum Satisfactio Christi fuerit ex aliàs Indebitis.

99. DICO 6. Satisfactio Christi fuit sufficienter ex indebitis. Probatur. Genus humanum quod peccavit, non debebat opera infiniti valoris, qualia sunt opera Christi: quia hæc esse generi humano impossibilia: ergo non potuerunt exigi ab homine. Deinde, opera quæ Christus Deo exhibuit, non processerunt ex vlla obligatione Theologica, hoc est, sub præcepto, vt infrà probabo. Obligationes enim Theologicæ non reperiuntur nisi in supposito peccabili. Christus autem erat impeccabilis. Præterea, vt bene advertit Recentior, non omne debitum obstat condignæ satisfactioni, sed illud solùm, quod non solùm fundatur in alio titulo, sed etiam tendat ad aliam actionem distinctam ab ea actione quæ offertur pro satisfactione. Explico. Debes mihi Centum, titulo emptionis. Deinde furaris mihi centum, & inde debes centum titulo furti. Si hos centum velles dare in solutum pro merce quam emisti, non satisfaceres, quia illos debes titulo furti, qui titulus tendit ad aliam distinctam restitutionem quàm tendat titulus emptionis. At verò si vovisses solvere omnia debita, & ex voto obligatus esses solvere pretium mercis, solvendo centum satisfaceres tam Voto quàm Justitiæ, quia obligatio Voti non tendit ad aliam actionē inducendā, sed ad illam eandē ad quam tendit emptio.

Quapropter, etiamsi concederemus Christum ex præcepto strictè sumpto fuisse obligatum redimere genus humanum, hoc debitum non obstaret condignæ satisfactioni: quia illa obligatio tendebat ad eandem actionem, ad quam tendit titulus offensæ.

§. VII.

Vtrum Satisfactio Christi debuerit acceptari.

100. DIximus suprà, quòd quando ab offensore exhibetur condigna satisfactio, debet acceptari ab offenso, ita vt non possit ampliùs esse rationabiliter infensus. Et hoc quidem certum est, quando exhibetur immediatè ab ipso offensore, vel etiam ab alio, qui nomine Offensoris mandantis, adeoque nomine procuratorio exhiberet, v. g. Rex per suum Legatum. Dubium tamen est, quando alius pro alio, v. g. amicus caussâ satisfactionem exhiberet, an deberet acceptari, & communior Sententia negat. Vide Vasquez & Lugo docent, satisfactionem Christi potuisse non acceptari. Econtra P. Vvadingus aliique RR. putant necessariò fuisse acceptatam. Ego hanc controversiam aliter puto componi posse, & Auctores conciliari.

101. DICO 7. De conceptu condignæ satisfactionis non est, quòd debeat acceptari. Ita videtur mihi supponere S. Thomas, loco citato, vbi tradit, quòd amicus pro amico possit condignè satisfacere: atqui nemo dixerit, talem satisfactionem debere ab offenso acceptari. Potest enim offensor rationabiliter exigere, vt offensor personaliter satisfaciat. Ratio est, quia per condignam satisfactionem, aliud non intelligimus, quàm illam satisfactionem, quæ, si exhiberetur ab ipso offensore, deberet acceptari: atqui potest alius pro me exhibere

bere talem satisfactionem, quæ si exhiberetur à me offensore, deberet acceptari: ergo esset condigna satisfactio, etiamsi non debeat acceptari quando offertur ab alio.

102. Declaratur à pari. Haberet se enim tunc talis satisfactio sicut Meritum condignum præmio, cujus dignitati nihil officit, quòd non debeat acceptari: Simili modo, quando quis debet alteri equum, si pretium justum loco equi offerat, dicitur offerre solutionem condignam debito, & tamen creditor non tenetur acceptare. Atqui aliena satisfactio est aliud pro alio: ergo potest intelligi condigna, quin debeat acceptari.

103. DICO 8. Satisfactio Christi in ordine ad totum suum effectum seu fructum, ad quem obtinendum erat instituta, & defacto est acceptata, non debuit acceptari. Probatur. Satisfactio Christi habet non solùm rationem satisfactionis, sed simul etiam indivisibiliter habet rationem Meriti: & Christi satisfactio non fuit instituta præcisè ad hoc, vt Deum placaret, hoc est, ex inimico faceret non inimicum, sed etiam, & præcipuè ad hoc, vt Deum nobis reconcilaret, atque pristinæ amicitiæ restitueret, & iterum ad finem supernaturalis beatitudinis elevaret, quo per peccatum originale excideramus: atqui vt suprà vidimus, meritum in ratione meriti non debet à præmiante necessariò acceptari: ergo licet meritum & satisfactio Christi fuerit digna omni fructu quem defacto consecuta est, imò & majori in infinitum, non tamen debebat acceptari ad omne illud, ad quod defacto est acceptata, sed potuisset ad aliquid minus acceptari.

104. DICO 9. Non potuit Deus velle Christum esse caput Generis humani in hunc finem, vt pro genere humano offerret satisfactionem condignam, & tamen illam non acceptare; adeoque satisfactio Christi vt capitis, debuit acceptari ad effectum placationis & etiam reconciliationis indefinitè & indeterminatè, hoc est, præscindendo ab vltima determinatione ad hunc vel illum gradum, ad has vel illas conditiones & circumstantias. Probatur. Hoc ipso quòd Deus voluerit Christum esse caput humani generis in ordine ad condignè satisfaciendum, hoc ipso inquam, voluit satisfactionem Christi esse interpretativè nostram, vt jam suprà probatum est: atqui qui vult aliquam actionem alterius esse interpretativè meam, debet se erga me perinde gerere, acsi egomet illam actionem exercuissem, alioquin argueretur esse sibi ipsi contrarius. ergo &c.

105. Quòd autem debuerit acceptari non tantùm secundùm rationem præcisam satisfactionis in ordine ad placationem, sed etiam ad concedendam secundam elevationem ad finem supernaturalem, & reparandam amicitiam, mihi ex eo fundamento certum est, quia Christus constitutus est caput in ordine supernaturali, nec venisset, si hoc præmio carendum fuisset. Debuit ergo satisfactio Christi acceptari etiam quoad secundam elevationem, hac ratione, vt quibuscunque deinde per media à Christo instituta applicaretur, illis etiam in ratione reconciliationis prodesset. Imò ita debuit acceptari, vt aliquibus (indefinitè) esset ipso facto applicanda. Nam si nulli fuisset applicanda, finis Incarnationis non fuisset obtentus: parùm enim honorificum & glorioſum fuisset Christo, si duntaxat hoc obtinuisset, vt homines possent reconciliari, & tamen nullus fuisset reconciliatus.

106. Cum hoc tamen stat, adhuc esse specialem gratiam, quotiescunque alicui determinato homini contingit applicatio Meritorum Christi, sive illa fiat interventu Sacramenti, sive per actum dilectionis Dei. Nam, vt in tr. de Gratia vidimus, potest aliquod bonum esse debitum generi humano indeterminatè & vagè, & tamen quando huic vel illi determinato homini conceditur, est respectu illius speciale Beneficium.

107. Hinc facilè intelligitur, quâ ratione Christus pro omnibus hominibus mortuus sit, neque tamen per suam mortem formaliter omnium culpas & offensas deleverit, vt traditur in Trid. sess. 6. c. 2. his verbis. [Verùm, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ij duntaxat, quibus meritum passionis ejus applicatur.] Ratio à priori est, quia condigna satisfactio exhibita immediatè ab alio quàm ab offensore, non plus nec aliter debet acceptari, quàm quo modo vult acceptari & prodesse ille, qui satisfacit. atqui Christus noluit aliter prodesse suam passionem, quàm mediante applicatione à se instituta: ergo non debuit ad vlteriorem effectum, aut sine hac applicatione acceptari: esto ex se digna fuisset, vt etiam illis prodesset, quibus non applicaretur specialiter, si Christus Dominus ita voluisset.

108. Objicit tamen Vasquez ad probandum, quòd nullo sensu debuerit necessariò acceptari. Satisfactio vnius pro alio, quantumvis perfecta sit, non reddit alterum formaliter dignum apud Deum quem offendit: quia satisfactio aliena non est forma physicè inhærens & renovans peccatorem interiùs: ergo relinquit illum in eodem statu, in quo ipsum invenit: ergo vt per hujusmodi alienam satisfactionem tollatur culpa, necessaria est Dei voluntas, eam acceptans ad talem effectum. R. Distinguendo consequens: ergo requiritur voluntas Dei, quæ tamen formaliter alia non sit, quàm voluntas, quâ vult Christum esse caput generis humani, concedo, quæ sit formaliter alia, nego consequentiam.

§. VIII.

Vtrum, & ex quo fundamento Merita Christi habeant Valorem infinitum ad præmium majus & majus in infinitum.

109. DIcendum est 1. Merita Christi fuisse simpliciter infiniti Valoris. Probatur Conclusio 1. Auctoritate Clementis VI. *in Extrav. Vnigenitus de pœnit. & remissionib.* vbi Pontifex asserit, Thesaurum quem Ecclesia habet ex meritis & Satisfactione Christi, non posse exhauriri aut minui, quia merita illius sunt infinita, adeo vt propter Vnionem ad Verbum, vna gutta sanguinis sufficisset pro redemptione totius generis humani.

110. Ratione probant Conclusionem Ragusa & Tannerus, hoc modo. Ille actus meritorius est infinitus, qui offert rem valoris infiniti: sed Christus suis actibus meritorijs obtulit Patri Cœlesti rem valoris infiniti, nempe seipsum: ergo &c. Major probatur. Tantũ valet actus seu oblatio, quantũ valet res oblata; ergo si res oblata habet valorem infinitum, etiam oblatio erit valoris infiniti.

111. Hæc tamen probatio communiter non recipitur. Ex ea enim sequi videtur, etiam Beatissimam Virginem elicuisse actus infiniti valoris, & puram creaturam posse condignè satisfacere pro peccato generis humani. Sequela probatur. Nam B. V. etiam obtulit Patri Cœlesti Filium suum infiniti Valoris. Item si verbum vniretur alicui agno, quem homo offerret & sacrificaret pro genere humano, offeret rem infiniti valoris.

Respondent negando paritatem. Quia ad hoc vt oblatio accipiat valorem infinitum à re infinita oblata, debet offerens habere plenum Jus in illam rem: tale jus habuit Christus in se, non item B. V. aut homo in Christum aut agnum assumptum.

Sed contra. Qualecunque Jus habuit Christus quod non habuit B. Virgo, illud per sui oblationem nec abdicavit à se, nec abdicare potuit, quia competebat illi vt Deo: ergo licet habuerit jus quod non habuit B. Virgo, non propterea plus obtulit, quàm obtulerit B. V. Vlteriùs, Pater Cœlestis per oblationem à Christo factam, nihil novi juris acquisivit, quod non habuerit antè, excepto ipso actu voluntatis humanæ de novo posito: atqui hic actus non fuit aliquid infinitum: ergo quidquid vltra hunc actum obtulit, quod esset aliquid infinitum, illud etiam obtulit B. V. ergo majus jus Christi in rem oblatam, non facit vt oblatio Christi fuerit oblatio præstantioris rei, quàm fuerit oblatio B. Virginis.

112. Confirmatur. Ponamus Patrem Cœlestem noluisse in effectu ipso, seu ipso facto Christum in cruce immolari, sicut noluit immolari Isaacum ab Abrahamo, tunc sola interna affectio & parata voluntas Christi suffecisset ad redimendum genus humanum: ergo sufficeret sola oblatio affectiva rei infinitæ. Quæro nunc, si purus homo elicuisset talem affectum, quo paratus esset seipsum offerre etiam tunc, quando natura suscepta à Verbo assumpta: quæro, inquam, quid huic affectui deesset, quominus sufficeret ad redimendum genus humanum? An jus actuale in rem infinitam? atqui hoc non est necessarium, si sufficere potest affectiva oblatio: ergo si hæc non sufficit in pura creatura, & tamen sufficeret in Christo, hæc sufficientia non provenit adæquate ex effectu offerendi rem infinitam, sed ex actuali dignitate Personæ offerentis, vt dicemus: nam per hanc solam differt Christus à puro homine, in casu posito.

113. Meliùs ergo probatur Conclusio illa ratione, quam paucis indicavit Pontifex in verbis citatis. Opera meritoria & satisfactoria dignificantur in ordine ad præmium à dignitate Personæ operantis: sed hæc in Christo est infinita: ergo ejus opera dignificantur infinitè: atqui non dignificarentur infinitè, si posset eorum dignitas exæquari præmio aliquo determinato finito: ergo dignificantur ad præmium majus quocunque præmio finito, hoc est, quocunque præmio remuneranti nondum est verum dicere: majore præmio non sunt digna merita Christi.

114. Pro majori hujus argumenti declaratione sciendum est, dignitatem operis ad præmium, esse formam contradistinctam ab opere ipso, considerato præcisè secundùm suam bonitatem & laudabilitatem moralem, quam habet ex entitate sua & objecto. Hinc nostra bona opera supernaturalia non merentur de condigno vitam æternam, nisi sint opera facta in gratia sanctificante, quæ est forma dignificans illa opera, vt habetur in Conc: Trid. sess. 6. c. 16. & sess. 4. c. 8. propterea primam Gratiam sanctificantem nemo meretur de condigno, vt dictum in tr. de Merito.

115. Eodem igitur modo Verbum divinum vnitum Humanitati, hoc ipso quòd terminando Naturam, & complendo eam in ratione *Subsistentiæ* in Persona Verbi, faciat, quòd opera illius humanitatis sint verè opera Dei, hoc ipso, inquam, dignificat illa ad aliquod præmium proportionatum. Hinc verò

Deducitur vlteriùs, quòd cùm dignitas Verbi sit in se infinita, hoc ipso plùs dignificet, quàm quæcunque dignitas creata possibilis. Hæc autem major dignificatio vtique non debet esse merus titulus, hoc est, non debet tantùm majore titulo, dignificare ad aliquid determinatum, v. g. ad præmium A. ad quod etiam, sed inferiore titulo, posset dignificare dignitas finita & creata: sed debet esse dignificatio ad præmium, quo major excogitari non potest: omne enim præmium, quo potest excogitari majus, potest esse præmium condignum alicujus dignitatis creatæ, vtpote quæ potest semper augeri in infinitum.

116. Confirmatur. Sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita se habet magis ad magis: atqui lemma per quam dignus à non digno distinguitur, dignificat simpliciter ad præmiũ: ergo si comparetur magis dignus cum minùs digno, forma magis dignificans

dignificans dignificabit ad plus præmij, quàm forma minùs dignificans: ergo à primo ad vltimum, dignitas Verbi dignificabit ad omne præmium excogitabile in infinitum: ergo ejus opera sunt valoris simpliciter infiniti. Ratio est, quia omne illud est in suo genere simpliciter infinitum, quo majus in illo genere excogitari non potest: sed non potest excogitari meritum majoris valoris, quàm quod est dignum omni præmio excogitabili. Ergo &c.

§. IX.

Solvuntur Objectiones.

117. OBjicies 1. Personalitas divina non est adæquata ratio constitutiva meriti in ratione meriti, quia meritum vt meritum constat etiam Bonitate morali operis, & potest ex hoc capite constitui in genere meriti imperfecti, seu inferioris: ergo ex infinitate Personæ non infinitabitur meritum simpliciter quoad valorem, sed tantùm secundùm quid, & in genere valoris imperfecti: ergo iste valor non est simpliciter infinitus. Probatur consequentia. quia pro diversitate bonitatis moralis etiam crescit valor: ergo valor operis habentis minorem bonitatem moralem, erit etiam minor: ergo hocipso non erit simpliciter infinitus.

118. Ad hanc objectionem respondet Card. de Lugo à n. 14. Distinguendo duas formalitates in operibus Christi, nempe rationem meriti, & rationem Valoris: in ratione meriti fatetur non esse simpliciter infinita, quia non habent infinitam vim movendi, sed finitam, & vnum potest habere majorem vim movendi quàm alterum, & esse melius altero, quoad honestatem desumptam ex objecto & modo tendendi. In ratione verò Valoris, docet opera Christi meritoria omnia esse æqualia, hoc est omnia & singula valere præmium quodcunque excogitabile: adeoque licet vnum magis moveat altero, non tamen movet ad plus quàm alterum.

119. Declarat hoc auctor vlteriùs hoc modo. Dignitas Personæ non elevat aut dignificat valorem operis ad majus præmium, formaliter loquendo, sed tantùm materialiter. consideratur enim ipsum opus bonum antecedenter ad cognitionem personæ, & solùm secundùm bonitatem moralem quam habet, & quâ placet Deo, & vt sic æstimatur illud opus esse dignum magno præmio. Deinde verò ad discernendum, quodnam futurum sit *magnum præmium*. attenditur ad dignitatem Personæ præmiandæ, cujus dignitas potest esse tanta, vt licet præmium A. esset magnum respectu alterius, v.g. respectu hominis plebeij, non tamen esset magnum respectu Principis, &c.

120. Hinc ad propositum deducit auctor, valorem meritorum Christi esse simpliciter infinitum, licet in ratione meriti non sint infinita. Nempe quia Christus est Deus, respectu cujus nullum præmium finitum & determinatum est quid magnum: ergo valor se extendit vltra quodvis determinatum præmium finitum: ergo ad præmium quodcunque excogitabile, majus & majus in infinitum.

Hanc doctrinam, quam nemo non videt esse plenam ingenio & judicio, ad rigidum examen revocavit Arriaga d. 10. quæ tamen illi objicit, procedunt ex proprijs principijs hujus auctoris, quæ jam alibi rejecta sunt.

121. Ego imprimis assentior Cardinali de Lugo quoad hoc, quòd spectatâ bonitate morali operum, detur, aut certè dari posset in operibus Christi inæqualitas, & consequenter vt sic non habeant bonitatem infinitam: quod etiam agnoscit Card. Pallav. n. 103. dicens, [merita Christi non esse infinita secundùm se, & ratione bonitatis propriæ: vnus enim actus Christi potuit esse melior alio, & collectio plurium actuum melior quàm vnicus actus: alioquin non magis placuisset Christus Deo per obedientiam vsque ad mortem, quàm si tenuissimum actum supernaturalem elicuisset: & ideo disparem etiam habuêre vim ad movendum Deum in actu secundo, vt patuit ex eo, quòd Deus voluit reipsâ totam illam collectionem meritorum, & non fuit contentus vnico actu,] Ita Pallavicinus.

122. Assentior Lugoni 2. quòd antequam consideretur dignitas Personæ, non possit Remunerator adhuc determinare gradũ præmij materialiter & absolutè loquendo, sed tantùm formaliter & respectivè. Ratio est, quia pro diversitate dignitatum, diversus etiam est valor operum in ordine ad præmia matetialiter taxanda.

Illud tamen vlteriùs explicandum est, quà ratione omnis Christi actus promeritus sit præmium magnum ratione suæ Bonitatis Moralis, & promeritus fuisset per quemcunque inferioris notæ actum. Deinde etiamsi concederetur, quòd aliquis actus Christi promeritus esset præmium solummodo parvum, adhuc fuisset infiniti valoris.

123. Ad primum dico, ideo omnem actum Christi promeritum, & promeriturum fuisse præmium magnum, quia omnes ejus actus fuerunt supernaturales, & dignificati à Sanctitate Christi: ergo ad minimùm promeriti sunt aliquem gradum Gratiæ sanctificantis, non quidem qui daretur ipsi Christo habenti jam plenitudinem Gratiæ, sed alteri supposito: atqui omnis gradus Gratiæ sanctificantis est secundùm se quid magnum: esto posset dici quid parvum respectu maximæ intensionis Gratiæ. ergo &c.

Ad 2. dico, hoc ipso quòd omnis actus meritorius Christi fuerit dignificatus à dignitate infinita, quidquid Christo dari potest in præmium, est respectu illius dignitatis aliquid parvum: ergo omne excogitabile præmium erit aliquid parvum: non esset autem parvum omne præmium excogitabile, si aliquod determinatum præmium adæquaret actum Christi etiam infimum: posset enim eò usque

eò vsque augeri, vt evaderet præmium magnum: ergo omnis actus Christi, quomodocunque remissus aut facilis, modò fuerit meritorius, quocunque sensu dicatur meritus esse præmium parvum, semper tamen est meritus omne præmium excogitabile, quia respectu Christi & cujuscunque actûs illius meritorij, omne præmium excogitabile est parvum.

124. Hinc patet, quid ad objectionem sit respondendum. Negatur enim consequentia: quia objectio saltat à Bonitate Morali ad Valorem actûs, desumptum à dignitate personæ; quæ tamen sunt distinguenda; nam bonitas moralis non includit dignitatem personæ, sicut valor.

Objicies 2. Si dignitas Personæ augeret valorem operum, multa inconvenientia sequerentur, v. g. si inter Canonicos aliquis esset Princeps, tunc in distributione *Præsentiæ* vt vocant, plus deberet accipere Princeps quàm Nobilis: item si Princeps dans nomen militiæ, à principio stationem communem obiret, deberet illi majus stipendium persolvi, quàm gregario militi: item quando proponeretur præmium aliquod hastiludio, vbi diversarum dignitatum personæ concurrere, simúlque certare solent, præmium quòd esset condignum respectu vnius, non esset condignum respectu alterius; quæ omnia sunt contra sensum & praxin. R. Instantias has nimiùm probare, nempe quòd major dignitas non mereretur majorem honorem, quia Canonico Principi non exhibetur in choro major honor, quàm si non esset Princeps, & Princeps miles equitans cum suo Duce Nobili, debet sinistrum latus occupare, vt ipse spectavi. Itaque negandæ sunt omnes sequelæ: Quando enim dicitur, quòd dignitas personæ taxet valorem operis, intelligendum est de dignitate aliquo modo conducente ad ipsum opus, & quæ aliquo modo operi impendatur, hoc est, quæ sit proprium & competens ac proportionatum principium talis operationis, & non se habeat impertinenter. Jam verò in allatis exemplis habet se major illa digniras impertinenter, & censetur ad talem actum tantisper seponi. Non ita se habet Gratia sanctificans, vel vnio hypostatica ad actus supernaturales; sunt enim horum proprium & proportionatum principium seu radix. Vnde quando actus supernaturalis ponitur sine tali radice præexistente, non habet formam dignificantem, quia non procedit à suo principio competente: sicut si miles aliquis gregarius faceret facinus Rege vel Duce dignum, & quod à Duce fieri debuisset, non propterea mereretur de condigno illud ipsum præmium, quod de condigno meritus esset Dux, si illud perpetrâsset. Econtra si Dux aliquis ageret Duce indignum, quod tamen deceret gregarium militem, v. g. pulsaret tympanum, vel fistularet militibus procedentibus ad excubias, talis actus vtique non dignificaretur à dignitate Ducis, quin potiùs pro præmio reprehensionem mereretur, quòd ad actus suâ Personâ & officio indignos se demisisset.

125. Objicies 3. In injurijs realibus, hoc est commissis in bonis fortunæ, (nam aliter accipiunt Juristæ, nempe prout opponuntur verbalibus) earúmque compensationibus, teste Aristotele 5. Eth. c. 4. nihil interest quis læserit, sed solùm attenditur ratio quantitatis Damni, & Restitutionis: ergo valor operis non crescit ex dignitate satisfacientis. R. Distinguendo consequens: Valor operis vt præstandi ex Justitia commutativa, & pro damno injustè dato, concedo: valor operis vt Meritorij, & in ordine ad præmium, nego consequentiam. Disparitas est, quia Justitia respicit & intendit Æqualitatem Juris alieni, & vt aliter tantundem habeat post læsionem, quantum haberet, si læsus non esset: jam verò qui lædit, non propterea minùs lædit in bonis fortunæ, quòd is qui lædit, sit dignior alio tantundem damni inferente. Meritum verò respicit liberalitatem remuneratoris: & dignitas operi impensa, est mensura proportionis præmij cum merito relicta talis personæ: ergo quò est major dignitas, eò meretur majus præmium.

126. Objicies 4. Si pro dignitate personæ merentis crescret valor meriti, tunc etiam pro dignitate remuneratoris crescret valor præmij: sed hoc est absurdum: sequeretur enim, quòd quò dignior esset remunerator, cæteris paribus minus dando æquè condignè præmiaret ac alius inferioris dignitatis remunerator. Vnde vlteriùs infertur, quòd Deus retribuendo non quantumvis vilem, adæquaret, imò superet, quodcunque præstantissimum meritum, quia Deus est infinitæ dignitatis.

Respondent aliqui, assignando hanc disparitatem: quòd incrementum valoris meriti pro majori dignitate merentis, plurimùm conducat & promoveat finem à natura intentum in imbuenda honestate remunerationis & præmij, qui finis est, vt alliciantur homines ad egregia opera præstanda: at verò, incrementum valoris præmij pro dignitate remuneratoris, hunc finem potiùs impediret quàm promoveret: ergo illud primum debebat institui, non hoc posterius.

Hæc tamen responsio non est fundamentalis. Non omne quod majorem stimulum addit bene operandi, debuit hoc ipso à natura institui, alioquin debuisset natura inducere obligationem præmiandi, quam tamen non induxit: sufficere ergo poterat Naturæ per æquale præmium æqualem omnibus stimulum indidisse; vel si hoc non sufficiebat, hæc insufficientia esset vlteriùs declaranda. Itaque

127. Respondet aliter P. Esparza q. 10. a. 1. disparitatem esse, quòd qui subit laborem, & desperat difficultatem operis meritorij, quærat in compensatione suam vtilitatem, cujus mensura est quod accipitur, & non dignitas conferentis. at remunerans præmiando quærit gloriam ex obsequio: ad gloriam autem remuneratoris confert plurimùm dignitas obsequentis. Hæc

Hæc responsio non est Vniversalis, solùm enim procedit de illis Meritis, quæ in obsequium remuneratoris diriguntur, quasi hæc sola dignificentur à dignitate operantis ad majus præmium, quod est falsum. Nam & quæ ad nullius alterius obsequium diriguntur, sed solius operantis honestatem quærunt, dignificantur ad majus præmium.

128. Aliter ergo, & juxta dicta, respondeo, negando paritatem. Disparitas est, quia, vt dictum est, præmium debet dari secundùm æstimabilitatem quam habet apud talem personam: vnde id quod respectu inferioris esset æstimabile, respectu superioris non esset æstimabile, sed parvum & vile. Non præmiaretur autem condignè, si cui pro opere egregio daretur præmium vile. Verbo. Valor & æstimatio præmij vilescit ex majori dignitate merentis, & per consequens valor meriti inde crescit: v. g. si gregario militi pro Ducali facinore darentur centum aurei, esset præmium magnum, & condignum, quia centum aurei sunt valde æstimabiles tali conditioni hominum: si verò pro eodem facinore darentur Duci, putaret se potiùs contemni quàm honorari: ergo vt condignè præmiaretur, major longè summa danda esset: ergo ex eodem capite ex quo decrescit valor præmij, crescit valor meriti. Jam verò dignitas præmiantis non auget valorem præmij; præmians enim vnicè quærit vtilitatem illius qui præmiatur: non est autem vtilius accipere centum à Rege, quàm à Mercatore, nunquam enim valebunt plùs quàm centum, ex eo quòd accepti sint à Rege.

129. Objicies 5. Si dignitas major argueret valorem operis, sequeretur, etiam plus præmij pro æquali opere accepturum esse eum, qui est sanctior, quàm eum qui est minùs sanctus: consequens videtur absurdum, & contra sensum communem: sequeretur enim, quòd si quis sanctissimus, in fine vitæ eliceret actum tenuissimum meritorium, quòd, inquam, per illum actum tantum præmij consequeretur, quanta erat tota sanctitas præcedens: quia à quovis gradu illius sanctitatis dignificaretur ad novum gradum gratiæ & sanctitatis.

Ad hanc objectionem respondet Arriaga, negando sequelam. Sed nullo jure negari potest: & videtur esse clara S. Thomæ *in 2. dist. 29. q. 1. a. 4.* dicentis, quòd quantò majori gratiâ actus informatur, tantò magis sit meritorius. Ad objectionem ergo concessâ sequelâ, negatur Minor; ad cujus probationem negatur sequela: nam gratia actum præcedens, non dignificat actum ad majus præmium secundùm proportionem Arithmeticam, sed secundùm Geometricam, majoris ad minus, de qua re dixi in Tr. de Gratia.

130. Replicabis tamen. Si major Gratia dignificat ad majus præmium, & majorem satisfactionis valorem, sequitur, eum qui in purgatorio est sanctior alio, cæteris paribus esse clementiùs puniendum. Ad hanc replicam posset responderi primò cùm Card. de Lugo n. 67. concedendo sequelam, quæ sanè nihil habet inconveniens, possétque probari ex humana Politia, in qua videmus pro æquali delicto inæqualiter puniri nobilem & plebejum.

Responderi tamen potest cum communiori sententia, negando sequelam. Disparitatem assignat P. Esparza, quia animæ in purgatorio habent se merè passivè, & non satisfaciunt, sed satispatiuntur: atqui in satispassionem non influit Gratia vel dignitas præexistens, sed habet se otiosè & impertinenter.

Verùm vrgeri potest ex humana politia, & assignandum discrimen, quare in hac leviùs puniatur ille qui dignior est, pro æquali delicto, qui autem est minùs dignus, puniatur graviùs.

131. Respondeo, hoc in humana Politia ex alijs caussis provenire posse, quæ de animabus Purgatorij non procedunt. Imprimis, quia fortassis opera personæ dignioris, quæ deinceps sperantur, sunt Reipublicæ magis proficua, & horum intuitu aliqua pars pœnæ remittitur, v. g. pœna capitalis mutatur in pecuniariam. Deinde pœna secundùm se levis, potest & solet in homine digniore caussare majorem animi dolorem, vel diminutionem æstimationis apud alios: & propter hujusmodi effectus hîc & nunc annexos, jam crescit illa pœna secundùm se levis, & evadit non minùs gravis, quàm sit illa, quæ propter idem delictum inferiori infligitur, v. g. si alicui Comiti interdiceretur accessus ad aulam Cæsaream, esset fortassis æquè gravis pœna, propter alios effectus connexos, atquè est proscriptio ex Imperio alicujus vulgaris hominis. Denique dici potest, quòd nobilitati per modum privilegij concedatur, vt mitiùs puniantur, sicut ijsdem conceditur Beneficium Competentiæ, vt scilicet non possint excuti, & ad cessionem Bonorum cogi. Nihil horum accommodari potest animabus purgatorij, vt sanctiores mitiùs puniantur, si cætera sint paria, quia satis illis esse debet, quòd majori sanctitati respondeat major gloria æterna; nec de alio privilegio constat ex SS. litteris aut Ecclesiæ declaratione, aut traditione, ac proinde non est asserendum.

Hucusque retulimus objectiones quæ generaliter oppugnant incrementum valoris operis juxta incrementum dignitatis. Restant solvendæ illæ, quibus specialiter oppugnari potest valor simpliciter infinitus Meritorum Christi. Itaque

132. Objicies 6. Ex eo quòd dignitas Verbi sit simpliciter infinita, non rectè infertur, inde dignificari opera Christi ad valorem simpliciter infinitum, quia major dignitas tantùm dignificat ad majus præmium secundùm proportionem Geometricam, & non Arithmeticam, vt paulò antè dictum est: ergo valor meritorum Christi non est simpliciter infinitus. R. Distinguendo antecedens. Non rectè infertur quòd dignificet ad præmium æquale ipsi dignitati præexistenti, concedo: non rectè infertur dignificare ad

præmium syncategorematicè infinitum, sed semper inferius dignitate operantis, nego.

133. Replicabis. Si per impossibile darentur duo Dij, & vnus alteri præstaret obsequium, tunc vtique plus apud alterum mereretur, quàm defacto Christus promeritus est, qui operatus est per naturam creatam assumptam, quæ videtur dignitatem Verbi quodammodo deprimere, & opus ejus vtpote creatum, reddere vile: atqui ille Deus non mereretur nisi præmium syncategorematicè infinitum, hoc est, omne præmium excogitabile! ergo Christus defacto non est illud promeritus. Respondent RR. & inter illos P. Esparza, negando majorem. Nam Ens simpliciter infinitum hoc gaudet privilegio seu prærogativâ, vt ne quidem per consortium principij creati vilescat. Respondeo tamen vlteriùs, negando suppositum, nempe, quòd concipi possit opus Dei per divinam naturam factum esse meritorium, & hoc ex duplici capite. Primum, quia meritum formaliter dicit arduitatem, vt dixi in Tr. de Merito: Opus autem divinum formaliter excludit arduitatem. Secundò, quia Meritum quà tale, exigit procedere à natura capaci augmenti felicitatis, quia respicit præmium, hoc autem conceptu iterum formaliter destruitur subjectum illius hypothesis impossibilis, adeoque nugatoriæ & inutilis, quales omnes sunt, quæ formaliter destruunt conceptum subjecti, vt docui in Logica: cujusmodi sunt hæ: si homo esset irrationalis: si tenebræ essent lux &c.

134. Objicies 7. Suprà diximus, quòd dignitas offensi non augeat malitiam offensæ in infinitum, vt sit simpliciter infinita: atqui dignitas Merentis non potest magis augere Valorem Meriti, quàm dignitas offensi malitiam offensæ: ergo consequenter dicendum esset, quòd dignitas merentis non augeat valorem meriti in infinitum: & sicut malitia offensæ non augetur ad omnem pœnam excogitabilem, ita nec valor meritorum augebitur ad omne præmium excogitabile. R. Negando paritatem. Disparitas est, quia Dignitas Verbi secundùm totam dignitatem suam, prout in seipsa est, dignificat, quia Verbum secundùm se totum impenditur operi, & in ratione principij habet proportionem cum illo. Econtra dignitas offensi solùm influit in offensam objectivè, & solùm auget in quantùm existit in intellectu offendentis: atqui hujus cognitio semper est imperfecta & inadæquata: ergo dignitas offensi non influit totaliter in offensam.

135. Objicies 8. Si meritorum Christi valor esset simpliciter infinitus, sequeretur, dari valorem ad præmium impossibile, quia præmium simpliciter infinitum est impossibile. Consequens autem est absurdum, daretur enim meritum quod Deus per nullam potentiam posset præmiando compensare. Pro solutione

Distinguendum est inter efficaciam seu virtutem in actu primo, & eandem vt exit in actum secundum. Itaque quemadmodum philosophi discurrunt de Omnipotentia Dei, quæ in actu primo est simpliciter infinita, licet actus secundus non possit esse nisi finitus, ita dicendum est de merita Christi esse quidem simpliciter infinita, & valoris infiniti in actu primo, ita tamen vt in actu secundo non obtineat, nec obtinere possit nisi præmium finitum: & sicut Omnipotentia Dei non potest exire in actum secundum, nisi quousque voluntas Dei determinaverit, ita valor meritorum Christi non obtinet in actu secundo nisi quod ipse Christus voluerit & determinate petierit: hoc autem semper est Deo possibile, neque aliam infinitudinem valoris asserimus.

136. Objicies 9. Valor meritorum Christi posset adæquatè compensari, si illi in præmium daretur alia vnio hypostatica cum alia natura: ergo valor non est infinitus in sensu posito. Probatur antecedens: quia esset ejusdem pretij cum illa vnione per quam merita acquirunt valorem. Responderi potest primò, negando hypothesin: Repugnare enim videtur, quòd alia Vnio hypostatica detur Christo in præmium, quia respectu Christi non haberet rationem boni: præjudicaret enim ejus supremæ dignitati & dominio in omnes creaturas. Confirmatione potest ex Antiphona Ecclesiæ quæ habetur in Adventu, vbi Christus introducitur gloriabundus, his verbis. *Ante me non est formatus Deus, & post me non erit, quia mihi curvabitur omne genu, & confitebitur omnis lingua:* atqui non esset bona hæc gloriatio, si alius Christus posset esse præmium, & aliquid optabile huic Christo, quia existeret aliquis qui illi non curvaret genu. Verùm præmittendo quòd hoc esset possibile, adhuc respondetur Negando antecedens: nam Vnio hypostatica est tantummodo bonum finitum, vt constabit ex infrà dicendis de Sanctitate Christi.

137. Objicies 10. Si merita Christi essent infinita, mererentur omne præmium excogitabile in quibuscunque circumstantijs excogitabilibus: sed hoc est falsum. ergo &c. Minor probatur. Ponamus dari duos Christos, tunc si Christus A. mereretur omne præmium excogitabile, mereretur etiam hoc, ne alter Christus exaudiretur in sua petitione: econtra alter mereretur exaudiri, quæ simul repugnant. Ad hoc varij variè respondent, & omnibus solvendum est, quia probat, quòd nec vile præmium mereatur. ponamus enim quòd vnus petat pluviam, alter serenitatem, & per consequens ac indirectè petat alterum non exaudiri: nunquid hæc sunt vilissima præmia? & tamen tunc non nisi vnus potest exaudiri.

138. Respondent ergo aliqui primò, negando esse possibiles simul duos Christos, & ideo negant suppositum. Verùm præsens objectio non est tanti, vt huc recurramus. Respondeo ergo aliter Card. Pallavicinus, negando quòd si duo Christi possent petere contraria, volunte absolutâ, & affectivè efficaci; pro qua petitione multa supponit admodum incerta, à quorum in præsenti est abstinendum. ac proinde

139. Re-

139. Respondeo cum Card. de Lugo, admittendo, quòd possint absolutâ etiam voluntate petere contraria, v.g. vnus mortem Petri, alter ejusdem vitam, dico amborum merita & preces fore dignas quæ exaudiantur, in sensu diviso; sed quia dignitas meriti non infert præmianti necessitatem præmiandi, penes Deum esset determinare, quem vellet præ altero exaudire: per quam exauditionem non tolleretur dignitas in actu primo meritorum Christi non exauditi. Neque est vlla repugnantia in duplici dignitate ad contraria & incompossibilia, quod pluribus exemplis declarari potest. Clarissimum est, quod affert Lugo: quando duo æquè digni concurrunt in petendo beneficio Ecclesiastico, quivis condigne id petit, & indirectè perit alterum non exaudiri: item quando concurrunt duo emptores ad eandem indivisibilem rem emendam, & quivis offert pretium condignum: profectò quivis condignè meretur rem sibi vendi, & non alteri. Quodsi hoc tibi non sufficit, dic, ad providentiam Dei spectare, impedire ne duo Christi petant contraria voluntate absolutâ.

140. Objicies 11. Si merita Christi essent infiniti valoris, necessitarent Deum ad amorem sui practicum: quia omne infinitum habet vim infinitam movendi ad sui existentiam: ergo Deus fuisset necessitatus ad ponendam Incarnationem & merita Christi, quod est absurdum. R. Negando sequelam. ad probationem R. 1. Distinguendo assumptum. Quod est infinitum bonum bonitate infinitâ propriâ & non alienâ, concedo: bonitate tantùm alienâ, nego: tunc enim sufficit, quòd illa bonitas ametur necessariò, quæ suam bonitatem communicat, & sic Verbum amatur necessariò. R. 2. aliter distinguendo. Infinitum bonum ex prædicato primario, necessitat, concedo: ex prædicato secundario, fundato in alio primario finito, nego. Valor operum Christi fundatur in bonitate morali, quæ etiam in operibus Christi est finita.

CONTROVERSIA IV.

Vtrum Satisfactio Christi fuerit ex rigore Iustitiæ.

§. I.

Quædam ad Statum Quæstionis præmittuntur.

141. NOtandum 1. Ad hoc vt quis dicatur ex rigore Justitiæ Commutativæ (de qua est hic sermo) satisfacere pro aliquo debito, necesse est, vt illud debitum non sit debitum qualecunque, v.g. ex Pietate, Gratitudine, Charitate, sed, quòd proveniat ex Jure Activo alterius, seu, ad quod præstandum obligetur à voluntate alterius, potentis ita obligare in suum commodum aut beneplacitum, vt ex professo declarabitur in Tr. 2. de Jure & Just.

142. Notandum 2. Præsentem controversiam potissimùm in eo consistere, an inter Deum & Christum intercesserit aliquod pactum seu conventio, vi cujus Christus fuerit ex Justitia commutativa obligatus præstare illas actiones, quibus redemit genus humanum: item an Deus, exhibitis illis actionibus, fuerit ex rigore Justitiæ commutativæ obligatus ad ea deinde præstanda, quæ redemptio generis humani requirebat, & in quæ per pactum præcedens conventum fuerat.

143. Notandum 3. Quæstionem præsentem posse in duplici sensu agitari. Primus est, an ex hypothesi, quòd inter Deum & purum hominem possit hujusmodi pactum vel promissio seu conventio intercedere, inducens vel vtrinque, vel ex vna parte obligationem Justitiæ, an, inquam, tunc ejusmodi pactum etiam potuerit intercedere inter Deum & Christum, vel an in hoc sit specialis repugnantia. Et hunc sensum sub hac hypothesi examinabo §. seq. Secundus sensus est circa ipsam hypothesin, an illa possibilis sit, an inquam inter Deum & puram creaturam possit intercedere hujusmodi pactum, quo Deus ex Justitia obligetur creaturæ ad aliquid præstandum. Item an contingere possit, vt creatura Deo obligetur ex Justitia, & peccando contra illam possit obligari ad aliquam restitutionem, spectantem ad Justitiam commutativam. de quibus ponentur reliqui §§.

144. Notandum 4. Omnes Virtutes morales quæ inter homines reperiuntur, etiam esse Deo tribuendas, exceptis illis quæ vel supponunt vel involuunt imperfectionem, cujusmodi est Obedientia, quæ involuit subjectionem & inferioritatem, Gratitudo, quæ supponit subjectum capax Beneficij, Pœnitentia, quæ supponit culpam, & sic de pluribus. Quæstio ergo est, an Justitia Commutativa involuat vel supponat aliquam imperfectionem, propter quam Deo tribui non possit.

§. II.

Vtrum Satisfactio ex rigore Justitiæ repugnet in Christo ex speciali ratione.

145. DICO 1. Nulla est in Christo specialis repugnantia, quò minùs potuerit Deus Christo, & Christus Deo obligari ex pacto, si hoc non repugnat inter Deum & puram creaturam. Probatur, referendo & dissolvendo ea, quæ videri possent specialem repugnantiam arguere.

146. Objicitur ergo 1. Justitia est Virtus ad Alterum: atqui inter Deum & Christum non est sufficiens Alteritas: ergo non potest intercedere obligatio ex Justitia. Minor probatur. Christus in recto, & vt principium *Quod*, importat ipsum Verbum: sed Verbum non est distinctum à Deo: ergo Creditor & Debitor non essent sufficienter distincti. R. Vt jam suprà in simili responsum est, negando minorem: sicut enim ad merendum & ad obediendum sufficit Alteritas in ratione natu-

ræ & voluntatis, ita etiam ad satisfaciendum ex Justitia, & ad servandum pactum sufficiet hæc alteritas. Verbo. Si Deus se potest obligare creaturæ, poterit se obligare illi naturæ & voluntati, quæ est humanitatis assumptæ, & per consequens, poterit deinde huic obligationi satisfacere: hæc autem satisfactio spectabit ad Justitiam commutativam, quia habet pro mensura & regula voluntatem distinctam.

147. Objicitur 2. Quod non debetur, non potest præstari ex Justitia: sed satisfactio pro peccato generis humani, non debetur. ergo &c. Minor probatur. Quod est impossibile, non potest deberi. sed condigna satisfactio fuit generi humano impossibilis: ergo non debebatur à genere humano. Ergo nec poterat à Christo deberi: Vbi enim debitum principale nullum est, non potest per Novationem tale debitum in alium transferri.

R. Distinguendo vltimam consequentiam. Non potest deberi secluso omni pacto, concedo: accedente pacto, nego consequentiam. v. g. si quis occidat alterum, non tenetur ad restitutionem vitæ, quia est impossibilis: si tamen aliquis habens donum Miraculorum, promitteret alteri, se mortuum resuscitaturum, teneretur: Ergo pariter, licet genus humanum non potuerit condignè satisfacere, & per consequens ad hoc non obligaretur, quia tamen Christo hæc condigna satisfactio fuit possibilis: tunc si se per pactum ad hoc potuit obligare Deus, quòd velit illam acceptare, & Christus quòd velit illam exhibere, jam potuit nasci obligatio: neque tunc fieret Novatio, seu obligationis translatio, sed Christus esset obligatus primò & principaliter.

148. Objicitur 3. Qui solvit vltra debitum, & quidem tali solutione, quæ consistat in indivisibili, ita vt nulla formalitas possit etiam per intellectûs præcisionem assignari, quæ debitum adæquet, & non excedat, non solvit ex rigore Justitiæ, sed potiùs ex liberalitate: sed hujusmodi fuit satisfactio Christi: ergo &c. R. Supposito pacto de exhibendis tot & talibus actionibus, nego minorem. Nam licet satisfactio Christi fuerit superabundans in hoc sensu, quòd longè pauciores actus condignè satisfeciissent, consideratâ condignitate in actu primo; attamen in actu secundo tota debebatur ex suppositione pacti. Pari modo Deus etiamsi quocunque præmio dato nunquam ita præmiet merita Christi, vt majoris præmij non sint digna, præmiat tamen adæquatè, si plus præmij non est deductum in pactum.

§. III.

Vtrum præjudicaret perfectissimo Dominio Dei, si obligaretur creaturæ ex Iustitia Commutativa.

NEgant præjudicare Suarez, Bellarm. Ledesma, Rebellus, Valentia, Zumel, apud Card. de Lugo. Item Arriaga, Mendoza, VVadingus, Compronus, alij.

Affirmat Abulensis, Durandus, Banner, Supletonus, Vasquez, Amicus, Lugo, Oviedo t. 2. tr. 9. C. 8. de Merito pu. 9. Pallav. Esparza.

149. DICO 2. Si Deus obligari posset creaturæ ex Justitia Commutativa, hoc ipso non haberet Dominium perfectissimum in res omnes creatas. Probatur Conclusio. Ille non habet Dominium perfectum & jus absolutissimum in res omnes, qui vi juris alieni non habet amplius potestatem moralem de re aliqua pro libitu disponendi. sed si Deus obligaretur alteri ex Justitia ad aliquid, v.g. ad conservandum equum, non haberet amplius potestatem moralem de equo disponendi pro libitu: ergo. Majorem suppone ex Tract. 2. de Jure & Just. Minor probatur. Non enim posset Deus amplius equum pro libitu destruere, sicut posset, si non esset obligatus: cum enim obligatio est vinculum morale potestatis, & obligatio proveniens ex jure alterius, est vinculum morale potestatis, tribuentis aliquo (hoc est seclusâ obligatione) Jus aliquid faciendi vel impediendi: ergo est manifesta diminutio Juris amplissimi & absolutissimi. Pari modo si Deus se obligaret ad aliquid faciendum, vel non faciendum, aut non impediendum, non esset amplius Dominus aut quasi dominus illius juris, cujus esset, si se non obligâsset, sicut qui in fundo suo habet servitutem itineris, actûs vel aquæ non est amplius dominus illius juris, quo potest alium prohibere, ne eat per fundum suum, navigat vehiculum, aut jumentum &c.

150. Respondent aliqui 1. Negando minorem. Nam, inquiunt, Deus rem aliquam tradens aut promittens, vtique liberè tradit aut promittit: ergo erat potens non tradere, non promittere: & hoc sufficit, vt possit pro libitu disponere de re sine cujusquam injuria.

Sed contrà. Nam etiam homo donans aut promittens est in sensu diviso potens non donare, non promittere: quia tamen per traditionem aut promissionem obligatur ad rem non repetendam aut auferendam, ad standum promisso, ideo simpliciter per traditionem aut promissionem subit diminutionem sui juris, quam non subiret, si non traderet aut promitteret. ergo idem contingeret in Deo, aut est alia disparitas assignanda.

151. Respondent alij 2. Deum ideo amittere post promissionem aut traditionem manere Dominum perfectissimum rei traditæ aut promissæ, quia licet factâ traditione aut promissione non possit ampliùs disponere, sicut potuisset non factâ traditione aut promissione, hoc tamen non provenit ex defectu Dominij, sed ex immutabilitate voluntatis divinæ, quia scilicet non potest simul velle contraria: cùm ergo donando &c. habuerit voluntatem non ampliùs deinceps de re illa aliter disponendi, jam repugnat posse velle de re illa aliter disponere.

152. Sed

152. Sed contra argumentor 1. Si hæc immutabilitas voluntatis sufficeret ad hoc, vt adhuc post collationem juris perseveraret plenissimum dominium rei collatæ, sequeretur, quòd quando humanitas Christi Domini solvit Tributum, adhuc retinuerit Dominium pecuniæ solutæ: quia cùm fuerit impeccabilis, non potuit non habere constantem voluntatem relinquendi pecuniam solutam.

153. Contra 2. Collatio Juris non est formaliter voluntas non contraveniendi Juri; potest enim quis se obligare alteri, v. g. maritus vxori, & tamen habere expressam voluntatem adulterandi: in quo casu admittendo adulterium non mutaret vllo modo voluntatem, quia semper vellet esse obligatus ad servandam fidem maritalem. Itaque si Deus posset se obligare creaturæ, & tamen adhuc maneret Dominus plenissimus, posset habere voluntatem conferendi jus creaturæ, & simul velle illud jus violare ex potestate sui dominij, quod tu vis permanere, & hoc absque vlla mutatione voluntatis: hæc autem cùm repugnantiam involvant (repugnat enim habere facultatem faciendi contra jus alterius) rectè colligitur, non ex immutabilitate voluntatis, sed ex defectu Dominij pleni non posse Deum ampliùs de re disponere.

154. Confirmatur. Si præcisè ex immutabilitate divinæ voluntatis, & non potiùs ex defectu dominij plenissimi proveniret, quòd factâ semel rei traditione vel promissione non posset Deus postmodum ampliùs de re pro libitu disponere, aliter quàm promisit, tunc si per impossibile voluntas Dei esset mutabilis, & Deus post promissionem vellet de re aliter disponere quàm promisisset, nullam faceret creaturæ injuriam: consequens est contra adversarios, & absurdum: ergo non ex immutabilitate voluntatis, sed ex defectu dominij, seu ex vi juris alieni provenit, quòd non possit Deus aliter disponere. Minorem adversarij vltro concedunt, & facilè probatur. Tunc fit injuria, quando contra jus alterius agit ille, qui ex justitia obligatur ne sic agat: sed in casu posito Deus ageret contra Jus creaturæ, & contra suam obligationem ex Justitia: ergo. Breviter: Quando Doctores formant præsentem quæstionem, an Deus possit obligari creaturæ ex Justitia, statum quæstionis declarant per hypothesin impossibilem, an Deus ita possit obligari creaturæ ex Justitia ad hoc vel illud agendum, vt, si non ageret, faceret creaturæ injuriam, vt videre est apud Card. de Lugo d. 3. s. 1. n. 3. & hoc affirmant adversarij. Probatur ergo major, & per consequens, quòd ex adversariorum sent. sequerentur contradictoria. Ille non infert alteri injuriam, qui vtitur Jure suo. sed in casu posito Deus vteretur Jure suo: nam ante promissionem poterat ita se gerere: & per promissionem (vt adversarij volunt) nullum Jus amisit: ergo à primo ad vltimum non ex immutabilitate voluntatis præcisè, sed etiam ex defectu Dominij & Juris plenissimi proveniret, quòd Deus non posset ampliùs de re pro libitu disponere.

155. Placet hîc breviter insinuare duo alia Argumenta pro Conclusione nostra. Primum desumitur ex Impeccabilitate Dei. Nam cuicunque supposito repugnat malum culpæ & pœnæ, eidem repugnat etiam obligatio Theologica & Moralis. Habet enim omnis obligatio moralis, vt possit violari ab obligato, qui obnoxius fiat culpæ & pœnæ, quod probatur. Obligatio Moralis est necessitas vaga vel faciendi aut omittendi aliquid, vel peccandi ac subeundi reatum pœnæ si id non faciat, aut non omittat. ergo necessitas moralis non datur, vbi ejus violabilitas non datur. Antecedens probatur. Quia obligatio moralis est instituta vt medium, ad impediendum probabiliter id, quod hîc & nunc intelligitur posse fieri ab obligato, etiam stante obligatione. Vno verbo. Obligationes instituuntur ad absterrendum ab aliquo actu, & perinde est acsi legislator diceret: *si hoc feceris, eris reus pœnæ, eris meus inimicus.* De hoc argumento plura infrà, quando quæretur, an Christus habuerit præceptum moriendi.

156. Alterum Argumentum desumi potest ex simplicitate Divini Decreti. Nam adversarij in præsenti supponunt ad minimum duo Decreta, quorum vnum sit prius altero: Per prius quidem confertur creaturæ Jus, & est omnino liberum Deo: Secundum verò est reflexum supra prius, & est necessarium ex suppositione prioris, quo Deus dicat: *Quia tibi hoc promisi, & non possum non stare promissis, ideo præstabo.* Verùm hujusmodi decretum reflexum repugnare in Deo dictum est in primo libro.

§. IV.

Solvuntur objectiones pugnantes pro Justitia Commutativa in Deo.

157. Objicies 1. Promissiones divinæ salvâ Scripturâ negari non possunt. Deus enim promittit vitam æternam & alia plura, aliqua absolutè, aliqua conditionatè. vlteriùs, hæ promissiones proculdubio inducunt Deo necessitatem, seu obligationem saltem Fidelitatis: atqui hoc non potest aliter concipi, nisi præcedat in priori signo aliquis actus qui vocetur *Promissio*, quâ Deus se obliget ad aliquid faciendum, adeoque oppositum sibi reddat illicitum, ac deinde eliciat actum reflexum, quo dicat: *quia hoc promisi, & turpe est verbis non conformare facta, ideo faciam.* ergo in Deo est admittendus actus ad quem moveatur ab actu elicito in signo priore.

℟. Promissiones Dei non esse explicandas, sicut promissiones hominum. Nam inter homines potest promissio stare cum proposito non servandi promissa, & cum negatione rei promissæ, & ideo habet vim inducendi obligationem moralem, quæ sit loco necessitatis physicæ, quam non

Potest inducere in hominem, & per consequens potest accedere alius actus, quo reflexè velit huic obligationi satisfacere. In Deo verò promissio inducit Metaphysicam necessitatem, & non potest conjungi cum negatione rei promissæ: ergo promissio Dei non est voluntas se obligandi ad habendum alium actum reflexum, sed est voluntas faciendi aliquid in favorem promissarij, & hoc ipsum revelandi antecedenter ad executionem illius voluntatis. Hæc revelatio fundat in homine spem certam futuri eventûs, quia homo credit Deum omnia posse quæ vult, & quæ semel vult, non posse ampliùs nolle. Ipsa itaque Dei promissio est formaliter ipsa Fidelitas, id est, voluntas conformandi facta dictis.

158. Hanc promissionis divinæ explicationem postquam eam tradideram in Tr. de Sacramentis, reperi postea approbatam apud Card. Pallav. & P. Esparza, citatque pro eâdem D. Bonaventuram, Scotum, Durandum, & plures apud Ruiz d. 56. de Volunt. Dei s. 7. Specialiter autem adducendus est præcipuus adversariorum P. Suarez, in opusculo de Libert. Dei d. 2. s. 2. hic ergo postquam prolixè ex SS. Lit. probâsset, non posse Deo negari promissiones inducentes Debitum, hoc autem *Debitum* n. 9. dixisset, aliud non esse, quàm ipsam necessitatem faciendi rem promissam, postea n. 10. movet sibi objectionem, & ad eam respondet n. 13. his verbis. [Nihilominus est alius modus respondendi, qui mihi magis probatur: admittendo, Promissionem divinam aliud non esse, quàm declarationem divinæ voluntatis, & propositi de aliquo Beneficio alicui præstando, vel absolutè, vel existente tali conditione.] Postea n. 15. sic infert. [Simplex Dei assertio æquivalet assertioni juratæ: ergo multò magis æquivalet promissioni. Deinde ex S. Athanasio & evidenti ratione ostendit, Juramentum Dei aliud non esse, quàm simplicem assertionem, neque huic quidquam roboris aut firmitatis superaddere: imò omnem assertionem Dei esse Juramentum, quia Deus semper se in Testem adhibet: quandoque tamen expressiùs jurare se dicit, non ad addendam firmitatem, sed, vt S. Paulus loquitur, ad ostendendam pollicitationis hæredibus immobilitatem divini consilij, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatium haberemus.

159. Objicitur 2. Scriptura sæpè Deum in retribuendo *Justum* vocat, & S. Paulus Gloriam vocat Coronam *Justitiæ*: dicimur etiam empti esse pretio magno: atqui hæc omnia sonant Justitiam commutativam, & Scriptura debet accipi in sensu proprio, si possit. Eodem modo SS. PP. dicunt, Christum ad amussim Justitiæ satisfeciisse.

R. 1. Cùm ostenderimus, Justitiam Commutativam supponere in suo supposito imperfectionem, hoc ipso nec Scriptura nec PP. de illa Justitia accepta in rigore Scholastico intelligi aut accipi possunt, sed intelligi debent de Justitia seclusis imperfectionibus, & de Eminentiali potiùs quàm formali, nempe, quæ in effectu perfectè habeat, acsi in Deo daretur Iustitia communis propriè dicta.

160. R. 2. Deum dici *Justum* Iustitia providentiali & Gubernatrice, quæ non tantùm metaphoricè, sed propriè potest dici Iustitia, eò quòd ab Aristotele numeretur primo loco inter species Iustitiæ, vt observat P. Esparza. Pertinere autem ad Iustitiam Providentialem & Gubernatricem semper procurare id quod expedit Bono communi, & quod est juxta rerum exigentias. Hoc modo Deus semper est Iustissimus: quando enim operatur conformiter exigentijs physicis rerum, tunc adæquat earum exigentias perinde, acsi haberent Ius adversus Deum, quo sensu solent Philosophi dicere, quòd Materia prima habeat Ius ad Formam. Quando autem Deus in exigentias rerum dispensat, tunc semper facit compensationem, vt in primo libro probatum est. quo sensu loquitur etiam S. Dionysius *de divinis nominib. c.* [Divina, inquit, Iustitia omnia disponit ac determinat, omniaque non confusa inter se nec promixta custodiens, quod cuique accommodum est, tribuit.] Itaque, Deus dicitur justè agere cum omnibus, quatenus omnia coordinat summâ providentiâ, ne posteriora præjudicent prioribus, & nihil eveniat fortuitò. Hac ratione omnia Scripturæ & PP. Testimonia non solùm aptè explicantur, sed etiam quæ in speciem contraria videri possent, facilè conciliantur. Nam aliquando SS. PP. negant Deo Iustitiam. sic S. Anselmus apud Card. de Lugo ait: *Justus es, non quia reddis nobis debitum, sed quia facis, quod decet te summum bonum.* S. Bernardus Serm. 1. de Annuntiat. *Deus*, inquit, *merenti negaret præmium, nulli faceret injuriam.* S. Augustinus 1. Confess. c. 4. *Reddis debita nulli debens.* Nos hæc interpretamur: reddere Deum debita physica sine debito morali. lib. 3. de lib. arb. c. 16. *Deus*, inquit, *nulli debet aliquid.*

161. Sed, quæ sit in hoc puncto mens Angelici Doctoris D. Thomæ, audiamus. Is ergo 1. 2. q. 114. in C. expressè docet, quòd licet bona mereatur apud Deum, non tamen intercedit inter Deum & hominem Iustitia, quia homo omnia habet à Deo. Deinde in responsione ad 3. objectionem, quâ ex merito arguebat Deum fore debitorem creaturæ, respondet, quòd quia actio nostra non habet rationem meriti, nisi ex præsuppositione divinæ ordinationis, non sequitur, quòd Deus efficiatur simpliciter debitor nobis, sed tibi ipsi, in quantùm debitum est, vt sua ordinatio impleatur.

162. Vlterius, & quidem in proprio loco videl. 1. p. q. 21. a. 1. cujus titulus est: *Virum in Deo sit Justitia.* cùm sibi objecisset, quòd ratio Iustitiæ reddat debitum, sed Deus nulli est debitor. ad 3. sic respondet. [Debitum attendi potest dupliciter in operatione divina: aut secundùm quod aliquid debetur Deo, aut secundùm quod aliquid debetur rei creatæ: & vtroque modo Deus

Deus debitum reddit. Debitum enim est à Deo, vt impleatur in rebus id, quod ejus Sapientia & voluntas habet, & quod suam bonitatem manifestat: & secundùm hoc Justitia Dei respicit decentiam ipsius, secundùm quam reddit sibi, quod sibi debetur. Debitum etiam est alicui rei creatæ, quòd habeat id, quod ad ipsam ordinatur, sicut homini, quòd habeat manus, & quòd ei alia animalia serviant; & sic etiam Deus operatur Justitiam, quando dat vnicuique quod illi debetur secundùm rationem suæ naturæ & conditionis. Sed hoc debitum pendet ex primo, quia hoc vnicuique debetur, quod est ordinatum ad ipsum secundùm ordinem divinæ Sapientiæ. Et licet Deus hoc modo debitum alicui det, non tamen ipse est debitor, quia ipse ad alia non ordinatur, sed potiùs alia ad ipsum. Et ideo Justitia quandoque dicitur in Deo Condecentia bonitatis suæ, quandoque verò retributio pro meritis, & vtrumque modum tangit Anselmus, dicens: cum punis malos, justum est, quia bonitati tuæ condecens est.] Hæc S. D. & nos cum illo.

Ex hactenus disputatis colligitur, inter Deum & Christum non intercessisse Pactum inductivum obligationis reciprocæ ex Justitia. Vtrum verò Christus ex Iustitia potuerit se obligare Deo ad satisfaciendum pro peccato generis humani, patebit ex dicendis infrà de Impeccabilitate Christi, excludente omnem obligationem moralem.

§. V.

An pura creatura possit obligari & satisfacere Deo pro debito ex Iustitia Commutativa.

TRia in quæstionem veniunt. Primum, an homo possit erga Deum exercere actum Iustitiæ commutativæ. Secundum, an possit peccare contra Iustitiam debitam Deo, (quas duas quæstiones distinguo propter Recentiorem Hispanum, qui affirmat illud primum, & negat secundum.) Tertium, an ex peccato contra Iustitiam possit creatura contrahere obligationem restituendi propriè dictam.

163. DICO 1. Potest Creatura pura exercere erga Deum actum Iustitiæ Commutativæ. Ita communis contra Vasquez, & quosdam RR. Romanos. Probatur Conclusio. Omne Dominium & Ius Proprietatis est Terminus Iustitiæ Commutativæ: Deus habet perfectissimum Dominium Proprietatis: ergo habet Terminum Iustitiæ Commutativæ. Majorem concedunt Adversarij, & negant minorem, quæ quàm sit ex sensu communi, nemo ignorat. Fundamentum autem adversariorum hoc negandi, est meo judicio leve. Dicunt, Ius proprietatis tantùm reperiri in illis Suppositis, quæ ex re sua possunt capere aliquam vtilitatem, & ideo etiam definiunt Iustitiam Commutativam, quòd habeat pro mensura voluntatem alterius potentis obligare in suam Vtilitatem, atqui Deus nullam potest capere Vtilitatem ex creaturis. Ergo &c. Hanc tamen acceptionem rejeci Quindecim ab hinc annis, & dixi, dicámque in Tr. de Iure & Iust. non requiri plus, quàm quòd quis possit obligare in beneplacitum suum, sive hoc afferat Vtilitatem strictè dictam, sive non.

164. Reperio nunc hocipsum in M. S. Recentioris Hispani, qui dicit, ad Ius propriè dictum plus non requiri, quàm posse rem ordinare in quoscunque vsus, pro solo suo libitu, & arbitrio, & nullâ aliâ spectatâ vtilitate, quàm exercendi suam libertatem in propriam gloriam, quin vllus illi possit dicere nisi stultè, *Cur ita facis?* Addit vlteriùs, aliquos nimis scrupulosos esse, in negando, quòd Deus ex rebus possit capere aliquam vtilitatem. Nisi enim fiat lis de Vocabulo, omne quod est Bonum Naturæ Intellectuali, dicitur illi commodum: Deo autem esse Bona multa creata, dubitari non potest, vt sunt Honor, Fama, Laus &c. Vlteriùs, quia omnia quæ amantur alicui personæ amatæ propter se, dicuntur amari vt vtilia tali personæ; atqui omnia creata possunt & debent amari vt bona Deo propter se amato, verâ charitate: ergo sunt Deo vtilia. 3. Quia omnia illa quibus vtimur propter Bonitatem quâ fruimur, dicuntur vtilia vtentibus: atqui omnibus creatis Deus vtitur propter suam Bonitatem quâ fruitur: ergo creata sunt Deo vtilia. 4. Quia Fama secundùm illum respectum quem dicit: *Bonæ* ad habentem & illâ gaudentem, dicitur, est, & computatur inter Bona vtilia, quæ possunt esse materia Iuris proprietatis: atqui eundem respectum habet ad Deum bona Fama Dei, quem habet ad hominem: siquidem illam Deus habet, & de illa gaudet non solùm propter nos, sed primò, principaliter & vltimò propter seipsum: ergo etiam bona Fama est Deo vtilis. 5. Quia ex ipsis adversarijs aliqui concedunt, creata omnia conducere ad Felicitatem Dei; imò etiam audent concedere, nos posse impedire actum Felicitatis divinæ proprium. Si ergo impedire possumus actum divinæ Felicitatis proprium, possumus vel negativè saltem Deo dare, vel positivè divinam Felicitatem promovere actione nostrâ. Addit denique hoc Epiphonema. *Non ergo sumus adeo inutiles pro divina felicitate homines, vt isti DD. vocetenus dicunt, re tamen ipsâ negant.* Hæc Theologus Romanus contra antecessores Romanos.

165. Confirmo nunc Conclusionem. Nemo prudenter negare poterit, quòd Deus habeat Ius ordinandi aliquas nostras actiones ad suum beneplacitum. si enim Deus nihil omnino creare voluisset, hoc nihilum certè ad nullius alterius vtilitatem ordinâsset, sed ad suum placitum: ergo etiam creationem mundi, & quæ in mundo fiunt, potest ad placitum suum ordinare: ergo potest nostra voluntas tale *placitum* habere pro mensura, quia honestum est præstare Deo id, quod exigit præstari per voluntatem potentem obligare ad placitum suum: potest etiam Deus hoc suo jure cedere,

cedere, ita vt homo non sit obligatus ad hoc vel illud faciendum: ergo debet ad aliquam virtutem spectare, attendere hanc honestatem: hanc nos dicimus esse Justitiam commutativam, quia est simillima illi quæ est inter homines. Nam quòd inter homines id, ad quod vnus obligari potest alteri ex Justitia, afferre possit illi alteri aliquam vtilitatem strictè dictam, hoc est, quæ promoveat ejus felicitatem, & pellat aliqualiter miseriam, non est nisi materialis differentia, neque enim hoc est necesse attendi à Justitia, sed præcisè sufficit attendi beneplacitum alterius, & gratis plus requiritur.

166. DICO 2. Potest Deus obligare creaturam ex Justitia. Conclusio est contra Recentiorem sæpè laudatum, qui admittit, quòd Creatura possit exercere erga Deum actum Justitiæ, sed non ex obligatione. Fundamenta referam & solvam postea. Probatur Conclusio ex dicendis Tr. 2. de Iustitia. Actus Iustitiæ specificatur à Iure alterius, & à voluntate illius obligativa in suum placitum; & sine hac obligatione præcedente & specificante non exercetur actus Iustitiæ: ergo si creatura potest exercere actum Iustitiæ erga Deum, vt concedit Adversarius, debet ad hunc obligari. Antecedens probo. Actus Iustitiæ attendit & præstat æqualitatem hoc sensu, quatenus alteri tribuit, quod ipsi debetur vi Iuris prædicti: sed vi Iuris nihil debetur, nisi adsit obligatio: ergo hæc obligatio specificat actum Iustitiæ. Major est omnium. Minor probatur. Hoc debitum non est debitum physicum, sed tantùm Morale: atqui debitum morale, est obligatio: ergo debitum quod attenditur à Iustitia, est obligatio.

167. Confirmatur. Qualecunque, & quantumcumque Ius habeat Petrus in rem suam, v. g. librum, si hîc & nunc nolit hoc Iure vti adversus me, tunc sicut ego non violo Ius illius vsurpando librum, ita non exerceo actum Iustitiæ omittendo vsurpationem: hocipso enim quòd nolit vti Iure suo adversus me, censetur quoad me cedere Iure suo: quando autem alter quoad me cedit Iure suo, ego habeo Ius vsurpandi rem alterius: ergo si non vsurpem, abstineo ab vsu Iuris mei: atqui, abstinere ab vsu Iuris mei, non est actus Iustitiæ; quod mihi tam certum est, quàm quid esse possit: ergo à primo ad vltimum actus Iustitiæ supponit, quòd alter adversus me vtatur Iure suo: atqui vti Iure suo adversus alterum, formalissimè aliud non est, quàm illum obligare & coërcere: (prout ipse adversarius semel iterumque definit) ergo actus Iustitiæ supponit obligationem. Nunc fundamenta adversarij videamus.

168. Objicit ergo 1. Nulla actio creaturæ potest fieri invito Deo: ergo nulla potest esse injusta strictè contra Deum. Probatur Consequentia. Quia nequit esse injustitia, nisi contra patientem injuriam involuntariè, & consequenter merè patientem. Antecedens verò probatur. Quia Deus omne peccatum antecedente voluntate omnino liberâ, tum à necessitate, tum à coactione, à vi & fraude, permittit peccatum fieri, & concurrit etiam liberè ad actionem omnem creaturæ immediatè, nullo cogente: Ergo nullum peccatum fit invito Deo, & involuntarium patiente. Ex quo patet, nullum peccatum fieri contra obligationem Iustitiæ, quâ teneamur Deo; tum cum spontaneo concursu Dei & omnino libero decreto permissivo, non est compossibilis obligatio Iustitiæ: atqui omnis actio humana, etiam peccaminosa, est talis: ergo &c.

169. Adducit deinde auctoritatem Poëtæ Prudentij, sic ex Persona Dei canentis.

Invito me aliquis poterit peccare Tonante?
Cui facile est in corde hominis componere sensus,
Quos libeat, fibrásque omnes animare potestas
Pulsibus, & totum venis infundere honestum.

Priusquam directè respondeam ad argumentum, ostendo id omnibus solvendum esse, quia nimium probat. Probaret, inquam, argumentum, quòd neque contra obedientiam Deo debitam homo peccare posset.

Suppono autem cum Theologis, in eo differre obedientiam seu obligationem ex obedientia ab obligatione ex Iustitia, quòd illa obligat in bonum obligati, hæc autem possit intendere bonum solius obligantis. In cæteris ita conveniunt, vt totum Argumentum factum possit obedientiæ applicari.

170. Primò, sicut obligationis ex Iustitia caussa est Voluntas Domini proprietatis, ita caussa obligationis ex Obedientia, est voluntas Superioris habentis Ius Iurisdictionis. Secundò, sicut Dominus proprietatis potest vel vniversim, vel pro certo solùm casu, respectu hujus vel illius personæ obligationem tollere, vel suspendere non dando Iure suo, ita legislator potest obligationem præcepti vel omnino tollere, vel hanc aut illam personam eximere, hunc vel illum casum excipere &c. Tertiò. Sicut habet Axioma, quod volenti & consentienti non fiat injuria, & injuriam nemo nisi invitus patiatur, ita pariter dicitur, quòd Superiori consentienti & volenti nemo sit refractarius, & quòd Inobedientia non nisi invito Superiore committatur.

171. Hinc infero. Si ergo, vt vult objectio, concursus immediatus Dei, & providentia illius permissiva peccati, sufficiunt, vt simpliciter Deus vt Dominus proprietatis non sit invitus, quantùm requiritur ad obligationem Iustitiæ, hæc eadem sufficient, vt non sit invitus quantum requiritur ad obligationem obedientiæ. Imo sicut illa per adversarium sufficiunt, vt Deus censeatur nolle vti Iure suo, vel Ius suum suspendere &c. ita sufficient, vt censeatur nolle Legem Rigore vti Superior, velle hunc vel illum casum Eximere. Denique sicut ille concursus & providentia per adversarium non possunt stare cum Voluntate obligandi ex Iustitia, ita ego inferam, non posse stare cum Voluntate obligandi ex obedientia. Ergo tolletur obligatio ex obedientia, & manebit obligatio ex Iustitia.

Pro

Pro solutione Argumenti, & ad excludenda seu prævertenda ea, quæ adversarius adducit pro discrimine inter Justitiam & Obedientiam,

172. Advertendum est primò, tam Dominum proprietatis, quàm Legislatorem posse denominari *Invitum* à duplici actu suæ voluntatis. Primus actus quem habet, est, quo vult alteri hoc vel illud non licere: Alter actus est, quo rem illam ipsam quam vult non licere, vult etiam, quantùm in se est, efficaciter non fieri.

173. Advertendum est 2. Hos duos actus posse ab invicem separari, & quidem reciprocè. Potest enim Dominus pecuniæ velle non licere furtum servo, & tamen potest in animo desiderare illud fieri, vt habeat caussam illum puniendi, in quem finem non solùm non vult, quantùm potest, furtum impedire, sed etiam facit occasionem furandi, exponendo pecuniam in tali loco, vbi servus furari possit. Econtra potest habere dominus voluntatem efficaciter, quantùm potest, impediendi ablationem pecuniæ, v. g. parens vult omni modo impedire filium, ne attrectet pecunias, & tamen non habebit voluntatem illum obligandi in conscientia. Pari modo se res habere potest in Legislatore, vt manifestum est.

Advertendum 3. Vnumquemque horum actuum sine altero sufficere, vt dicatur esse *Invitus* circa talem actionem. Et quidem de secunda voluntate, non est dubium, & adversarius hoc supponit. De priore, facilè ostenditur: Nam de Deo rectissimè dicit Scriptura: *Quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.* atqui hoc non potest intelligi de priore voluntate, cùm Deus permittat peccata quæ posset impedire: ergo est intelligendum de secunda: ergo, nisi fiat quæstio de nomine, ratione hujus actûs sicut dicitur nolens peccatum, ita dici potest peccatum invito Deo fieri. idem enim est ac dicere. *Deo non consentiente, non dante, sed negante facultatem.* His positis,

174. Respondeo & Dico, priorem actum sine secundo sufficere ad inducendam obligationem ex Justitia, sicut sufficit ad inducendam obligationem ex obedientia, & per consequens, sicut Deus potest velle aliquid non licere ex potestate Legislativa, & tamen simul habere voluntatem permittendi illud, & etiam concurrendi, ita potest aliquid velle non licere ex Dominio proprietatis, & tamen simul habere voluntatem permittendi & concurrendi. Quòd autem illa prior voluntas sufficiat ad obligationem inducendam, patet in exemplo allato, & est res apud alios indubitata. Cùm ergo servus furando adhuc peccet in illo casu contra Justitiam, necesse est fateri, quòd operetur Invito Domino: atqui Dominus tunc non habet nisi voluntatem priorem, vt potuit in casu: ergo illa sufficit ad denominandum Dominum Invitum. Ergo pariter poterit Deus Invitus esse ad hoc, ne bonæ suæ famæ detrahatur, & tamen velle detractionem permittere, quia ex certis caussis non vult nisi hæc auxilia, quæ videt fore inefficacia, dare. ergo malè infertur ab adversario: Deum non esse Invitum illo modo, qui requiritur ad inducendam obligationem ex Justitia, eò quòd non sit Invitus in alio sensu, nempe quo quis Invitus aliquid patitur per vim vel fraudem, quo sensu Prudentius negavit Invito Deo fieri peccatum.

175. Objicit 2. Providentia divina vtitur peccatis quà talibus ad fines suos, vt sæpè testantur SS. PP. Ergo peccata sunt vsus quidam liber omnino, & actus secundus divini Dominij. Ex quo duas conclusiones infert adversarius. Prima: Ergo nulla actio creaturæ, etiam vt mala est, potest esse Læsio Dominij divini. Patet, inquit, consequentia. Quia non potest esse Læsio Divini Dominij vt potentis Dominari pro libitu, ea Actio, quâ Deus exercet suum Dominium Liberum, & omnino liberè dispositivum de ipsa creatura. Secundò infert. Ergo nulla actio creaturæ est Impeditiva Divinæ Libertatis Dispositivæ, hoc est, potentis vti qualibet re creatâ: nam ipse vsus libertatis divinæ dispositivæ, & potestatis vtendi rebus omnibus, nequit esse impeditiva talis libertatis & potestatis.

176. Hoc argumentum etiam retorqueri potest in Obedientia. Si enim peccatum est ipse vsus Dominij proprietatis, quia Deus illo vtitur ad alios suos fines, etiam erit vsus Jurisdictionis, quia etiam vtitur illo ad Bonum subditorum. Si ergo non est absurdum, ipsum vsum Iurisdictionis seu Superioritatis esse Inobedientiam, etiam non erit absurdum, ipsum vsum proprietatis esse injustitiam, vel econtra, si hoc est absurdum, etiam erit illud prius. Pro responsione

177. Nota 1. Vsum rei, & rem quâ vtimur, esse distincta. Instrumentum enim Fabri non est ipse vsus Fabri, in quo sanè æquivocat argumentum. Vsus rei est applicatio ipsius rei ad aliquem effectum ponendum. Itaque peccatum est res quâ Deus vtitur ad obtinendum aliud bonum, v. g. bonum pœnitentiæ vel vindictæ; sed peccatum non est ipse vsus peccati: vsus enim peccati est, quando Deus objectivè applicat peccatum intellectui peccatoris per illuminationem, quâ movetur ad pœnitentiam, & sic obtinet finem suæ permissionis peccati, qui erat Pœnitentia.

178. Nota 2. Licet Deus per peccatum non impediatur ab vsu ipsius peccati, impeditur tamen ab vsu illius actûs qui per peccatum excluditur, cujus vsum Deus haberet, si peccatum non poneretur; per peccatum autem impeditur ab illius vsu: & quidem vsus illius actûs boni magis à Deo intenditur, quàm vsus peccati: hoc est, Deus mallet peccatum non poni, quàm poni. His observatis

Respondetur ad objectionem: concesso antecedente, negando omnes consequentias, nullâ exceptâ: quia omnes fundantur in confusione vsûs & rei quâ quis vtitur.

179. DICES: Ipsum peccatum est etiam actio Dei, quia Deus immediatè influit: ergo qua-

tenus Deus per suam providentiam illam actionem dirigit ad aliquem finem, est etiam vsus. R. Deum esse caussam peccati per accidens, & peccatum dici & esse actionem Dei per accidens, quatenus est contra ipsius inclinationem, & quatenus non habet Deum pro caussa determinante, sed creaturam, vt dictum est in 2. lib. Eodem sensu potest vocari vsus Dei per accidens: sed deinde transmissâ primâ consequentiâ, nego secundam, vnà cum sua probatione. Nam iste vsus per accidens impedit Deum ab vsu alterius actûs per se magis desiderato. Hoc autem sufficere ad Injustitiam ostenditur ex humanis. Qui sciret, quòd si esset transiturus per talem plateam, esset accepturus alapam, pateretur adhuc Injuriam, etiamsi illam plateam cum tali Scientia adiret, vellet enim adhuc alterum obligatum ad non percutiendum: sic S. P. Ignatius passus fuisset Injuriam, si à congregatis in aula Scholarum fuisset flagris infamibus exceptus, cùm tamen præscius adiverit, potens facilè declinare: Itaque ille talis esset percussionis caussa per accidens, quia sine illius accessu ad talem locum alter non posset in illo loco percutere: porrò hanc percussionem prævisam posset homo ordinare ad finem supernaturalem. Sic ergo Deus prævidens quòd Petrus cum tali auxilio esset peccaturus, v. g. detrahendo Deo, potest pati injuriam, etiamsi ipsius peccati caussa per accidens sit, præbendo hoc auxilium inefficax, & influendo vt caussa vniversalis, & simul ordinando ad alium finem.

180. Negamus ergo adversario id, quod vnicè pro Fundamento assumit, nempe, quòd ad peccatum Injustitiæ non sufficiat, esse contra voluntatem obligativam ad oppositum, & quòd privet Dominum illâ re, quam Jure suo exigit, & quòd insuper requiratur, vt actio injusta sit omnino involuntaria Domino, ita vt à nulla illius voluntate dependeat, ne quidem permissiva.

Supposito nunc, quòd Deus possit obligare ex Iustitia, Quæritur vlteriùs, vtrum possit obligare graviter, vel tantùm leviter & sub Veniali. In quo puncto est iterum singularis Opinio ejusdem Recentioris Hispani, quòd tantùm possit obligare leviter. Supponit autem pro Fundamento, quòd quò aliquis est ditior, eò major debeat esse Damnificatio, vt sit Gravis & Mortalis. hinc concludit. Deus est infinitè dives: ergo respectu Dei omnis Damnificatio est levis, & propemodum nihil: ergo non potest esse sub gravi obligatione.

Hoc Fundamentum rejiciam in Tract. 2. de Iure & Iustitia, & ostendam oppositam Sententiam esse communiorem, quæ docet, eandem quantitatem gravem esse pro omnis generis hominibus per se constitutam; quam sententiam nuperrimè impressit P. Esparza, vt mirer, hunc Recentiorem dicere, suum fundamentum esse ab omnibus receptum.

181. Præterea discursus adversarij fallit, & ex ipso Fundamento illius potest ostendi Fallacia. Si enim gravitas læsionis debet desumi respectivè ad divitias, & Deus est infinitè dives, tunc ne leviter quidem poterit Deus obligare ex Iustitia. Probo. Qui enim est infinitè dives, ne leviter quidem respectivè ad suas divitias damnificari potest. Nam divitiæ infinitæ hoc habent, vt quocunque finito ablato adhuc sint & maneant infinitæ, adeoque per ablationem finiti non redditur ille dives pauperior: atqui Damnificatio respectivè levis debet saltem leviter facere pauperiorem: ergo si Deus ob infinitas divitias non potest Damnificari graviter, nec poterit Damnificari leviter: ergo qui concedit, Deum posse Damnificari leviter, debet etiam concedere, posse damnificari graviter. Ratio est, quia ad Damnificationem gravem plus non requiritur, quàm quòd res in qua damnum datur, sit in se Magna, sunt autem aliqua Bona Dei in se Magna, dicente Apostolo: *Empti enim estis pretio magno.*

182. Imò, ego existimo, nihil in toto Mundo esse tam vile, quòd non possit esse Materia Gravis Iustitiæ Deo debitæ. Nihil enim est, quod in se non sit Magnum, etiamsi respectu totius Vniversi censeatur esse quid parvum. Nihil enim est, quod non occupet totam providentiam Dei circa pulchritudinem hujus Vniversi, cujus complementum est etiam minimus pulviculus. Sed hoc prosequi non est necesse.

Quæstio vlterior est, an Creatura ex peccato Injustitiæ contra Deum, possit contrahere obligationem faciendi Restitutionem propriè dictam. Hæc quæstio plurimum habet de nomine Restitutionis. Suarez, Card. de Lugo, & Pallavicinus, negant esse vnquam possibilem Restitutionem propriè dictam. Alij communiter concedunt, quibus prænominatus Recentior etiam accedit, ex suppositione læsionis injustæ: quia verò negat hypothesin, ideo sic concludit. *Non potest creatura pura satisfacere ex Justitia commutativa Deo offenso, non ex defectu virium, sed ex defectu materiæ.*

183. DICO 3. Potest dari læsio Iuris divini, pro qua possit fieri restitutio strictè dicta. Probatur. Illa est restitutio strictè dicta, quæ compensatur damnum illatum ex obligatione contracta per priorem læsionem, ad impediendum scilicet, ne damnum continuetur. Sed talis potest fieri pro damno & injustitia contra Deum commissa: ergo vera est Conclusio. Majorem suppono ex Tract. de Iust. & declarabitur in resolutione objectionum. Minor declaratur in exemplis. Præcipiat Deus ex Iustitia, vt hæc vel illa res asseruetur in tali determinato loco, v. g. Calix in Templo. si ego calicem inde auferam, peccarem contra Iustitiam, non quidem peccato furti, nam vbicunque res existat, est in possessione Dei, nec ablatio illum latet: sed quòd inveniam existentiam localem, ad quam Deus habet Ius. Quis jam neget, me ex Iustitia teneri ad reportandum Calicem & restituendum illi loco? atqui hæc erit restitutio propriè dicta, secundum descriptio-

descriptionem positam : ergo &c. Item si Deum blasphemando inhonorarem & infamarem, quis neget nasci obligationem retractandi ? hoc si fecero, erit restitutio propriè dicta, & quidquid ampliùs requiritur, gratis requiritur.

184. Objiciunt 1. Restitutio propriè dicta essentialiter supponit diversitatem Patrimoniorum læsi & lædentis, quia supponit lædentem habere aliquid in suo Dominio, ad quod exhibendum non posset obligari à læso antecedenter ad læsionem : atqui creatura respectu Dei non habet patrimonium, & quidquid post illatam injuriam Deus exigere potest, etiam ante injuriam, aut eâ non positâ exigere potuisset : ergo &c. Major probatur. Si enim lædens non habet diversum patrimonium, & læsus exigit aliquam actionem, tunc lædens præstando hanc actionem non reparat (formaliter loquendo) damnum illatum, sed præcisè cavet, ne Dominus novum damnum ex carentia actionis patiatur : atqui Restitutio est formaliter Reparatio Damni illati, & non mera abstinentia à nova læsione : ergo vbi non est diversum patrimonium, non habet locum Restitutio propriè dicta.

g. Negando vniversaliter majorem. Ad probationem distinguo Majorem. Si læsus exigat hanc actionem Titulo Dominij, concedo, si Titulo Læsionis præcedentis præcisè, nego. & do instantiam. Qui furatur equum, facit Restitutionem propriè dictam reducendo equum. Quæro, quid hic expenderit de suo patrimonio ? nihil planè, nam equus non est ipsius. Si dicas, quòd expendat illam actionem reductionis, ad quam non poterat ante furtum obligari, pariter ego dico, quòd qui refert Calicem ad Templum, expendat illam actionem, ad quàm non poterat ante ablationem obligari.

185. DICES. Imò Deus potuisset illum obligare ad talem actionem, si alius calicem abstulisset. Sed contra. Quia tunc obligaret Deus Titulo Dominij, non Titulo Læsionis factæ. Ad hanc ergo obligationem restituendi, non est opus diverso patrimonio, neque diminutione proprij patrimonij, sed satis est, quòd talis actio sit in mea potestate physica, & quòd hîc & nunc non exigatur alio Titulo, quàm Læsionis injustæ.

186. Objiciunt 2. & faciunt hunc discursum. Quando mancipium damnum intulit Domino, & postea conatur reparare laborando in vinea, tunc vel Dominus exigit aliquem laborem in vinea, vel non exigit : Si non exigit : ergo mancipium non tenetur ex Justitia laborare : si exigit : ergo exigit vt Dominus : ita vt, si mancipium non laboraret, inferret novum damnum. g. Si Dominus nihil mandat mancipio de labore, relinquit tamen illi potestatem laborandi, tenetur Titulo Læsionis præcedentis, quæ etiam tunc pro Domino interpellat, sicut interpellaret, si Dominus mancipium manumitteret, inscius damni illati. Hæc omnia meliùs intelligentur ex ijs, quæ de conceptu Juris & Justitiæ copiosè tradentur in secundo Tractatu Operis de Justitia & Jure.

CAPVT II.

DE CAVSSA FINALI SEV MOTIVA INCARNATIONIS.

NOn accipimus hîc Caussam Finalem & Motivam in rigore physico. Nam extra dubium est, Decretum Dei, si sit Deo adæquatè intrinsecum, nullam habere caussam physicam : sed accipimus pro Objecto Finali, seu pro illo ad quod obtinendum Incarnatio est ordinata, & per quod respondetur interroganti, cur Deus decreverit Incarnationem : seu, in quem finem, & Cui Bono voluerit Deus Incarnari.

187. Certum autem ex fide est, Redemptionem generis humani fuisse Finem Incarnationis, propter quem, seu ad quem obtinendum decrevit Deus Incarnationem Verbi in carne passibili. Jo. 3. *Sic enim* (inquit Christus ad Nicodemum) *Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* 1. Jo. 4. *In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* Lucæ 19. *Venit enim Filius hominis quærere & salvum facere quod perierat.* 1. ad Timoth. 1. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quòd Christus Jesus venit in hunc mundum, peccatores salvos facere.* Matth. 9. *Non veni vocare justos, sed peccatores.* Denique in Symbolo Nicæno profitemur : *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & Incarnatus est.*

Hoc supposito sit

CONTROVERSIA I.

Vtrum Redemptio nostra fuerit Finis Vnicus & Adæquatus Incarnationis.

188. QVæstio hæc alijs terminis proponitur, vtrum Christus venisset in carne, etiamsi Adam non peccâsset. Et quidem de possibili non est difficultas, sed quid defacto dicendum sit.

Est autem hujus quæstionis duplex sensus omnino distinguendus, in quo potest dispu:ari. Primus sensus, & communiter à Theologis intentus est, An defacto extiterit in Deo Decretum practicum & executivum, quo decreverit Incarnationem etiam ad alium finem quàm Redemptionis, ita vt dixerit: *Incarnationem volo propter gloriam quam inde habebo, sive peccet, sive non peccet Adam, & sive redimatur, sive non redimatur genus humanum.*

189. Alter sensus esse potest: An, esto non exstiterit tale Decretum, talisque tendendi modus in alium finem, detur tamen defacto verificativum hujus propositionis: Si Adam non peccâsset, adhuc Verbum Incarnatum esset: vel, an potiùs contraria propositio verificetur. Examinando nunc priorem sensum:

Prima Sententia affirmat, Christum vi præsentis Decreti, formaliter, & tanquam objectum directè volitum, adhuc venturum fuisse, si Adam non peccâsset. Ita sentiunt Scotus, Alexander, Albertus, Catherinus, Suarez, Petrus Hurt. Alphonsus Salmeron t. 15. d. 3. in c. 1. 1. ad Timoth. assert. 5.

Secunda Sententia negat. Ita S. Thomas, qui cùm in 3. dist. & q. 1. ad 3. vtramque opinionem problematicè defendisset, postmodum in sua Summa *p. 3. q. 1. a. 3.* ait, negativæ magis assentiendum videri. S. Thomam sequuntur omnes Thomistæ, teste Alvarez. Eandem tenet S. Bonav. asserens, esse magis consonam pietati Fidei, magis quoque devotionem accendere, & Deum plus honorare. Ex nostris tenent Valent. Vasq. Lessius, Granadus, Toletus in MS. Gaspar Hurtadus, Tanner, Amicus, Lugo, VVadingus, Ragusa, Becanus, Præpositus, Pesantius, Maldonatus, Arriaga, Petavius, Pallav. Reynaudus, Compronus. cum quibus

190. DICO 1. Defacto non exstitit Decretum, decernens Incarnationem ex alio fine quàm Redemptionis, seu Remedij peccati. Probatur Conclusio argumento S. Thomæ. De ijs quæ pendent vnicè ex libero Dei arbitrio, nihil est asserendum, nisi quod Deus revelavit: sed Deus nullum aliud motivum seu rationem finalem revelavit, quàm Redemptionis; & vnicè pendebat ex libero Dei arbitrio, hunc vel alium finem Incarnationis constituere. Ergo &c.

Scio, ad hoc respondere adversarios, Deum saltem implicitè & arguitivè aliud motivum revelâsse, quatenus de Christi dilectione, & excellentia quædam revelavit, ex quibus advers putant colligi posse aliud Motivum. Contra hoc effugium

Confirmatur argumentum D. Thomæ: Si alius finis principalior fuisset à Deo intentus quàm redemptio, non debuisset sanè Scriptura de fine Incarnationis ita loqui, vt toti fere fidelium cætui ansam præberet, non agnoscendi se non æstimandi illum finem, qui vel maximè commendaret excellentiam Christi: atqui hoc fecit. Tum quia longè major Theologorum pars istam putam intelligit; Tum quia SS. PP. vt videbimus, planè respuunt alium quemcunque finem Incarnationis.

191. Confirmatur 2. Scriptura loquens de motivo Incarnationis, intelligenda est, prout eam Concilia & Patres intellexerunt, & in illo sensu, quem sponte & per se, sine violentia, nostro intellectui insinuant: atqui insinuant Conclusionem nostram, & Patres intellexerunt secundùm Conclusionem nostram: ergo &c. Minor probatur. Præcipuus Scripturæ locus est ab relatus Jo. 3. vbi Christus Nicodemo vult exponere vim divini amoris erga hominem lapsum, quæ tanta fuit, vt ex illa Filium suum vnigenitum daret, hoc est, mitteret ad hominis internum vertendum. Quodsi Deus Filium principaliter ob suam gloriam mittere decrevisset, independenter ab hominis ruina reparanda, & deinde occasionaliter, occasione scilicet peccati & ruinæ, constituisset Redemptorem, non apparet, quomodo ex ipsa missione Filij secundùm se considerata commendari potuisset & extolli vehementia amoris erga hominem lapsum. Quemadmodum si Rex aliquis ad ostendendam suam Majestatem, cum ingenti pompa aliquot centenorum aulicorum veniret ad aliquam civitatem, vbi præter intentionem oriretur rebellio vel incendium, quod Rex per suos aulicos reprimeret, non posset Rex ille gloriari, se ex vehementi amore urbanidi civitatem advenisse cum tot aulicis. Quod autem Christus per τὸ *Daret* intellexerit suum Adventum & Missionem à Patre, sequentibus verbis expressit. *Non enim*, inquit, *misit Deus Filium suum, vt judicet Mundum, sed vt salvetur Mundus per ipsum.* & c. 10. *Ego veni in mundum, vt vitam habeant, & abundantius habeant.*

192. Quòd autem hæc Scripturæ Testimonia PP. intellexerint in sensu nostræ Conclusionis, nemo dubitaverit, qui eorum verba sincerè ponderaverit, ita vt perquam violenta sit interpretatio Scoti, dum ait, omnes auctoritates posse intelligi, quòd Christus non venisset vt Redemptor, nisi homo cecidisset. Sed, quæso, quod erat opus, vt hoc nos Scriptura doceret, quod esse tam clarum est, quàm est impossibile, esse Redemptorem, vbi nemo est redimendus? aut parùm ponderis habet quod addit Scotus, quod *fortè* non venisset vt passibilis. Sed Scriptura nullibi habet illud *fortè*: neque SS. Patres. Vlteriùs Patres dicunt simpliciter & nudè, quod Christus

Christus non venisset, & nullibi dicunt, quòd Christus venisset in carne impassibili : debuissent autem hoc addere, ne nos deciperent : sicut deciperet, & simul ridiculus esset, qui diceret : *Princeps non veniet, nisi sit pugnandi occasio :* hoc autem vellet ita accipi; quòd etiamsi non sit pugnandi occasio, adhuc veniet, sed sine militibus & armis. Audiamus Patres ipsos.

193. S. Irenæus adversus hæres. c. 14. [Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, & si non haberet sanguis justorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Dominus.]

S. Augustinus super verba Apost. serm. 8. [Si homo non periisset, Filius hominis non venisset] & serm: seq. [Nulla caussa veniendi fuit, nisi peccatores salvos faceret: tolle morbos tolle vulnera, & nulla caussa est]

Cyrillus dial. 5. de Trinit. ante medium [Si non peccassemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinuisset Crucem.] Ecce! vtrumque negat futurum fuisse, & substantiam Incarnationis & Passionem.

S. Athanasius serm. 3. contra Arrianos. [Necessitas indigentiaque hominum anterior est, quâ sublatâ carnem non induisset.] Eod. serm. [Non igitur propter seipsum, sed propter nostram salutem, & demolitionem mortis advenit.

Origenes Hom. 24. in Numer. [Si non fuisset peccatum, mansisset hoc quod in principio erat Dei Verbum.] Eadem formalia habet in Epist. ad Rom.

S. Chrysostomus hom. 67. in Matth. [Hæc curationis sola caussa est, propter quam in hunc mundum descendit.

S. Ambrosius lib. de Incarn. Dom. Sacram. c. 6. [Quæ erat causa Incarnationis, nisi, vt caro quæ peccaverat, per se redimeretur.

S. Basilius homil : de humanâ Christi gener. [Carnem susceptt Deus, quoniam execrabilem contaminatámque hanc purgatam sanctámque reddi oportuit, infirmam ac debilem corroborari, à Deo ob peccatum alienatam conciliari, è paradiso excidentem in Cælum referri.

S. Leo Serm. 3. de Pent. c. 2. elegantissimè simul & apertissimè sic loquitur. [Si homo ad imaginem & similitudinem Dei factus, in suæ honore naturæ mansisset, nec Diaboli fraude deceptus à lege sibi posita per concupiscentiam deviâsset, creator mundi creatura non fieret.

Gregorius Nazianzenus orat. 36. [Quæ humanitatis à Deo propter nos susceptæ caussa exstitit? profectò vt nobis salus pararetur. Quid enim aliud caussæ afferri possit?

194. Hæc est ergo vnanimis Patrum doctrina (vnum Rupertum si excipias, qui cùm sit junior omnium, & in hoc ipso puncto inconstans, vt notat Reynaudus, non est curandus) & quidem est illis indubitata; quam non potuerunt in alio fundare, quàm in textibus allegatis S. Script. ergo PP. acceperunt Scripturam in eo sensu, quo nos eam accipimus.

Respondent aliqui ex adversarijs, Scripturam & PP. illum solum finem exprimere voluisse, & debuisse, qui sine revelatione speciali non poterat nobis innotescere : at verò finis Excellentiæ hujus Mysterij, qui fuisset intentus etiam deficiente peccato, potest per se sine speciali revelatione innotescere: ergo non erat opus illum exprimere. Sed hæc responsio est frivola. Nam, vt taceam PP. non solùm exprimere finem Redemptionis, sed insuper negare omnem alium finem, certè excellentia hujus mysterij vtique non necessitabat Deum ad Incarnationem, cùm nihil creatum necessitet Deum: ergo cùm liberè Deus potuerit omittere, debet esse revelatum specialiter, quòd defactò voluerit ex tali fine ponere, aliter enim non potest nobis innotescere.

195. DICES: Sæpè Theologi investigant finem alicujus rei productæ, qui tamen revelatus non est: ergo falsum est quod in probatione assumpsimus, quòd circa opera Dei nihil sit asserendum, quod non est revelatum. R. Quando nullus finis est expressus, rectè investigatur finis, cùm omnia sint facta propter aliquem finem. Quando autem Scriptura exprimit aliquem finem, & alium omnem tacet, non rectè comminiscimur alium finem, præsertim qui asseratur fuisse finis principalis, vt benè notavit Reynaudus. Et hæc de primo sensu Quæstionis.

196. Quoad secundum sensum Quæstionis, duos invenio Recentiores, Card. Pallavicinum & P. Esparza, qui inclinant in affirmativam partem. Pallavicinus quidem existimat, Deum per Scientiam mediam vidisse, quòd si Adam non peccâsset, Deus adhuc Incarnationem decrevisset, & ideo defacto exstitisse in Deo actum quendam Voluntatis speculativum Complacentiæ circa illam futuritionem conditionatam. Verùm hæc doctrina nititur principio quod mihi non probatur, nempe Deum per Scientiam mediam videre sua decreta sub conditione futura: sed etsi hoc concederetur, adhuc potiùs dicendum esset, quòd Deus oppositum vidisset, vt mox constabit.

P. Martinus Esparza verò putat, ex intrinseco modo tendendi præsentis decreti, non quidem formaliter, sed tamen arguitivè & indicativè venturum fuisse Christum, si Adam non peccâsset, adeoque futuritionem conditionatam decreti formalis circa Incarnationem pro illo casu videri à Deo in præsenti Decreto, vtpote habente intrinsam connexionem cum illa conditionata futuritione, cujus est verificativum.

197. DICO tamen 2. Neque hoc sensu Christum venturum fuisse, si Adam non peccâsset. Ratio est, quia verba SS. PP. hunc sensum non minùs quàm priorem excludunt, vt cuivis considerenti manifestum erit. absolutè enim pronuntiant, Christum non venturum fuisse, si Adam non peccâsset: hæc autem assertio simpliciter esset falsa, si per aliud decretum tunc venturus

rus fuisset, sed non vt Redemptor. quasi verò hæ duæ propositiones possint esse æquivalentes. *Christus Adamo non peccante non est venturus:* (quæ est propositio PP.) & hæc: *Christus Adamo non peccante non est venturus Redemptor:* (quæ non est Patrũ, sed horum Recentiorum) alioquin & hæ erunt æqui pollentes: *Vbi nihil dictatur è cathedra, eò studiosi non veniunt*, & hæc: *vbi nihil dictatur è cathedra, eò studiosi non veniunt cum charta & atramentario.* Posterior est vera, prior est falsa, nam in hospitijs nihil dictatur è cathedra, & tamen eò veniunt.

198. Objicit Card. Pallavicinus 1. In nostra Sententia non potest defendi, quòd Christus videat in Deo summam dilectionem erga seipsum, per quam in nullo casu possibili fuerit reprobata ipsius existentia. Loco Responsionis quæro ex hoc Auctore, an putet absurdum esse, Christum non fuisse ita dilectum, vt in nullo casu possibili fuerit reprobata ipsius existentia? si affirmat? sequitur, Incarnationem quoad substantiam non fuisse Deo liberam, quia Deus non potest committere aliquod absurdum. Sequela autem est absurda. Si negat id fore absurdum, evanescit tota objectio: quid enim cogit nos ad tantum amorem defendendum, si non est absurdum eum non dari? Respondetur ergo, concedendo nos non posse illum amorem defendere: Sed si hoc vitium est, etiam adversarius reus erit. Falsum enim est, Christi existentiam pro nullo casu possibili fuisse reprobandam: Si enim Deus nullum mundum creare voluisset, an etiam tunc Christus exstitisset?

199. Replicant aliqui. Si Deus condidisset homines & Angelos non peccantes sine Christo, prætulisset homines & Angelos Christo: hoc autem concedere, videtur absurdum. Ad hanc replicam respondet Recentior Hispanus non minùs cordatè quàm verè: *hæc esse mera verba personata, quibus post larvam nihil est.* Quid enim est, vnum alteri præferre? an vnum velle, & alterum nolle? hoc sensu non magis absurdum est, homines & Angelos præferri Christo, quàm eidem & toti mundo præferri nihilum, quòd Deus facere potuisset. Quodsi per τὸ *Præferre* intelligas, quòd Deus judicaret, Angelos esse excellentiores Christo, negatur, quòd sic præferret, si Angelos & non Christum produceret.

200. Objicit Pallavicinus 2. Ex nostra sententia sequitur, Christum debere gaudere gaudio speculativo de peccato Adami, & de nostris malis, quia sine his ipse non fuisset futurus. ℟. 1. Gaudeat Christus gaudio speculativo quantùm voluerit, tam parùm hoc erit absurdi, quàm quòd Martyres multi gavisi sunt de persecutione tyrannorum, vt haberent occasionem Martyrij. Et mirum sanè est, quòd non adverterit adversarius, reipsâ se hoc priùs concessisse. nam n. 149. disertis verbis docuerat, opus Dei perfectissimum non esse Incarnationem quomodocunque, sed incarnationem ad finem redimendi per mortem suos inimicos: nam *Misericordia ejus super omnia opera ejus.* Vlteriùs ibidem docet (& est per se videns) hoc opus perfectissimum esse tale, vt essentialiter sit occasionatum, & indecernibile independenter à peccato. Hinc autem ineluctabili consequentia deducitur, Christum debere gaudere gaudio speculativo de peccato Adami, quo absque hoc non fuisset futurus in ratione operis perfectissimi.

201. Respondetur tamen 2. Negando-quelam. Tametsi enim peccatum fuerit conditio requisita, vt Christus Redemptor posset dici, non tamen fuit caussa movens ad decernendum, sed potiùs fuit motivum absterrens & retardans Bonitatem Dei, & inclinans ad Justitiam vindicativam, adeoque ad Negationem Incarnationis. Non ergo est peccatum materia gaudij speculativi, nisi vt conjunctum cum misericordia Dei. Hæc specialiter ad argumenta duo, quæ Card. Pallavicinus à Catharino indicata pulchrè speciosiùs proposuit.

202. Objiciunt alij 3. Varia Scripturæ loca ex quibus colligitur, totum mundum propter Christum esse creatum. Ad Coloss. 1. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* ad Hebr. 3. *Propter quem omnia, & per quem omnia.* sed hæc non essent vera, si Christus non venisset Adamo non peccante: nam tunc mundus sine conditus fuisset, & non propter Christum. ℟. 1. Multos interpretes omnes hos textus intelligere de Divinitate Verbi, vt videre est apud Reynaudum. ℟. 2. Christi Gloriam & nominis exaltationem, quam defacto consecutus est ex Redemptione generis humani, fuisse rerum omnium finem, ad quem omnia vel electivè vel permissivè fuerint ordinata, etiam ipsum peccatum Adami, quæ omnia facilè intelliguntur ex dictis lib. 1. de implicitate Decretorum. Quodsi per Scientiam mediam fuisset Adam visus non peccaturus, Deus totum vniversum aliter, & ad alium finem ordinâsset.

203. Objiciunt 4. Ex nostra doctrina sequitur, Adamo & Angelis non fuisse primam gratiam collatam ex meritis Christi. Fuit enim illius collatio facta independenter à peccato futuro: ergo independenter ab omnibus illis, quæ præsupponunt ipsum peccatum: atqui merita Christi præsupponunt peccatum in nostra Sententia. ℟. Argumentum etiam adversarijs solvendum esse, nam merita Christi præsupponunt possibilitatem carnis: & hæc præsupponit peccatum. Responderi potest. 2. Transeat totum, loquendo de merito strictè sumpto, habente scilicet prioritatem naturæ. Quodsi aliqui PP. etiam illam gratiam tribuunt meritis Christi, intelligendi sunt de meritis Christi, vt sunt compensativa pœnæ anticipati, ad eum modum, quo infrà dicam, Christum fuisse promeritum Gratias antiquorum PP.

204. Objiciunt. 5. Trident. Sess. 6. c. 7. vbi dicit, Gloriam Christi esse caussam finalem nostræ Justificationis: atqui nostra Conclusio dicit

econverso

econverso, nostram Justificationem esse causlam finalem Christi. R. Aliud est, Existentia Christi, & aliud, ejus gloria, & exultatio, proveniens ex nostra Justificatione. Posse autem duo sibi mutuò esse fines diverso respectu, res est indubitabilis. Dicimus ergo, hominem & ejus justificationem fuisse finem existentiæ Christi; hominem quidem finem *CVI*, Justificationem verò finem *Qui*: non tamen econtra existentiam Christi fuisse finem Justificationis: non enim ideo justificati sumus, vt existeret Christus. Vlteriùs verò Christus Gloriosus est finis nostræ Justificationis, & etiam ipsius existentiæ Christi: Christus quidem Finis C V I, Gloria autem Finis *QVI*: sed non econtra Justificatio nostra est finis Gloriæ Christi: non enim Christus assecutus est gloriam & exaltationem nominis, vt nos justificaremur. Exemplum cape simillimum. Ægrotat aliquis Princeps. accurrit peregrinus Medicus: non venturus nisi Princeps ægrotaret: adhibet Medicinam. ecce! Princeps est finis *CVI*. hujus adventûs, & sanitas finis *Qui*. Sed hic non sistit Medicus, nam curationem Principis ordinat ad suam vtilitatem, & suarum facultatum augmentum: & sic ipse Medicus est finis *CVI* vltimus tam sui adventûs, quàm curationis, & finis *Qui* est Honoratium seu merces danda à Principe.

Hinc apparet nihili faciendam esse censuram Catharini; dicentis, esse *indignitatem abominandam* dicere, quòd Christus propter nos homines & propter nostram salutem sit productus. ita enim est productus propter nos, vt vltimò sit productus propter suam gloriam, quam ex nostra salute consecutus est, dicente Apostolo, quòd: *proposito sibi gaudio sustinuit Crucem.*

205. Objiciunt 6. Absurdum, & Christo indecorum est dicere, quòd Christus tantummodo sit opus *occasionatum*: atqui secundùm nostram sententiam esset opus occasionatum, nempe existeret occasione peccati. R. Si vox *occasionatum* aliud dicere non vult, quàm quòd Christus venerit in tempore opportuno, adeoque occasio aliud non sit, quàm opportunitas, negamus hoc Christo esse indecorum. Si verò per τὸ *occasionatum* significetur casus fortuitus, eventus non prævisus, nec præordinatus, negamus minorem, & dicimus, quòd Deus peccatum ipsum antecedenter ad illius existentiam ordinaverit permissivè ad existentiam Christi.

206. Objiciunt 7. Incarnatio futura fuit revelata Angelis, & Adamo ante lapsum: atqui revelatio præsupponit objectum: ergo pro priori naturæ ad peccatum Angelorum & Adami, jam præsupponebatur futura Incarnatio. Quodsi neges, prout rectè negant RR. ipsum objectum futurum præsupponi pro priori naturæ ad revelationem, adhuc vrget argumentum, nempe quia revelatio saltem præsupponit decretum de mittendo Christo: ergo sicut revelatio fuit prior naturâ peccato Angelorum & Adami, ita à fortiori prius fuit decretum de mittendo Christo, & quidem ita fuit prius naturâ, vt non haberet necessariam connexionem cum peccato Angelorum, quia fuit conjungibile cum negatione peccati: ergo etiamsi Angeli & Adam non peccâssent, adhuc exstitisset decretum Incarnationis. Hoc argumentum dissolutum est in Tractatu de Angelis, ad quem locum spectat, ibique solutio videri potest.

CAPVT III.

DE SUBSTANTIA INCARNATIONIS SECVNDVM SE, EIVSQVE EXTREMIS.

CONTROVERSIA I.

In quo consistat Assumptio Humanitatis facta à Verbo divino.

§. PRIMVS.

Error Nestorij & Eutychetis.

207. CIrca Mysterium Incarnationis duo præcipuè errores in Ecclesia nati, & ab eadem damnati sunt: qui etsi inter se è diametro oppositi sint, ita quidem vt secundus ex odio prioris obortus sit, ex eodem tamen erroneo fundamento ambo originem traxerunt, nullâ scilicet admissâ distinctione inter Naturam, & Personam.

Nestorius, ex hypocrita præsbytero Patriarcha Constantinopolitanus (cujus historiam scribit

bit Baronius ab anno Christi 428. vsque ad annum 436. & Petavius) secutus antiquiores hæreticos, docuit, Naturam Humanam Christi non fuisse Verbo divino verâ & physicâ vnione vnitam, seu breviùs & phrasi Theologicâ, negavit Vnionem factam esse in Persona, hoc est, ita vnitam fuisse, vt vi Vnionis vna eademque Persona verè & propriè esset Deus & Homo. Vnde consequenter asseruit, duas esse Personas Deum & Hominem. Quia verò videbat se premi S. Scripturæ verbis, Christum Deum & hominem affirmantibus, dixit, Deum huic homini fuisse conjunctum specialissimo affectu & gratiâ, vi cujus homo ille aliquo modo, & quidem majori titulo quàm alij sancti, diceretur Deus: & sicut duo conjuges ob affectum conjugalem, dicuntur *vna caro*, ita ob illum affectum Deus dicatur *caro factus*. Hinc invectus est vehementer in titulum *Deiparæ*. nec ferre potuit, B. Virginem THEOTÓKON appellari. Erroris hujus fundamentum, vt dixi, fuit, quòd existimaret Nestorius, *Naturam & Personam* esse adæquatè idem: vnde subsumpsit: atqui ex duabus personis non potest fieri vna persona: *Persona enim*, vt definit Boëtius, *est Rationalis naturæ individua substantia*. ergo est divisa ab omni alia substantia: ergo non potest fieri vna substantia seu persona ex duabus: hoc enim esset mutare essentiam *Personæ*, quia ex divisa per essentiam suam fieret indivisa.

208. Decem annis post damnatum Nestorium, Eutiches Archimandrita, cùm abominaretur errorem Nestorij, nec tamen sciret distinguere Naturam & Personam, existimavit, non esse alium modum defendendi vnitatem Personæ cum Christo, quàm si dicatur, ex duabus Naturis, divina scilicet & humana factam esse vnam Naturam: adeoque negabat in Christo duas naturas, hoc ipso, quia secundùm ipsum duæ naturæ erant duæ personæ. Cùm autem vrgeretur, imperceptibile esse, quòd ex duabus Naturis fieret vna Natura, ita ineptivit, vt diceret, Naturam divinam esse conversam in humanam seu in carnem; cùm autem hujus propositionis absurditas illi demonstraretur ex eo, quòd id quod convertitur in aliud, debeat desinere; natura autem divina vtique non desierit, mutavit propositionem, & tandem dixit, carnem esse conversam in Naturam divinam: denique ad plures hujusmodi stoliditates admittendas adactus fuit vel ipsemet, vel ejus Sectatores, vt tandem dicerent, ex duabus naturis factam esse vnam commixtione, sicut fit mixum ex Elementis, quæ non actu, sed tantùm virtute manent in mixto.

Error iste, qui pridem antè auctorem habuit Apollinarem, damnatus fuit à Concilio Chalcedonensi, & à Leone Papa.

209. Media inter hos errores incedit Veritas Catholica, quæ, sicut negat in Christo duas Personas, ita affirmat duas Naturas, vnde Theologi paucis verbis dicunt, Vnionem non esse factam in Natura (vt volebat Eutiches) sed in Persona; (quod negabat Nestorius) adhuc clarius Athanasius in suo Symbolo rem totam comprehendit de Christo, sic statuens. [Qui licet Deus sit & Homo, non duo tamen, sed vnus est Christus. Vnus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiæ, sed vnitate Personæ.] Quia autem hoc aliter nec ab nec intelligi potest, nisi Persona aliquid superaddat Naturæ, quod per vnionem cum Persona Verbi excludatur à Natura humana, ideo in hoc Mysterio deprehensum est, Personalitatem superaddere aliquid Naturæ, quod fortâsse ante Mysterij hujus notitiam nemo suspicatus est.

Dixi 1. *Fortassis*. Scio enim, aliquibus, vt Cajetano, Valentiæ, & Gretsero, visum esse, quod Aristoteles agnoverit hanc veritatem, dum docuit Substantiam in primam & secundam. Sed Aristotelem alij aliter interpretantur.

Dixi 2. *Nemo suspicatus est*. Nolo enim negare, quòd quis potuisset Suspicari, faciendo hunc discursum. Persona Petri, v.g. est Natura humana divisa ab omni alia Persona: ergo dat negationem communicationis: hæc negatio vt est necessaria, eò quòd sit impossibilis communicatio, vel contingens: si contingens, jam habetur aliquod constitutivum personæ superadditum Naturæ: si necessaria, nulla est necessitas eam distinguendi à Natura. Hoc discursu facto, poterat quis in quæstionem vocare, verum ex his duobus verum sit: an negatio communicationis sit necessaria an contingens: evidens enim non erat, nec esse poterat, eam esse necessariam: poterat ergo alicui suboriri cogitatio de inveneda aliqua congruentia, ex qua bonum & opulentum sit naturæ, posse virtute primi Entis Omnipotentis vniri & communicari Naturam Petri alteri suppositi, v.g. Angelico: nam vi talis vnionis teneretur Angelus specialiter gubernare talem naturam, & glorioſum esset, hunc hominem esse Angelum. Hinc vlteriùs suspicari potuisset, subsistentiam esse aliquid positivum. Nam si sit aliquid merè negativum, evidenter repugnat vnum naturam vniri alteri supposito, habenti eamdem subsistentiam negativam; nam vel vtraque negatio deberet tolli, vel vtraque manere, nec enim potest natura vniri negationi alterius naturæ, vt omnes concedunt: ergo si subsistentia esset negatio, esset negatio necessaria respectu alterius suppositi creati. ergo non distingueretur à Natura: ergo qui suspicaretur, subsistentiam esse distinctam à Natura, hoc ipso suspicaretur illam esse positivam. Vtilitas hujus discursûs postea parebit.

§. II.

Vtrum ex Mysterio Incarnationis colligatur probabilius, Subsistentiam esse positivam, an Negativam.

210. DUæ sunt in hoc puncto celebres sententiæ: prima Scoti, qui non tam assertivè, quàm potiùs dubitativè docuit, subsistentiam consistere in negatione communicationis actualis, seu vnionis Naturæ cum alia subsistentia completa: clariùs & magis accommodatè ad nostrum propositum, si quæras, quid illud sit, quod natura humana Christi defacto non habet, & quod excluditur ab illa per assumptionem seu vnionem hypostaticam, ex cujus absentia non sistit in se, nec est persona distincta à Verbo, sicut esset persona distincta, si non esset vnita Verbo; respondent auctores hujus sententiæ, non esse aliud, quàm negationem hujus ipsius vnionis hypostaticæ. Hanc sententiam amplexus est VVadingus: quod quidem mirum non est, quia negat Modos vniversim. VVadingum secutus est Recentior Hispanus, qui tamen hoc habet singulare, quòd admittat esse possibilem in omnibus & singulis naturis subsistentiam positivam, quæ tamen defacto non existit: quem quoad hoc specialiter impugnabo inferiùs.

Contraria sententia est communissima, quæ docet, subsistentiam esse aliquid positivum, præscindendo, vtrum sit Modus vel Res. Hujus sententiæ præcipua fundamenta (omissis levioribus, quæ apud Philosophos videri possunt) refetam, vnà cùm responsionibus adversariorum, si quas dederunt; deinde eam specialiter ad hominem contra Recentiorem illum tuebor.

Primum Argumentum proponit P. Raynaudus. Terminus vltimus substantiæ creatæ, nempe subsistentia, non potest esse mera negatio, quia terminus ille confert ad complendam naturam substantialem, quæ absque eo foret substantialiter incompleta. Negatio enim non potest dici complementum rei positivæ: Vnde Natura substantialis perperam diceretur esse per se incompleta: Nihil quippe dicitur incompletum, nisi quod perfici potest accessu complementi, quod sit ejusdem generis cum natura seu re complenda: atqui per se liquet, negationem non esse ejusdem generis cum Natura substantiali: ergo non potest eam complere.

Ad hoc Argumentum vtique respondendum est adversarijs, subsistentiam esse quidem complementum Naturæ in ratione *subsistentis*: sed ad hoc sufficere complementum Negativum & Terminum Negativum, & hoc complementum esse complementum substantiale Negativum, quia est negatio vnionis substantialis. Vlteriùs hæc negatio convenit in aliquo prædicato generico cum Ente positivo, quia potest etiam dari Ens positivum, exclusivum vnionis hypostaticæ: Instantia etiam hujus rei posset dari ex Continuo: v. g. aqua palmaris, in multorum sententia, constituitur in ratione vnius individui per negationem continuationis cum alia aqua, & sic hæc negatio est complementum negativum, ita etiam erit subsistentia.

211. Contra hanc responsionem vrgeri posset, & ostendi disparitas instantiæ allatæ cum subsistentia. Qui negant puncta terminativa, & volunt Aquam terminari per meram negationem, hoc ideo dicunt, quia aquæ non est Bonum debitum, non continuari, imò est illi Bonum continuari; & licet hæc determinata & tanta continuatio non exigatur ab aqua, aliqua tamen continuatio indeterminatè exigitur; determinatio autem provenit per accidens ex alijs causlis habentibus vim dividendi, quæ divisibilitas erat necessaria ad bonum vniversi. Itaque continuatio est bonum privatum aquæ, quia quò plures partes sunt continuatæ, eò est potentior aqua ad se defendendum, ne ab agente extrinseco destruatur.

Econtra Subsistere in se, & esse terminatum, seu non communicatum per vnionem informativam alteri Suppositò, est Bonum Naturæ exigentis hunc terminum: quapropter videtur Natura debuisse hunc terminum potiùs constituere in aliquo positivo & intrinseco ipsi naturæ, qui se habeat instar propugnaculi, & eo modo quo se haberent puncta terminativa, si darentur, quæ, vt dixi, solùm ideo non dantur, quia continuatio est bonum aquæ.

212. Secundum, & ferè vnicum argumentum quod vrget Lugo, Reynaudus, Arriaga, & Comptonus, desumitur ex definitione Patrum, damnantium errorem Nestorij. Definiunt enim Patres, post vnionem inter Verbum & Naturam Christi, non mansisse subsistentiam seu rationem Personæ ex parte Humanitatis, sed esse spoliatam propriâ subsistentiâ. Jam sic. Ridiculum est definire, per vnionem non manere negationem vnionis: per vnionem spoliari subjectum negatione vnionis: atqui in sententia dicente, quòd subsistentia sit negatio vnionis, hoc & nil aliud definivissent Patres: ergo sententia adversariorum facit definitionem Patrum ridiculam, & absurdam. Ergo dicendum potiùs est, quòd Patres supposuerint, subsistentiam esse positivam.

Hoc argumentum habet primâ fronte apparentiam, reipsâ non vrget, nisi aliter instauretur. Tunc est ridicula definitio Concilij, quando in formalibus terminis definitur aliquid, quod adeo est lumine naturæ notum, vt ridiculum sit id negare: nam hujusmodi Hæresis, non aliâ definitione rejicienda est, quàm hellebori porrectione. Jam verò Nestorij hæresis non fuit hæc. *Per vnionem non tollitur negatio vnionis. Post vnionem manet negatio vnionis. Per vnionem natura non spoliatur negatione vnionis.* Sed hæresis ipsius fuit, nullam dari vnionem physicam inter Verbum & Naturam humanam, sed merè affectivam, & cum hac affectiva vnione consistere totam rationem

Personæ & Personalitatis humanæ naturæ. Hoc Patres damnârunt, & definierunt, dari vnionem physicam, & per eam tolli seu excludi personalitatem propriam humanitatis, quidquid illa personaliras sit, in quo præscindebant à quæstione philosophica, an subsistentia sit positiva vel negativa, quia sufficiebat definiviſſe, dari vnionem physicam exclusivam personalitatis humanæ, seu dualitatis personarum : & humanitatem posse existere sine propria personalitate. Ad argumentum ergo in forma respondetur, distinguendo majorem. Est ridiculum illa definire in eo sensu, in quo non erat ridiculum ea negari à Nestorio, nego : in eo sensu, & sub illis formalibus terminis, & explicito conceptu, in quo fuisset ridiculum ea à Nestorio negari, concedo majorem : & eodem modo distinctâ minore negatur consequentia.

213. Aliter tamen mihi videtur hoc argumentum institui posse. Sciendum autem est, quòd Nestorius pro suo errore quatuor supposuerit. Primum, quòd *Persona* nihil penitus aliud importet, quàm *Natura*. Secundum, quòd sicut omnia constitutiva *Naturæ* sunt positiva & substantialia, ita omnia constitutiva Personæ, sint etiam positiva & substantialia : hoc enim clarè sequitur ex priore. Tertium, quòd repugnet vnam personam physicè vniri alteri personæ, ita vt ex parte vtriusque Personæ maneant omnia constitutiva Personæ. Quartum, quòd inter omnia constitutiva Naturæ humanæ Christi & Verbum intercesserit aliqua vnio, qualiscunque. His quatuor datis, evidenter deducebatur error Nestorij, nempe Vnionem hanc non potuisse esse physicam, sed debuisse esse tantùm Metaphoricam & affectivam. His suppositis

Concedo, quòd ex Patrum definitione & damnatione erroris Nestoriani, non possit immediatè deduci, subsistentiam creatam esse positivam : nam hoc definire non pertinebat ad illorum intentum, quibus satis esse debebat, definiviſſe vnitatem Personæ in Christo sine confusione Naturarum.

214. Censeo tamen, illorum Patrum sensum fuisse, subsistentiam creatam exclusam per Vnionem Verbi, esse aliquid positivum & substantiale. & hoc satis est, vt Conclusio & sententia communis probetur auctoritate illorum Patrum. Probo hoc assertum. Spectatis verbis Patrum, & toto processu quem instituerunt contra Nestorium, videntur Patres in tribus vltimis recensitis cum Nestorio conveniſſe, & illi consensisse, & in solo primo dissensisse. Et quidem de tertio & quarto puncto non est difficultas. solùm pro secundo puncto est reddenda ratio, suadens, quòd Patres convenerint cum Nestorio, nempe quòd omnia constitutiva tam Naturæ quàm Personæ, sint positiva.

Ad hoc probandum adducam primò varias significationes, in quibus vocabulum, *Hypostasis*, vsurpatum est ab antiquis, & apparebit, semper in positivo sensu fuisse vsurpatum. Secundò affe-
feram locutiones Patrum, quibus asserunt, a-
quos philosophos, ignorantes hoc myſterium,
non potuisse agnoscere discrimen inter *Natura*
& *Personam*, & ab his fuisse seductos hæreticos.
Quæ Testimonia plurimum momenti habere po-
sunt contra Recentiorem jam toties à me no-
natum, & pro merito suo semper à me asser-
tum, qui subsistentiam negativam vult ex co-
pite persuadere, quòd illa potuerit independen-
ab hoc Mysterio facilè intelligi, quia facilepo-
rat intelligi, quòd Divisio ab alio (quæ est e
conceptu Personæ) sit negatio vnionis : & e
hoc facili conceptu putat se magnum pondus
sententiæ adjicere. Ego autem ostendam, Pa-
tres longè aliter sensisse. Quoad primum.

215. Hypostasis significatio originalis apud Græcos Theologos duplex est, teste Petavio lib. c. 1. n. 2. Primò significat solidum aliquid & eminens, ac verum, non adumbratum & imm. Secunda significatio est, qua Res aliqua declaratur non solùm verè exstans, & quæ non plane ni-
hil (cujusmodi sunt negationes) sed quæ intime consistit & permanet, cui TÒ ANYPYSTATON op-
ponitur, caduca res & fluens, neque statum ha-
bens, & quidquid non fert ætatem. Eodem au-
ctore teste Hypostasis apud antiquos idem ſre
significabat, quod *Substantia vel natura exsten.*
Demum strictissimè acceperunt hypostasin pro
subsistentia singulari, certis definita proprietatibus.
Certè hæ omnes significationes important aliquid
merè positivum, quia important perfectionem
exclusivam oppositæ imperfectionis. Vide-
hi plusquam probabile est, quòd quando Patres
tandem hypostasin strictiùs acceperunt contra er-
rores hæreticorum, & significârunt *Personalitatem*,
quòd, inquam, voluerint significare formam po-
sitivam, facientem subsistere Naturam, seu in se
sistere, vt etiam ipsa subsistat. Vno verbo tem-
per vsurpârunt in ea significatione, quâ solebant
etiam significare subsistentias divinas, vt videre
licet ex ijs quæ habet citatus Petavius in 4. lib.
de Trinit. Quis autem credat, quòd si putasset
subsistentiam creatam esse puram putam negatio-
nem vnionis, nunquam hoc discrimen inter Per-
sonalitates increatas & creatas adnotâssent? Quod
secundum ;

S. Anastasius Sinaita ait, esse Traditionem Apostolicam, & doctrinam in Ecclesia indubita-
tam, quòd Natura & Persona non sint idem, re-
clamantibus licèt philosophis, quos ait viam ha-
reticis stravisse.

Theodoretus, qui à principio favebat Nesto-
rio, sed deinde resipuit, in suis dialogis nullam
distinctionem Naturæ & hypostasis nullam re-
dem esse, si externa spectetur Sapientia, hoc est
& philosophorum & hæreticorum : sed si Patrum
doctrina spectetur, Naturam & Personam differre
plurimùm. Idem docent Epiphanius, Vigilius,
Eulogius, apud Reynaudum.

216. Ex his licet formare hoc argumentum. Juxta SS. PP. philosophi antiqui errârunt non distinguentes subsistentiam à Natura : atqui non errâssent, si subsistentia ex mente Patrum esset negatio vnionis cum aliena subsistentia : ergo ex mente Patrum subsistentia non est negatio, sed aliquid positivum, contradistinctum à Natura. Minorem probo. Philosophi non comparârunt suppositum creatum cum supposito increato & divino, sed cum quocunque alio supposito creato. Jam, si subsistentia creata est negatio, hæc negatio respectu suppositi alterius creati est negatio necessaria. atqui ex valde communi Recentiorum, & etiam Recentioris Hispani doctrina, hæc negatio necessaria est identificata cum Natura : ergo philosophi in eo sensu, quo illi locuti sunt de Persona & Natura, non errâssent.

217. His communibus argumentis placet addere hoc aliud, & sic argumentor pro subsistentia positiva. Si subsistentia est mera negatio, tunc subsistentia Petri, secundùm quod facit differre à Bucephalo in ratione suppositi, non est id secundùm quod differt à Deo in ratione suppositi. consequens non credo adversarijs in mentem veniſſe, nemo enim vnquam duas hujusmodi subsistentias asserit, vnam ad excludenda supposita creata, aliam ad excludendum suppositum divinum. Sequelam facilè probo ex dictis & concessis. Illud est subsistentia Petri respectu Bucephali, per quod repugnat Natura Petri vniri Bucephalo : atqui non repugnat vniri Bucephalo per illam negationem, per quam repugnat vniri Personæ divinæ : ergo alia est subsistentia respectu Bucephali, & alia respectu Personæ divinæ. Major est certa. Minor probatur. Natura Petri repugnat (in sententia adversariorum) vniri Bucephalo per negationem necessariam identificatam cum ipsa natura, Deo repugnat vniri per negationem contingentem separabilem à natura : sed hæ negationes sunt inter se distinctæ, quia altera identificatur cum natura, altera non : ergo in sententia adversariorum subsistentia adæquata Petri est aggregatum ex Natura & negatione contingente, quorum neutrum secundùm se est sufficienter exclusivum omnis alterius suppositi, & per consequens Petri natura non per idem subsistit respectu Bucephali, per quod subsistit respectu Dei.

218. Contra Recentiorem docentem, esse possibilem subsistentiam positivam, qualem defacto admittit communis sententia, potest actualis existentia ejusdem satis efficaciter, meo quidem judicio, probari.

Si est possibilis subsistentia positiva, hoc ipso defacto datur. Est per adversarium possibilis : ergo defacto datur. Sequelam probo sexduplici medio termino. Primò sic. Si subsistentia positiva est possibilis, & defacto non datur, ideo defacto non datur, quia si daretur, esset superflua : sed si esset superflua, hocipso est impossibilis : ergo vera est sequela. Minor probatur. Si esset superflua, esset essentialiter superflua : sed ens essentialiter superfluum, secundùm veriorem philosophiam est impossibile. ergo si esset superflua, est impossibilis. Majorem probo. Illud est essentialiter superfluum, quod essentialiter supponit adesse id, ratione cujus est superfluum : sed subsistentia positiva essentialiter supponeret id, ratione cujus esset Superflua : ergo &c. Minor probatur. Supponeret essentialiter negationem illam, in qua adversarius constituit subsistentiam sufficientem : sed ratione hujus esset superflua : ergo &c.

219. Probo jam sequelam 2. Si est possibilis positiva Subsistentia, & defacto non datur, erit Naturalis Entitas, & non erit Naturalis, sed supernaturalis : hæc sunt contradictoria : ergo vel defacto datur, vel est impossibilis. Sequelam probo. Imprimis esset entitas Naturalis, alioquin per illam evaderet homo Persona supernaturalis, cui proinde deberentur dona supernaturalia, ad hæc enim dignificaretur à personalitate Supernaturali : ergo esset possibilis substantia & persona purè creata, cui ratione substantialium deberetur Gratia Sanctificans & Visio Beata, quod est falsum, vt in primo lib. ex communi dictum est. Deinde verò talis Subsistentia esset Supernaturalis, quia excederet omnes vires creatas & creabiles, excederet omne debitum naturæ, vt per se patet ; si enim esset debita, miraculum esset, quòd defacto non daretur : sed non est miraculum eam non dari : ergo si daretur, esset indebita, excedens vires Naturæ.

220. Probo sequelam 3. Si subsistentia positiva esset possibilis, & tamen defacto non daretur, esset, & non esset Entitas Substantialis : hæc sunt contradictoria : ergo vel datur defacto, vel est impossibilis. Sequelam probo. Et imprimis quòd esset substantialis, patet, quia esset complementum substantiæ. Quòd non esset substantialis, probatur. Illud sine quo substantia est completa in ratione Personæ, non est complementum substantiæ : sed sine illa positiva subsistentia esset substantia completa in ratione Personæ : ergo non esset complementum substantiæ. Major est ex terminis evidens. Minor est ipsius adversarij, qui docet substantiam in ratione subsistentis sufficienter compleri per negationem, sine subsistentia positiva. Neque licet distinguere Majorem : Id sine quo est completa negativè, non est complementum negativum, concedendo : non est complementum positivum, negando. Hæc inquam distinctio esset inepta. Nam quomodocunque sit completa substantia, modò sit completa eo modo quo connaturaliter exigit compleri, jam hoc ipso, quidquid illi supervenit, non est substantiale, sed extra conceptum substantiæ : adeoque est accidens : atqui sine subsistentia positiva substantia est per adversarium completa, prout connaturaliter exigit compleri : ergo subsistentia positiva esset extra conceptum substantiæ, & esset accidens.

Probo sequelam 4. Si subsistentia positiva est possibis, tunc in casu quo daretur illius caussa connaturalis, deberet esse vel generans, vel ipsa natura emanans illam ex se: sed quæcunque ex his caussis assignetur, nihil illi obstat, quin de facto illam subsistentiam producat: ergo si est possibilis, dabitur defacto. Probo minorem. Omnis caussa necessaria, completa ad agendum, defacto producit suum effectum: atqui tam generans, quàm natura emanativa esset hujusmodi caussa: ergo produceret defacto illam subsistentiã.

221. Probo sequelam 5. Si positiva subsistentia est possibilis & defacto non datur, tunc datur defacto potentia passiva perperam facta, hoc est penitùs otiosa, nullam habens correspondentem caussam seu potentiam activam, quâ possit redigi in actum: consequens est absurdum: ergo si est possibilis, datur defacto. Sequelam probo. Natura haberet potentiam passivam & receptivam seu sustentativam subsistentiæ, & nulla daretur potentia activa potens illam subsistentiam educere: si enim datur defacto potentia productiva, vnde scit adversarius, quòd eam non producat?

222. Probo sequelam 6. Si est possibilis subsistentia positiva, tunc ejus possibilitas fundabitur in participatione perfectionis divinæ, quâ scilicet Natura divina gaudet subsistentijs positivis. Sed hoc ipso rectiùs dicitur eam defacto dari: cur enim Deus hanc communicationem suæ perfectionis invideret Naturis creatis; cùm hoc non sit producere novam aliquam speciem completam, sed complementum earum rerum quas defacto produxit? Quis neget, pulchrius esse, naturam subsistere positivè, quàm merè negativè?

223. Objicit adversarius pro sua sententia primò. Persona est Naturæ Rationalis individua substantia: atqui individuum est indivisum in se, & divisum à quocunque alio: ergo Persona solùm addit Naturæ rationali separationem à quocunque alio: hæc separatio non est formaliter entitas positiva: ergo Personalitas non est entitas positiva. R. Distinguendo consequens. Persona superaddit naturæ solam separationem radicalem, & proportionatam ipsi naturæ tanquam substantialiter incompletæ, concedo. superaddit solam separationem formalem seu negationem vnionis, nego Conseq. Ad probationem distinguo subsumptum. Separatio radicalis & proportionata in ratione complementi substantialis, non est formaliter positiva entitas, nego: separatio formalis, concedo ant. & nego Conseq. Hanc responsionem deberet dare adversarius, si existeret subsistentia positiva per ipsum possibilis. Eadem datur à philosophis admittentibus puncta terminativa.

Objicit 2. Vnio est entitas positiva: ergo non esse vnitum est formaliter negatio. R. Eodem modo distinguendo consequens, & retorquendo argumentum sicut prius, à quo non differt nisi solis vocibus.

§. III.

Vtrum Vnio hypostatica distinguatur realiter ab extremis, & quid sit.

224. Dicendum 1. Vnionem inter Humanitatem & Verbum realiter distingui ab extremis. Demonstratur. Quæcunque possunt nemine cogitante, ab invicem separari, ea debent aliquo modo realiter distingui: sed vnio hypostatica potest ab humanitate & verbo simul sumptis, nemine cogitante, separari: ergo &c. Major est evidens, quia nihil potest à seipso separari. Minor etiam innegabilis est: nam figatur defacto mea humanitas & Verbum non sint vnita & humanitas Christi potuisset non esse vnita.

Qui vniversim Modos negant, respondent, existentibus extremis existere quidem Vnionem entitativè, non tamen formaliter: & vnionem ab illis tantùm formaliter separari posse, non entitativè. Sed contra est: quia separari nemine cogitante, est separari entitativè: ergo etiam distinguuntur entitativè.

225. Verùm vt in præsenti abstineamus à varijs tergiversationibus, & loquendi formis, idem semper, & ideo nihil significantibus, quæ philosophis relinquimus, est specialis difficultas & ratio ponendi in casu præsenti vnionem superadditam. Si vnio hypostatica esset mera denominalitas, deberet saltem assignari posse aliqua conditio vel dispositio, quâ posità resultaret hæc denominalitas in hac potiùs quàm alia quacunque humanitate, & quâ non posità non resultaret: atqui impossibile est talem assignare: ergo ipsa Vnio debet esse realiter distincta ab extremis: non potest enim intelligi transitus de contradictorio in contradictorium, nisi in rerum natura aliquod aliter se habeat quàm antè. Subsumptum probo. Si sermo sit de dispositionibus ex parte humanitatis, nulla planè est excogitabilis, quæ disponat physicè humanitatem, vt assumatur à supposito divino, multò minùs quæ disponat ad Personalitatem Verbi potiùs, quàm ad Personalitatem Patris, vel Spiritûs Sancti. Jam ex parte Verbi nulla potest admitti dispositio vel conditio, nisi quis vellet ponere aliquam terminationem liberam, virtualiter intrinsecè distinctam ab essentia, & ab ipso Verbo divino, quæ se teneret solùm ex parte Verbi, & non sit communis omnibus tribus Personis, de qua tamen nullus adversarius rum mentionem facit, & in rei veritate nihil non esset quàm divinare, nec per illam terminationem explicaretur, quomodo Humanitas per vnionem perficeretur, & exaltaretur, & propria subsistentia supplerecur.

226. Recurrunt aliqui ad Decretum Dei, ac dicunt: hocipso quòd Deus decreverit Verbum potiùs quàm aliam divinam personam, & hanc potiùs quàm aliam humanitatem assumere, hocipso, inquiunt, omnibus alijs sublatis, intrinsecè & realiter hæc humanitas præ alia assumpta erit possibiliter hæc humanitas præ alia assumpta erit possibiliter illo tempore, quo Deus voluerit, & omnis indeterminatio

ferentia

ferentia auferetur, quia Decretum Dei frustrari non potest. ergo non est opus vnione superadditâ. Sed nemo non videt, hac ratione defendi posse, parietem posse esse album sine albedine superadditâ; solo enim decreto posito erit infallibiliter albus, quia frustrari non potest. Itaque Decretum non est caussa formalis, sed efficiens; nec est opus hoc pluribus prosequi, quia nimis evidens est insufficientia datæ responsionis.

Confirmatur jam argumentum factum. In Sententia contraria non potest assignari verificativum hujus Evangelicæ veritatis: *Verbum Caro factum est.* Nam hæc propositio non significat, solam humanitatem factam esse, vt patet: ergo aliud assignandum, nec potest esse aliud, quàm vnio; nam quidquid aliud assignetur, erit indifferens ad vnionem, vel erit aliquid *non factum.*

Objiciunt 1. Si Vnio esset realiter distincta ab Humanitate & Verbo, esset producta à tota Sanctissima Trinitate: sed hoc dici non potest: ergo, &c. Major est certa, quia omnis productio ad extrà est communis toti Trinitati. Minor probatur. quia sequeretur, humanitatem esse à tota Trinitate assumptam: nam ab illo est assumpta, à quo vnio producitur. R. & quæro ex adversarijs, à quonam producatur formalitas Vnionis quam ipsi ponunt? aliqua enim productio intervenire debet, alioquin Verbum non est caro factum. Deinde si vnio non est aliquid productum, quomodo ergo verum est, quòd humanitas sit assumpta, quandoquidem *assumere*, sit, *producere*, vt adversarij definiunt? R. directè negando minorem. ad probationem distinguo: assumere est producere, & nihil ampliùs, nego: assumere est producere, & insuper vniri, seu terminare vnionem, concedo, hoc autem complexum soli Verbo convenit.

Objiciunt 2. Si vnio esset realiter distincta, sequeretur, non solùm humanitatem per illam perfici, & intrinsecè mutari, sed etiam ipsum Verbum, quia de ratione vnionis est, perficere extrema. R. Cùm de fide sit, Verbum vniri, dent adversarij rationem, cur per formalisticam vnionem mutetur & perficiatur humanitas, non item Verbum, & considerent, vtrum non eadem responsio modali vnioni aptari possit. Dicimus ergo, de ratione vnionis physicæ solùm esse, perficere illa extrema, quæ per ejusmodi vnionem aliter se habent intrinsecè. Verbum autem non potest se intrinsecè aliter habere, vtpote habens per identitatem omnem perfectionem simpliciter simplicem. Humanitas econtra perficitur, quia substantialiter completur, & terminatur in ratione *suppositi.*

227. Quærunt hîc aliqui, vtrum Verbum debeat dici vniri intrinsecè, vel extrinsecè. In reipsa omnes convenire debent, & denique de vocabulo lis erit. Lorca, Bonaventura, Lessius, Vasquez, dicunt Verbum vniri extrinsecè: alij communiùs dicunt vniri intrinsecè: non quasi vnio subjectetur aut recipiatur in Verbo, sed quia vi vnionis Verbum evadit constitutivum intrinsecum Personæ Christi: volunt proinde per hunc loquendi modum solùm excludere vnionem extrinsecam metaphoricam, qualis est vnio intentionalis potentiæ cum objecto.

§. IV.

Vtrum Vnio hypostatica sit Modus substantialis supernaturalis.

REspondetur affirmativè. Et primò quòd sit modus probatur. Quia est actualis & vltima determinatio ad esse vnitum, & non potest existere sine extremis, etiamsi hæc possint existere sine illa.

Quòd sit substantialis, probatur. quia est vnio extremorum Substantialium ad faciendum vnum per se, estque vltimum complementum vt *quo* substantiæ. Quòd denique sit supernaturalis probatur. Quia superat omnes vires creatas & creabiles: & præterea est radix vt *quo*, donorum supernaturalium, vt infrà dicetur. Contra hoc tertium

228. Objicitur 1. Sancti PP. vocârunt hanc Vnionem naturalem, vt videre est apud Vasquez disp. 17. c. 3. R. Illos PP. solùm voluisse, non esse meram vnionem moralem, seu metaphoricam, & per affectum, vt volebat Nestorius; quapropter τὸ *Naturale*, non vsurpârunt prout opponitur *supernaturali*, sed eo sensu, quo nos eam vocamus Vnionem physicam.

229. Objicitur 2. Nulla substantia potest esse supernaturalis: sed vnio hæc est substantia: ergo non est supernaturalis. R. Distinguendo majorem. Nulla Substantia vt *Quod*, potest esse supernaturalis, concedo: nulla substantia vt *Quo*, nego. Vnde vnio hæc rectiùs dicitur *substantialis*, quàm Substantia.

230. Objicitur 3. Si vnio hypostatica esset supernaturalis, deberentur illi habitus supernaturales, & per se infusi, hoc dici non potest. hinc enim inferri posset, dari in Christo tertiam naturam: quia vnio hypostatica esset principium radicale operationum supernaturalium, & quidem in eo, in quo est primò & per se: quia non præsupponeret aliud principium earundem operationum: & sic conveniret Vnioni tota definitio Naturæ: dabitur ergo præter Naturam divinam & humanam tertia Natura in Christo.

R. Negando, quòd Vnio hypostatica simpliciter sit primum principium operationum quæ fiunt à tali supposito: præsupponit enim animam, quæ licet non sit principium operationum supernaturalium, est tamen principium cæterarum operationum, ita quidem, vt non exigat ampliùs compleri in ordine ad alias operationes. Natura autem ita debet esse principium operationum, vt non præsupponat aliud principium operationum non exigens vlteriùs compleri, esto possit elevari ad alias operationes; alioquin etiam Gratia sanctificans esset natura. Breviùs. Illud

non est Natura, quod jam' in eodem subjecto supponit aliud quod est natura: vnio autem supponit animam.

CONTROVERSIA II.

Vtrum sola Personalitas Verbi, vel etiam Natura divina secundùm esse absolutum terminaverit immediatè vnionem hypostaticam.

231. DUrandi Sententia fuit, dari duas vniones hypostaticas, quarum vna, & quidem prior terminetur ad Naturam divinam secundùm esse absolutum, & aliam quæ terminetur ad esse relativum. Rejicitur ab omnibus, & quidem à Vasquez tanquam minùs Catholica. Præcipuè ex eo rejicitur, quia sic tota Trinitas fuisset Incarnata: quod enim convenit Naturæ divinæ secundùm esse absolutum, convenit Trinitati: ergo si Natura divina esset incarnata secundùm esse absolutum, tota Trinitas esset incarnata, sicut tota Trinitas dicitur incarnâsse Verbum, quia productio vnionis est omnibus Personis communis.

232. Controversia inter cæteros DD. est, vtrum eadem indivisibilis vnio hypostatica fuerit æquè immediatè terminata ad Naturam divinam secundùm esse absolutum & relativum: & quidem procedit quæstio suppositâ distinctione virtuali intrinsecâ, de qua in prima parte actum est. Affirmavit Gabriel, cujus sententiam rectè vocat singularem Hurtadus: nam præter hunc nemo produci potest ex impressis auctoribus vsque ad ea tempora, qui id asseruerit. Nihilominus novissimè Gabrielem secutus est Recentior Hispanus, qui tribuit hanc opinionem Nominalibus in genere. Sed hæc auctoritas illum parùm juvat: Nam Nominales communiter nullam virtualem distinctionem admittunt, & ideo in eorum schola non procedit præsens quæstio.

Sententia asserens, Vnionem terminari ad solam Personalitatem immediatè, post Vasquez & Hurtadum supponitur à RR. potiùs quàm probetur.

233. DICO, Personalitatem Verbi solam immediatè terminare Vnionem. Probatur Conclusio 1. Auctoritate duorum Conciliorum Toletanorum, sexto & vndecimo. Vbi semper in Confessione solenni fidei, quam ipsi Concilio PP. præmiserant, hæc clara verba posuerunt. Et cùm tota cooperata sit Trinitas formationem susceptæ hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius susceptæ humanitatem in singularitate Personæ, non in Vnitate divinæ Naturæ, id est, in eo quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati.] His verbis, fatetur adversarius, suam sententiam premi. Dupliciter tamen respondet. Primò, hoc Concilium fuisse tantùm Nationale, non Vniversale. Ità est: sed non propterea caret auctoritate gravissimâ, quia adducta verba posuit in suo Symbolo fidei, & eadem verbà repetijt absque reprehensione Concilium XI.

234. Respondet 2. Concilium intelligendum esse, quòd id, quod est commune Trinitati, scilicet, Natura divina, non fuerit terminus adæquatus Vnionis.

Sed contrà, quia hæc interpretatio indicat illis Concilij verbis sensum falsum, & ridiculum, atque etiam æquivocum. Falsum & ridiculum quidem ideo, quia esset sensus similimus huic propositioni, quâ ego dicerem. *Volitio mea procedit à me, non à Deo.* interpretando: tanquam à causâ adæquata: cenferetur autem propositio ab omnibus falsa, & illius expositio ridicula, quia illa adjectio seu declaratio non exprimitur illo modo per illa verba. Deinde esset etiam sensus æquivocus: quia dum dicit in priori membro: *in singularitate Personæ*: loqueretur de termino inadæquato, in secundo membro loqueretur de termino adæquato, dum dicit: *non in vnitate divinæ Naturæ*: quæ sanè esset fallacissima æquivocatio.

235. Probatur Conclusio 2. Si Vnio hypostatica æquè immediatè sit in Natura divina ut virtualiter distincta à Personalitate, sicut sit in Personalitate, sequitur totam Trinitatem redidisse incarnatam, non minùs atque id sequitur ex sententia Durandi, ponentis duas vniones, consequens admitti non potest: ergo nec illud unde sequitur. Sequelam (quam etiam fecit Concilium Toletanum) probo. Nam Vnio adversarij est quidem vnio indivisibilis, sed pertinaequivalens duabus vnionibus Durandi: indivisibilitas autem vnionis non impedit ex parte termini effectum formalem: sicut, si quis per possibile vel impossibile videret intuitivè directè divinam essentiam, & eâdem visione videret specialiter & directè Verbum, non propterea non videret totam Trinitatem indirectè in essentia divina, quemadmodum videret alius videns solam essentiam directè.

236. DICES. Natura divina vt est in Verbo, non est communis: ergo si Vnio tantùm terminetur ad illam vt est in Verbo, non terminatur ad illam vt communem: ergo non sequitur, quòd esset incarnata Trinitas.

Sed contrà. Hæc suppositio: *Natura prout est in Verbo*: Vel per te supponit pro sola Personalitate Verbi, vel simul pro aliquo virtualiter distincto à Personalitate Verbi: Si primum, habeo intentum, & infero: Ergo Vnio Naturæ vt est in Verbo, formalissimè aliud non est, quàm Vnio Personalitatis: ergo Personalitas est Terminus adæquatus. Si secundum, quæro quid illud sit? non potest esse nisi aliquid commune, nam tunc Personalitates non sunt communes: ergo adhuc Vnio terminabitur ad aliquid commune, & ita reduplicatio est merum vocabulum nihil significans faciens ad solutionem argumenti.

Confir-

237. Confirmatur 1. Natura prout est in Verbo, dicitur *genita*. ita loquitur S. Fulgentius in lib. de Incarn. & Gratia Christi, vbi dicit, quòd Natura Verbi sit Genita. hoc non potest esse verum, quasi Natura sit Terminus inadæquatus Generationis: ergo reduplicatio illa; *Natura verbi, seu Natura prout in Verbo*; constituit pro Termino adæquato ipsam Personalitatem, & non comprehendit Naturam vt virtualiter distinctam.

Confirmatur 2. Natura vt virtualiter distincta à Personalitate, est Natura communicata: sed Natura communicata est formalissimè Natura communis: ergo Natura vt virtualiter à Personalitate distincta, est formalissimè Natura communis: ergo si Vnio terminatur ad Naturam vt virtualiter distinctam, terminatur ad Naturam communem.

238. DICES, Terminari quidem ad Naturam quæ est communis, sed non ad Naturam vt communem. Sed contra. quia hæc reduplicatio ejúsque verificatio, plus non requirit aut importat, quàm quòd non Terminetur immediatè ad omnes personalitates divinas, nam ideo terminatur vnio ad Naturam vt propriam Verbi, quia simul immediatè terminatur ad Verbum: ergo vt terminaretur ad Naturam vt communem, deberet non tantùm terminari ad Naturam ipsam, sed etiam ad omnes tres personalitates, & nisi hoc dicatur, nunquam potest explicari sensus illius reduplicationis. Jam sic argumentor. Ad hoc vt tota Trinitas dicatur Incarnata, non est opus vt omnes tres Personalitates sint immediatè vnitæ, nam Durandus non asseruit hanc immediatam vnionem, & tamen ipse adversarius arguit contra Durandum, quòd tota Trinitas esset incarnata: ergo ad hanc propositionem inferendam non plus requiritur, quàm vt Humanitas immediatè vniretur illi Naturæ quæ est communis: atqui hoc adversarius asserit: ergo rectè contra illum infertur, quod contra Durandum, nempe, totam Trinitatem fore incarnatam.

239. Probo Conclusionem 3. De Vnionis Termino plus non est asserendum, quàm quod requiritur ad salvandam Evangelicam veritatem: *Verbum caro factum est*. Sed ad hanc verificandã non requiritur, vt terminus immediatus vnionis sit Natura divina vt virtualiter distincta à Personalitate, sed satis est, quòd Personalitas sit terminus adæquatus: ergo illud non est asserendum. Majorem tradunt SS. PP. apud Petavium. Minor mihi est indubitabilis, nec adversarius vllo verbulo conatur ostendere contrarium, quod facere debuisset, sed vnicè fundat se in quadam propositione apud Patres Græcos vsitata, quâ dicunt, Naturam Verbi esse incarnatam, quam putat aliter non esse veram, nisi Natura sit immediatè incarnata, quod quidem falsum esse paulò pòst ostendemus. Nunc autem probo minorem vlteriùs, & imprimis à pari. Si mea Natura vniretur intrinsecè soli subsistentiæ Angeli, verè Angelus esset incarnatus, & esset vna persona constans duabus Naturis, de quo nemo dubitat. Deinde à priori. Quia illius solius vnio sufficit, à quo solo confertur humanitati effectus formalis *subsistentis*, seu *Terminatæ*. Atqui à sola Personalitate confertur hic effectus formalis: ergo. Hinc inferunt Card. de Lugo & alij, quòd repugnet Naturam vnam immediatè vniri alteri Naturæ, quia cùm Natura non sit incompleta in ratione *Naturæ*, sed tantùm in ratione *suppositi*, non potest vllum effectum formalem accipere à Natura: atqui implicat Vnio physica intrinseca non conferens effectum formalem: ergo &c. Videamus nunc argumentum adversarij.

240. Argumentum illius quoad totam substantiam est hoc. Semper in Ecclesia fuit admissa & recepta hæc propositio, apud PP. frequens: *Natura seu divinitas Verbi est incarnata*: atqui Mediatè tantùm esse vnitam Divinitatem carni, non sufficit ad illam verificandam: ergo est vnita immediatè. Minor probatur. Nam sicut mediatè identificari in Deo, est simpliciter non identificari, alioquin Pater identificaretur Filio, ita mediatè tantùm vniri erit simpliciter non vniri. atqui illa propositio simpliciter affirmat, Divinitatem seu Naturam Verbi esse vnitam carni. ergo requirit immediatam Vnionem.

241. Confirmat argumentum. Patres dicunt, Personam Verbi esse Vnitam: ergo nisi quid obstet revelatum, debet in toto rigore intelligi, adeoque dicendum est, quòd Persona Verbi secundùm omnia sua constitutiva sit vnita humanitati.

R. Verum esse quòd illa propositio fuerit semper recepta; hoc autem factum est, vt ex historijs liquet, & ad longum deducit Petavius lib. 4. c. 5. & seqq. ex Reverentia erga S. Cyrillum, qui, quantùm certò constare potest, primus illâ vsus est, addendo vnam particulam: scilicet: Vnam Naturam Verbi incarnatam esse: quæ propositio, maximè ob illam particulam, ingentes illi molestias creavit. Cæterùm rectè semper fuit admissa illa propositio, & si mens SS. PP. attendatur, potiùs nobis favet quàm obest.

Et quidem aliqui ex Patribus, teste Petavio, existimârunt, Cyrillum per *Naturam* aliud non intellexisse, quàm Personam, & apud Græcos nihil fuit vsitatius, quàm *Naturam* & *Personam* eodem vocabulo proferre: vnde etiam dixerunt, Naturam Verbi esse genitam à Patre Cælesti. Verùm non est opus huc devenire, nam illa propositio verum sensum habet, etiam intelligendo illam de Natura vt virtualiter distincta à Personalitate, vt videbimus.

242. Quòd autem Patres eam aliter intellexerint, quàm eam vsurpet adversarius, ex eo manifestum est, quòd quando eam conati sunt interpretari, expressè dixerint, non eodem modo, sed aliter incarnatam esse Naturam, & aliter Personalitatem, nempe (vt jam in scholis loquimur) mediatè Naturam, & immediatè Verbum: item Naturam dici incarnatam materialiter & in ratione

ne

ne subjecti, seu quasi denominativè, Personalitatem verò formaliter & per modum quasi formæ seu termini vnionis.

243. Priorem explicationem & discrimen tradit egregius Theologus Rusticus Diaconus, in sua disputatione contra Acephalos, quæ exstat in Bibliotheca Patrum To. 4. col. 824. [Non Deus, inquit, Verbum per divinam Naturam, sed divina Natura per Dei Verbi personam vnita dicitur carni. Si enim tota Trinitas incarnari voluisset, tunc forsan justè ipsa NB. per seipsam (hoc est immediatè) fuerat incarnata Natura. Omnia enim quæ illi Naturæ secundùm se, & propter seipsam NB. adsunt, communia Trinitatis, & non propria vnius soliúsque Personæ sunt. Inhumanatio autem non communis, sed propria est solius subsistentiæ Verbi (notet hoc adversarius, volens esse propriam totius Personæ secundùm omnia constitutiva.) Incarnatus est igitur & Deus Verbum, & Natura ejus, sed ille quidem per semetipsum, & secundùm quod est ipse, illa verò (id est Natura) non ita, sed per Personam. Igitur Deus Verbum secundùm semetipsum quidem vnitus est carni, vna enim Persona, & vna subsistentia est facta cum carne, secundùm Naturam verò conjunctus est potiùs quàm vnitus: duæ enim manserè Naturæ, & per comparationem NB. Verbum potiùs vnitum carni est, quàm Natura ejus, & ob hoc istud potiùs quàm illud Vnitio est, illud magis conjunctio est, licet sit & Vnitio.] Hæc ille Theologus, quæ pro nobis apertè pronuntiant, & adversario contradicunt.

244. Confirmatur hæc doctrina ex eo, quòd licet antiqui Patres sæpè dixerint, Naturam Verbi esse incarnatam, quando tamen hanc ipsam vnionem accuratiùs declarârunt, absolutè & simpliciter negaverint, Naturam divinam esse vnitam: quæ sanè non cohærerent, nisi diverso sensu diceretur Natura vnita & non vnita, nimirum vnita mediatè, non vnita immediatè. Audiamus Ferrandum Diaconum, qui scripsit quinto sæculo, septuaginta circiter annis post Cyrillum. [Pater, inquit, & Filius substantiâ vnum sunt, non in Persona &c. Filius verò susciens carnem sic eam susscipere dignatus est, vt vna Persona fieret Carnis & Verbi, non tamen vna Natura. Deus homo factus naturam sibi adunavit humanam, sed in vnitate Personæ, quam non habet cum Patre communem, non in vnitate substantiæ quam habet cum Patre communem. Ideo non Trinitas, sed tantùm Filius & natus & passus est. alia est Natura secundùm quam passus est Filius. sed quia vnam fecit personam suæ divinitatis & carnis, propter vnitatem Personæ, divinitas dicitur passa, quidquid pertulit caro. Persona autem Filij non est ea quæ est Patris, quia alia est Patris, ideo tantummodo Filius passus est.]

245. Ex quibus vltimis verbis eruitur jam secunda explicatio objectæ propositionis, & assignatur discrimen inter Vnionem Naturæ & Personalitatis, quàm tradit eleganter Petavius lib. 5. c. 1. n. 5. [Etsi, inquit, Divinitas, quæ est in Verbo, idem planè sit cum eo, tamen EPINOIA differunt, quæ in Deo sufficit, vt quædam de vno categoremata prædicentur, quæ in alterum non competunt. Ita ratione duntaxat *Materiæ* vel *subjecti*, vt loqui amant in scholis (intelligit subjectum denominationis) non formæ (hoc est de quo formaliter verificatur) vera sunt enuntiata illa (quod Divinitas sit incarnata) quæ tamen piè & catholicè post tantos auctores vsurpari possint, inquit Petavius. Ex quibus constat, quòd illa propositio, quam objicit adversarius, ex reverentia patrum vsurpari soleat & possit, quia recipit piam & catholicam explicationem jam traditam, quæ adhibenda sit illius declaratio, ne offendiculo sit prout aliquibus fuit, quos ibidem Petavius perstringit, qui dixerant, antiquos Patres ita locutos fuisse, quòd nondum ita illis explorata atque aperta erant fidei mysteria, vti postea, disponente sic domino, posterioribus fuere temporibus.

246. Ad Confirmationem adversarij respondeo, jam esse ostensum, quomodò dici possit Natura divina immediatè vnita. Nunc addo, ante hunc Recentiorem neminem fortè, ne quidem Durandum, dixisse, quòd omnia quæ sunt in Persona Verbi, sint immediatè vnita, suppositâ virtuali distinctione. quis enim dixit, spirationem activam, quæ etiam inest Personæ Verbi, esse immediatè vnitam?

Ad illud denique, quod adversarius dicit, Vniri mediatè, non esse Vniri; sicut mediatè identificari non est identificari: Distinguendum est. Mediatè vniri non est vniri in Vnione Naturæ, concedo: in vnitatem Personæ, nego. Eodem modo, identificari Patrem mediante Filio, scilicet mediante naturâ, non est identificari in vnitatem Personæ, est tamen identificari in vnitatem Naturæ. Quando ergo absolutè concedimus illa propositio: *Natura divina est vnita*, hoc non fit, quia post tam diuturnam discussionem & declarationem illius, jam constat Theologis, quo sensu vsurpetur. at verò hæc propositio: *Pater est identificatus Filio*: sine addita declaratione, & reduplicatione Naturæ, non est toleranda, quia esset contradictoria non solùm simpliciter est vera, sed etiam semper & vnicè vsurpata. Quòd illa propositio: *Divinitas Verbi est incarnata*, non fuisset à Patribus vsurpata, neque jam in scholis vsurparetur.

Præterea TÒ *Vniri* opponitur huic: *esse separatum*: TÒ *Identificari* opponitur huic: *esse distinctum*. Mediatè vniri, jam excludit separationem, quia separatum esse, est, nullo modo vniri: at verò *mediatè identificari*, supponit realem distinctionem, & realiter distingui non est nullo modo identificari, quia stat cum identitate tertio: econtra TÒ *identificari* simpliciter, dicit: Nullo modo distingui: ergo quæ realiter distinguuntur, non dicuntur identificari simpliciter, quia identitas simpliciter excludit omnem distinctionem realem: itaque mediata identitas stat cum

cum Reali distinctione, sed mediata Vnio non stat cum separatione: Ergo quæ mediatè vniuntur, rectè dicuntur simpliciter vnita.

CONTROVERSIA III.

Quænam terminent vnionem hypostaticam ex parte Naturæ assumptæ.

248. VArij in hoc puncto fuerunt errores tum hæreticorum tum Catholicorum. Primus error fuit Arrij, Apollinaris, & aliorum, asserentium, Verbum non assumpsisse veram animam, sed Verbum ipsum fuisse loco animæ. Damnatus est à Concilijs & in Symbolo S. Athanasij. Clarissimè verò Matth. 26. *Tristis est anima mea.* Jo. 10. & 12. *Potestatem habeo ponendi animam meam* &: *Nunc anima mea turbata est.*

Secundus error fuit Manichæorum, Priscillianistarum, & aliorum, asserentium, Verbum non assumpsisse verum corpus humanum, sed phantasticum: cujus oppositum est sæpius definitum, ac in dicto Symbolo expressum, & habetur Jo. 1. *Verbum caro factum est.* Lucæ 24. *Videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet.*

Tertius error fuit Gnosticorum, Verbum assumpsisse Corpus cæleste, non terrenum, qui etiam damnatus est, & contrarium habetur, Jo. 1. Lucæ 1. *Quod ex te nascetur.* Dicitur quidem Christus cælestis, 1. ad Cor. 15. Sed propter Verbum, & propter miraculosam conceptionem, vitam & doctrinam.

Quartus error fuit quorundam Catholicorum, apud Magistrum sentent. docentium, inter animam & Corpus Christi non intercessisse Veram Vnionem, adeoque non totam Humanitatem fuisse assumptam: quæ sententia vocatur à S. Thoma & Suarez hæretica, quia idem esset ac dicere, Christum non esse Hominem, nec mortuum, quia mors est sublatio Vnionis inter corpus & animam.

Vtrum, sicut anima & Corpus, ita etiam Vnio sit immediatè assumpta, an per vnam indivisibilem vnionem hypostaticam, an per partiales, pendet ex quæstione philosophica de indivisibilitate vel divisibilitate subsistentiæ creatæ.

249. Quæres, quid sentiendum sit de hac propositione: *Verbum assumpsit hominem.* R. Tametsi satis frequenter fuerit ab initio Ecclesiæ vsurpata, nunc tamen non toleratur, ut post S. Thomam tradunt Theologi. Ratio vtriusque est, quia tunc temporis nondum erat in vsu significatio vocis, *Humanitas*, supponentis pro Natura vt distincta à Personalitate, seu à tota Persona: Vnde factum est, vt diceretur, Verbum assumpsisse Hominem, intelligendo secundùm ea, secundùm quæ assumibilis est: quemadmodum si Verbum nunc assumeret Naturam aquæ, diceremus Verbum assumpsisse aquam, quia vox *Aquinitas* non est in vsu. Hodie verò postquam vox *Humanitas* recepit significationem Abstracti, & significat Naturam vt distinctam ab hypostasi, abstinendum est ab illa propositione, ne videamur dicere velle, Christum assumpsisse totum hominem, seu totam Personam, & arguerentur in Christo duæ personæ.

Quæstio est, vtrum Verbum immediatè assumpserit sanguinem, suppositâ communiore sententiâ Medicorum, quòd sanguis non vivat.

Affirmandum est cum S. Thoma, & tota ejus schola, cæterisque Theologis contra Durandum, Gabrielem, & ex parte contra Cajetanum. Ratio est, quia sanguis est pars Humanitatis, vt tradit Tridentinum sess. 13. c. 3. asserens, sanguinem esse partem Christi: sed Verbum assumpsit immediatè omnes partes humanitatis: quia non est major ratio de vna quàm de alia. Ergo.

Quod de sanguine dictum est, etiam de cæteris humoribus principalibus, phlegmate, pituitâ, atrâ & flavâ bile dicendum, ob eandem rationem. De Pilis & Vnguibus negat Vasquez, alij affirmant, quia etiam censentur partes corporis: alioquin non haberetur ratio, cur ponantur in Eucharistia.

250. Celebris olim controversia fuit inter Scholam Thomisticam & Scotisticam de sanguine Christi effuso, vtrum in triduo mortis fuerit adhuc hypostaticè vnitus Verbo, saltem quoad illas partes, quas postea Christus resurgens reassumpsit. Negant Scotistæ, & negativam propugnavit coram Pontifice F. Franciscus de la Rovere, Ordinis S. Francisci, ac postmodum electus Papa Sixtus IV. contra Dominicum de Dominicis, Ordinis S. Dominici. Affirmandum tamen est cum S. Thoma. Quia de illo sanguine procedit eadem ratio, quæ probat, cadaver mansisse vnitum, nempe quia erat iterum copulandum animæ: ergo debebat semper manere corpus & sanguis Verbi. Neque obstat, quòd hac ratione posset dici, Verbum adhæsisse cruci, fuisse effusum in terram. Nam hi modi loquendi ideo non vsurpantur, quia in simili casu non vsurpantur de homine: quæ autem vsurpantur de Homine, etiam vsurpantur de Verbo: sic quia vsu non est receptum, vt dicatur effundi homo, quando effunditur sanguis, ita nec dicitur Verbum effusum. Econtra, quia vsu receptum est vt dicatur: Homo jacet in sepulchro: existit in cœlo: quamvis vnica pars ibi sit, ita etiam dicitur Verbum aut Christus sepultus esse, descendisse ad inferos. Fundamentum autem hujus diversi modi loquendi, si bene conjicio, est, quia homines concipiunt animam, tanquam partem principalem per species Figuræ humanæ: Corpus item, quia adhuc retinet externam Hominis Figuram. Non ita concipiunt sanguinem, aut vnam minutiorem partem: v. g. si manus abscissa Petri jaceret in foro: nemo diceret, ibi jacere Petrum, bene tamen si Truncus corporis ibi jaceret.

CAPVT IV.

DE SANCTITATE HUMANITATIS CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Humanitas Christi Sanctificetur Sanctitate Increatâ.

PAludanus & Marsilius apud Suarez d. 18. s. 1. videntur negativam tenuisse, dum asserunt, Christum eguisse Gratiâ accidentali, vt esset sanctus, adeoque non videntur in eo agnovisse sanctitatem substantialem, quæ illi tribueret effectum formalem *Sancti*, seu, *amabilis* amicitiâ Dei.

251. Dicendum tamen est cum indubitata hodie sententia, Humanitatem Christi fuisse substantialiter sanctificatam à sanctitate increata Verbi. Probatur 1. ex S. Scriptura in sensu Patrum accepta. Christus dicitur *Vnctus*, Danielis 9. *Vngetur sanctus sanctorum.* per hanc vnctionem vel vnguentum intelligunt PP. divinitatem seu Verbum, vt longo ordine referunt Suarez & Vasquez, & præterea vnguentum vocant sanctitatem seu amabilitatem illam, propter quàm Christus amatus est amore amicitiæ, conformiter S. Scripturæ, quæ Vnctionem pro sanctitate vsurpat. Concilium Florentinum in Decreto Vnionis dicit, Humanitatem fuisse à Verbo Deificatam. *Deificari* autem minus esse non potest, quàm *Sanctificari.*

Probatur ratione 1. Gratia habitualis sanctificat & reddit amabilem Naturam, quia est participatio divinæ Naturæ: ergo multò magis sanctificabit Divinitas ipsa communicata.

252. Probatur 2. Per illud aliqua Natura cæteroquin capax divinæ amicitiæ sanctificatur, per quod habet in se quandam repugnantiam stabilem seu habitualem cum peccato mortali, Jus ad Visionem Beatam, Radicem Donorum & Habituum actuúmque supernaturalium, Filiationem Dei, ac Denique amabilitatem amore amicitiæ divinæ, propter hæc enim Gratia habitualis dicitur *Sanctitas.* atqui hæc omnia excellentiore gradu præstantur à Verbo vnito: ergo nihil deest illi ad communicandum effectum formalem sanctitatis & amicitiæ. Minor probabitur in progressu, nam vi Vnionis hypostaticæ Humanitas Christi est impeccabilis etiam culpâ veniali, & ita quidem, vt non possit hanc vnionem destruere, sicut potest purus homo destruere Gratiam sanctificantem: item dat Jus ad Beatitudinem: vnde Christus, etiam dum esset Viator, fuit comprehensor, hoc est, præditus Visione Beatâ: est insuper Radix cæterorum habituum supernaturalium, ipsiúsque Gratiæ sanctificantis, non eadem, quasi Gratia hanc Radicem in subjecto ingât, sed quòd Vnioni, tanquam supernaturali & substantiali, & communicationi summè propriæ ex summo amore & voluntate benefaciendi effectæ, debeatur. Constituit denique Christum non Filium adoptivum, sed Filium Naturalem, etiam vt hominem, adeoque objectum dignissimum amoris amicitiæ.

253. Ex hac certa sententia movetur difficultas non exigua. Non apparet, quâ ratione possit divinitas tribuere effectum formalem Sanctitatis, quin etiam tribuat effectum formalem Immensi, Æterni, Omnipotentis, Omniscij: quia enim harum denominationum formam habet Humanitas Christi sibi vnitam. Referam varias solutiones, quæ fortasse reipsâ non differunt.

Imprimis quoad Intellectionem & Volitionem divinam, quòd non reddant Humanitatem formaliter intelligentem & volentem, facile redditur ratio in illa philosophorum sententia, quæ ad hanc denominationem requirit, vt intellectio, si sit ab intelligente distincta, vitaliter ab illo procedat. Quæ sententia confirmatur authoritate Agatonis Papæ, qui ex illa propositione S. Augustini: *Voluntas* (id est volitio) *est motus Animæ*: definivit contra Monothelitas, non esse in Christo vnam vtriusque Naturæ voluntatem & operationem. imò nec esse posse, quia volitio divina non potest esse à Natura humana, nec contra.

254. Quoad Immensitatem & æternitatem Card. de Lugo inter has & sanctitatem dat hanc disparitatem, quòd Humanitas Christi sit substantialiter incompleta in ordine ad sanctitatem Verbi, non item in ordine ad ejus Immensitatem, quod sic declarat. Personalitas Verbi est formalissimè quid divinum: ergo cùm humanitas sit incompleta substantialiter in ordine ad Personalitatem, & ex alia parte sit capax Sanctitatis, hac

ipso est substantialiter incompleta etiam in ordine ad sanctitatem provenientem à Verbo: quia *esse Sanctum* aliud non est, quàm habere in se aliquid divinum. Econtra verò subsistentia Verbi non est formaliter Immensitas: ergo Humanitas nullo modo est incompleta in ordine ad effectum formalem Immensitatis, æternitatis.

Sed Contra. Quia Humanitas Christi non tantùm sanctificatur à Personalitate Verbi, vt virtualiter distincta à Natura, sed etiam sanctificatur ab ipsa Natura, imò in multorum sententia ab hac sola: atqui ad hanc non est incompleta substantialiter humanitas. ergo potest humanitas accipere effectum formalem ab aliquo, in ordine ad quod non est incompleta substantialiter: ergo etiam poterit accipere effectum formalem Immensitatis, nisi aliud obstet.

255. Secunda explicatio est Card. Pallavicini c. 10. n. 162. vbi dicit, in hoc differre vbicationem Dei (idem est de reliquis attributis) ab vbicatione creata, quòd Vbicatio Dei existit in bonum sui, hoc est, non ordinatur in bonum alterius, sicut ordinantur formæ, atque adeo habet ex sua essentia vbicare seipsam, & non aliud ens cui adveniat: quare quantumvis vniatur alteri, non tribuit illi hunc effectum formalem: at formæ seu accidentales seu substantiales incompletæ, existunt vel in bonum alterius, vt accidentales, vel in ordine ad constituendum aliquod totum melius se solis, vt substantiales, ideo non possunt esse in aliquo subjecto, quin tribuant illi suam perfectionem.

256. Sed contra. Ex hac explicatione sequitur, Humanitatem non posse à Deo & Verbo accipere vllum effectum formalem *Subsistentis*, aut *Sancti*: ergo potiùs evertit Conclusionem quàm defendat. Sequela probatur. Ideo per te non potest Humanitas accipere effectum formalem *Immensi*, quia Immensitas Dei est ens non ordinatum ad perfectionem alterius, sed tantùm in bonum sui: atqui Verbum & Deitas in ratione subsistentiæ & Sanctitatis, est Ens in bonum sui, vt fatetur Pallavicinus: ergo non potest vt sic tribuere effectum formalem *Subsistentis & Sancti*.

257. Tertia explicatio & ratio discriminis inter effectum formalem *Sancti* & alios, traditur à P. Arriaga, qui imprimis distinguit inter effectus formales physicos, & effectus formales morales, qualis est effectus formalis *Sancti*, qui est in ordine ad aliquid extrinsecum, scilicet ad amorem amicitiæ supernaturalis. Effectus formales morales possunt haberi tam à forma immediatè vnita, quàm etiam ab vnita tantùm mediatè, vnde humanitas sanctificatur & à Verbo, & à Deitate: nam ratione vtriusque est amabilis, hoc ipso quòd in se habeat. Effectus formales physici non accipiuntur nisi â forma immediatè vnita: tales sunt, esse omnipotentem, æternum, omniscium: omnipotentia autem, &c. non vniuntur immediatè humanitati, & ideo non tribuunt effectum formalem.

258. Hæc explicatio nititur principio philosophico non admodum certo. Multi enim docent, etiam subjectum mediatum, nempe materiam primam, accipere effectum formalem *Vbicati*, ab Vbicatione Quantitatis mediatè vnita. item in sententia quorundam Subsistentia non vnitur immediatè Vnioni inter materiam & formam, & tamen facit eam formaliter subsistentem. item in sententia Thomistarum, actus vitales intentionales recipiuntur in anima mediantibus potentijs, & tamen reddunt animam formaliter viventem. Habitus supernaturales secundùm eosdem recipiuntur tantùm mediatè in anima, & tamen reddunt animam formaliter potentem operari supernaturaliter.

259. Quarta Explicatio referri posset ex P. Esparza q. 27. §. vis hujus: sed quia patitur quasdam replicas quibus occurrendum est, eam pluribus non referam, sed meum sensum aperiam.

DICO igitur, quòd Humanitas Christi habeat capacitatem ad effectum formalem *Subsistentis & Sancti*, seu amabilis amore amicitiæ divinæ, non item ad effectus formales aliorum attributorum, vt Omnipotentiæ, Immensitatis, æternitatis, Sapientiæ, de qua specialem rationem implicantiæ jam antè dedimus.

Quòd natura humana sit capax effectûs formalis *Subsistentis*, patet, quia est Substantia, & exigit subsistere: & quia subsistit per subsistentiam distinctam, potest hæc à Natura separari, & si suppleatnr per alienam, subsistet in alieno supposito, & in hoc nulla apparet repugnantia. Nam subsistere in alio non est plùs, sed potiùs minus quàm sistere in se: ergo si τὸ sistere in se habetur per formam distinctam & separabilem, facilè concipi potest, quâ ratione per vnionem alienæ Subsistentiæ conferatur effectus formalis *Sistentis in alio*. Nulla igitur ratio est, quæ ostendat repugnantiam aut incapacitatem Naturæ humanæ in ordine ad istum effectum formalem. Vno verbo: capacitatem hujus effectûs formalis discimus ex Mysterio Incarnationis, & ad illum asserendum satis est, constare de hoc mysterio. Hoc totum procedit etiam de effectu formali *Sancti*, seu *amabilis*. Ex eodem enim Mysterio constat Verbum esse vnitum Humanitati: atqui est impossibile esse vnitum Verbum humanitati, & per hoc humanitatem non reddi amabilem, vt suprà ostensum est: ergo supposito Mysterio non potest hic effectus formalis negari. Neque enim hinc sequitur, quòd Humanitas reddatur amabilis in eodem gradu, quo ipsa divinitas est propter se amabilis, quia propter identitatem habet Natura divina sibi communicatam Sanctitatẽ infinitam infinito modo, & cõmunicatione infinitâ: at verò Humanitas habet Sanctitatẽ infinitam cõmunicatam communicatione solùm finitâ, quæ cõmunicatio licet non inducat humanitati meritum tanti amoris, quantum habet divinitas secundùm se (hæc enim me-

retur amari vt finis vltimus omnium rerum, non item humanitas) inducit tamen meritum majoris amoris, quàm sit meritum cujuscunque sanctitatis creatæ & accidentalis.

Jam verò, quòd Humanitas non sit capax cæterorum effectuum formalium, ostenditur ex specialibus repugnantijs.

260. De Omnipotentia ostenditur hoc modo. Omnipotentia non potest naturæ humanæ tribuere hoc quod est: *posse producere omne producibile*: repugnat enim, quòd possit producere seipsam: ergo vt Omnipotentia tribueret humanitati aliquem effectum formalem, deberet tribuere potentiam limitatam: atqui hoc repugnat, ergo repugnat, quòd humanitas recipiat vllum effectum formalem ab Omnipotentia. Minor probatur. Vt virtus aliqua per sui vnionem tribuat mihi effectum formalem *Productivi*, non est satis, quòd verum sit dicere, me vnâ cum illa virtute posse producere talem effectum: ego enim defacto possum cum omnipotentia Dei producere motum localem, & tamen hunc effectum formalem non tribuit mihi omnipotentia per vnionem physicam sui: vt ergo mihi tribueret effectum formalem per vnionem, quem sine vnione non potest tribuere, deberet me reddere productivum alicujus rei, cujus alioquin productivus cum illa non essem: hoc autem ex vi vnionis aliter fieri non potest, quàm vt ego respiciar ab actione pro priori Naturæ, à qua non respicerer, si Omnipotentia mihi non esset vnita: adeoque ex vi vnionis deberem præsupponi ad actionem ad quam alioquin non præsupponerer: atqui hoc repugnat fieri per vnionem omnipotentiæ: ergo &c. probo subsumptum. Vt vnio alicujus virtutis hoc efficiat, vt quis dicatur per illam tanquam per medium operari, debet subjectum vnionis non solùm præsupponi ad ipsam vnionem, sed etiam ad ipsam virtutem: v. g. si in me existeret impulsus causans aliquem motum, ego non essem movens, si non essem prior naturâ ad ipsum impulsum: atqui repugnat, quòd humanitas Christi sit prior naturâ ad omnipotentiam Dei: ergo repugnat quòd ab ea per vnionem accipiat effectum formalem *Productivi* alicujus, cujus non est productiva cum omnipotentia non vnita.

261. Confirmatur ampliùs. Si per vnionem communicaret Omnipotentia effectum formalem *Productivi*, vtique non communicaret nisi cum subordinatione ad Voluntatem, alioquin necessariò produceret omne producibile, quod est impossibile: atqui non potest cum tali subordinatione communicari omnipotentia præcisè per sui vnionem, quia non potest voluntas determinare potentiam adæquatè distinctam, & à se penitus independentem, si illa potentia est causa adæquata effectûs: sicut in casu nostro esset omnipotentia: determinatio enim est actio immediatè procedens à causa determinante. Est ergo specialis Repugnantia in Omnipotentia; quod erat probandum.

262. Immensitatis effectus formalis etiam non hoc ipso communicatur Humanitati, quòd illi sit vnita. Nam quando vna entitas existens essentialiter definitivè vnitur alteri, non hoc ipso vi talis vnionis debet alterum existere in toto loco totaliter, sed satis est, existere in aliqua parte spatij, vt patet in homine, cujus pes est vnitus animæ, neque tamen existit pes vbicunque existit anima: ergo eodem modo non hoc ipso quòd humanitas vniatur Immensitati, existet vbicunque Immensitas existit: ergo necesse est determinari per aliquid superadditum, vt coëxistat Immensitati potiùs in hoc, quàm in alio loco: ergo ab hoc superaddito, vtpote vltimatâ determinatione formali, accipiet Humanitas effectum formalem *vbicati*: ergo etiamsi possibilis esset vbicatio creata essentialiter immensa, & per hanc determinaretur humanitas ad coëxistendum Immensitati vbique, non propterea haberet hunc effectum formalem ab ipsa Immensitate formaliter, sed ab illa entitate creata: ergo Immensitas non potest per se formaliter communicare suum effectum formalem, nec adæquatè nec inadæquatè.

Quoad effectum formalem Æternitatis res est expedita. Si enim æternitas nunc in tempore vnita humanitati tribueret illi effectum formalem *æterni*, verificarentur contradictoria, nempe quòd fuisset, & non fuisset tempore Adami. Non fuisset, quia defacto incepit esse in vtero Virginis: fuisset, quia fuisset ab æterno.

CONTROVERSIA II.

Vtrum tam Divinitas quàm Personalitas, atque etiam ipsa Vnio sanctificent Humanitatem.

263. DICO 1. Divinitas prout virtualiter distincta à Personalitate Verbi, sanctificat Humanitatem. Probatur assertio auctoritate Patrum, dicentium, Vnctionem Humanitatis esse ipsam Divinitatem, & Humanitatem esse Divinitate delibutam, esse Deificatam. Deificari autem & Sanctificari sunt idem.

Confirmatur. Si quid obstaret, id esset, quòd Divinitas tantùm vniatur mediatè: atqui ad effectum formalem moralem *Sancti*, hoc est, ad movendum amorem extrinsecum, non requiritur Vnio immediata. Ratio à priori est, quia ratione Divinitatis vnitæ Humanitas est amabilis magis, quàm propter Gratiam sanctificantem habitualem, quæ tantùm est quædam participata accidentalis Divinitatis: & quidem in multorum Sententia Gratia non distinguitur à Charitate, recipitúrque tantùm mediatè in anima, mediante scilicet Voluntate, quam volunt esse potentiam distinctam ab anima: & tamen intelligitur sanctificare; ergo multò magis poterit divinitas, cum

dùm sit ipsa Sanctitas Verbi secum identificati, à quo etiam sanctificatur, vt jam dicemus. Vnde infert Lugo n. 52. Humanitatem non minùs sanctificari à Divinitate mediante Verbo, quàm si immediatè vniretur, quia ratione hujus medij non redditur minùs amabilis.

264. Dissensio aliqua est inter DD. vtrum dicenda sit Humanitas sanctificari *infinitè*, vel tantùm *finitè*. Hoc posterius amplectitur Lugo, observans hanc litem habere plurimum de modo loquendi; idem sentit P. Esparza: alij affirmant sanctificari infinitè. In re ipsa conveniunt omnes. primò quidem, quòd Humanitas non sanctificetur aut reddatur amabilis eâ amabilitate, quâ ipsa Deitas secundùm se, & propter se est amabilis. Hæc enim necessariò amatur vt finis vltimus omnium rerum, & ipsa Humanitas vnà cum Vnione hypostatica refertur ad Deitatem, vt ad vltimum finem. Et ratio est, quia Deitas sanctificatur per identitatem cum ipsa Sanctitate infinita, quod est sanctificari sanctitate imparticipatâ: Humanitas verò sanctificatur per vnionem physicam, & sanctitate participatâ, qui est modus sanctificandi inferioris ordinis, quàm prior. Ex hoc ergo capite vult Lugo, Humanitatem tantùm sanctificari finitè simpliciter loquendo, & sine addito, quia datur sanctificatio perfectior in genere sanctificationis vt sic.

265. Conveniunt 2. Humanitatem Sanctificari infinitè in genere sanctificationis participatæ; quia non est excogitabilis perfectior sanctificatio participata; & ideo Humanitas redditur amabilis supra omnes alias amabilitates creatas. Solùm ergo potest esse quæstio, an hæc Sanctificatio possit vocari sanctificatio infinita, sine addito, *Sanctitatis participatæ*.

Existimo posse ita vocari: sicut calor infinitè intensus, vocaretur simpliciter calor infinitus, etiamsi esset possibilis perfectior calor secundùm prædicata formalia & essentialia, cum quo si compararetur, esset potiùs dicendus calor finitus quàm infinitus. Ratio alia non est, quàm receptus vsus loquendi, quo factum est, vt sæpè soleat tribui aliqua denominatio simpliciter, quando non fit comparatio cum alio, cùm tamen deberet potiùs contraria denominatio tribui, si cum alio compararetur: sic qui solo corpore pulcher est, dicitur simpliciter homo pulcher, quamvis si compararetur cum alio, qui & corpore & animo pulcher est, potiùs dicendus esset turpis.

Accedit, quòd quando Humanitas dicitur Sanctificari à Deitate tanquam Natura distincta, exprimatur satis, quòd sanctificetur sanctitate participatâ. Quare si dicatur Sanctificari infinitè, nullo addito, satis significatur, quòd sermo sit de sanctitate participata.

266. DICO 2. Humanitas Christi sanctificatur etiam formaliter à Personalitate Verbi vt virtualiter distincta à Natura. Ita communior habet sententia. Nolo fundare Conclusionem in probabili multorum opinione, quòd Personalitas Verbi sit quædam Sanctitas relativa in Deo: nam hoc est incertum, & recidit tandem in quæstionem de nomine *Sanctitatis*. communiter enim, vt notat Lugo n. 56. Sanctitas dicitur prima radix beatitudinis in supposito: atqui Verbum non est prima radix Beatitudinis in Deo, sed Natura divina est prima radix: ergo hoc sensu non dantur in Deo sanctitates relativæ. Abstrahendo ergo abhoc

267. Probo Conclusionem. Personalitas Verbi dignificat formaliter opera Christi supernaturalia, in ordine ad præmia supernaturalia, & quidem tanquam prima radix in Persona Christi vt Homo est. Nam etsi Personalitas non sit prima radix in Christo vt Deo, est tamen prima radix in Christo vt homine. Nam Christus vt homo non includit formaliter & virtualiter Naturam divinam: ergo sanctificat humanitatem Christi. Antecedens suprà declaratum est. Consequentia patet. Nam dignificatio operum in ordine ad præmium supernaturale, & dignum Filio Dei est sanctitas, quia constituit Filium Dei seu Naturalem, seu adoptivum. Neque Gratia sanctificans intelligeretur dignificare nostra opera in ordine ad præmium supernaturale, & dignum Filio Dei adoptivo, nisi esset sanctitas & forma constituens filium Dei adoptivum.

DICES. Natura divina sanctificat Humanitatem, & tamen non dignificat formaliter opera Christi vt hominis, quia vt Natura non impenditur illis: ergo dignificare & sanctificare non sunt idem. R. distinguendo consequens. Non sunt idem convertibiliter, concedo, vt genus & species, nego. Nam omnis dignificatio ad opera supernaturalia conductiva ad beatitudinem, est sanctificatio, sed non econtra. Nam ad sanctificationem sufficit, esse radicem beatitudinis, & reddere suppositum amabile amore amicitiæ.

DICO 3. Vnio hypostatica non sanctificat Humanitatem vt *Quod*, sed tantùm vt *Quo*. Probatur 1. Quia vnio hypostatica non aliter sanctificat, quàm vt communicatio sanctitatis: ergo sicut Vnio Gratiæ sanctificantis non sanctificat nisi vt *Quo*, quia est formalis communicatio ipsius Gratiæ, ita nec Vnio hypostatica. Probatur 2. & à priori; quia Vnio Modalis, quæ sit vinculum inter duo, vnicè est à Natura instituta ad hoc, vt tollat extremorum indifferentiam, & vt vnum ab altero accipiat effectum formalem cujus est capax: ergo ille effectus formalis non tribuitur per ipsam vnionem nisi vt Quo. Probatur 3. Si fingamus existere vnionem sine Verbo, humanitas non esset Deificata, nec ejus opera dignificarentur ad præmium supernaturale; quia Vnio nec est filiatio naturalis, nec adoptiva: ergo non sanctificaret.

268. Objicies 1. Omne quod est incompossibile cum peccato, est forma sanctificans. Vnio hypostatica est incompossibilis cum peccato. Ergo &c. Retorquetur imprimis argumentum in Vnione Gratiæ sanctificantis. Deinde respon-

detur distinguendo majorem. quod est incompossibilie ratione suæ propriæ excellentiæ, concedo majorem, quod est incompossibile præcisè propter connexionem cum alio, habente illam excellentiam, nego majorem, & dist. min. negatur conseq.

Objicies 2. Sancti Patres extollunt vnionem hypostaticam super omnia dona creata: ergo etiam supra Gratiam habitualem: sed non esset supra hanc extollenda, si non magis quàm hæc sanctificaret. Ergo. R. Vnionem extolli non propter suam propriam excellentiam secundùm se consideratam, sed propter terminum quem infallibiliter secum affert. Itaque magis sanctificat vt *Quo*, quàm Gratia vt *Quod*.

270. Objicies 3. Sanctitas aliud non est, quàm conjunctio cum Deo: sed Vnio hypostatica est conjunctio cum Deo: ergo. Vel sic; Ideo Gratia est sanctitas, quia est conjunctio cum Deo: sed Vnio est etiam conjunctio cum Deo, & quidem realis, cùm Gratia tantùm sit conjunctio Metaphorica & intentionalis, quatenus est radix Visionis Dei. R. Distinguendo ma. Sanctitas est conjunctio cum Deo tanquam amabilitas cum amante, concedo: tanquam vinculum ipsius amabilitatis cum subjecto amando, nego ma. & eodem modo dist. min. Negatur conseq.

CONTROVERSIA III.

Vtrum Gratia Habitualis, aliáque dona supernaturalia fuerint in Christo.

271. Affirmativam Sententiam, quæ est communis omnium Theologorum, quamque censet VVadingus haberi ex traditione, probat mirabili ratione Recentior Hispanus. Sine hac Gratia habituali Christus tantùm fuisset amabilis seu Amicus passivè, quod est, *esse Sanctum*. non autem amabilis seu amicus activè, quod est: *esse justum*, hoc est, rectè ordinatum ad Deum. Porrò ad hunc effectum formalem *justi*, non sufficit habere meram potentiam amandi seu radicem, hoc enim haberetur sufficienter per Sanctitatem increatam, sed requiritur, vt habeatur actualis amor, & quidem amor vitalis. Quâ verò ratione Gratia sanctificans sit hujusmodi amor, explicat in hunc modum. Supponit ex philosophia, actus vitales procedere per actionem distinctam, & esse terminos, qui aliquantulum permaneant, postquam jam transijt actio vitalis, & dum immanent, verè denominare adhuc volentem, amantem, &c. Deinde docet iste Recentior, quid Gratia Sanctificans sit hujusmodi amor, qui eadem ex se est talis forma, quæ posset naturaliter produci actione vitali ab anima, defacto tamen ait non produci vitaliter, sed à Deo, quia si vitaliter, produceretur, non duraret diu, sed corrumperetur: à Deo autem producitur, & conservatur incorruptibiliter, nisi destruatur per peccatum.

Hæc est probatio, fundans Sententiam nostram in principijs plusquàm dubijs, & mihi nunquam probandis. Itaque hac probatione supposità,

272. Probo Conclusionem, ad mentem S. Thomæ q. 7. a. 1. Vel Gratia sanctificans aliter distinguitur ab habitu charitatis vel non: si non distinguitur, Gratia erat Christo connaturaliter necessaria ad eliciendos actus charitatis, quam principium intrinsecè & connaturaliter movens ad actus supernaturales Charitatis. Si distinguitur, erat saltem connaturalis radix habituum.

Objicies. Verbum vnitum erat sufficiens radix habituum, eósque exigebat: nec est dubium, easdem passiones deberi diversis specieturis. v. g. Lux convenit igni & soli: ergo habitus possunt deberi ratione vnionis hypostaticæ, etiam absente Gratiâ: ergo Gratia est superflua. R. cum Cardinale de Lugo. Verbum vnitum non exigere habitus nisi mediante Gratiâ. Ratio est, quia Verbum non habet in se determinatam mensuram, cui debeat commensurari emissio habituum: at verò Gratia est mensura habituum. Et licet respectu Gratiæ Verbum etiam mensura non sit, hoc non obstat: quia Gratiæ natura sua non exigit mensuram, sicut cæteri habitus, qui semper augentur ad augmentum Gratiæ.

273. Probatur Conclusio 2. ex eodem S. Thoma. Congruum erat, vt Christus etiam esset sanctus eo genere sanctitatis, quod volebat in homines derivare. Vnde dicimur omnes de plenitudine ejus accepisse Jo. 1. & Gratiam pro Gratiâ: quo sensu etiam dicitur Christus esse vitis, & nos palmites. Nec obstat, quòd probabiliter Gratia Christi sit diversæ rationis specificæ à nostra. Satis enim est, esse ejusdem Generis & ordinis.

CAPVT

CAPUT V.

DE CHRISTI IMPECCABILITATE.

CONTROVERSIA I.

An cum Vnione hypostatica consistere possit peccatum.

274. SUpponendum 1. Christum nunquam, ne venialiter quidem peccâsse, vt definitum est in Concilio Ephesino c.18. & Lateranensi sub Martino 1. c.5. contra quosdam Hæreticos, tribuentes Christo peccatum Impatientiæ, vel desperationis, vel etiam Blasphemiæ, commissum tunc quando clamavit in Cruce: *Deus meus, Deus meus, vtquid dereliquisti me.* Impudentissimus etiam Calvinus arguit Christum peccati commissi, in petenda declinatione calicis & passionis. Constat autem veritas Catholica ex SS. Litt. Is. 53. *Eo quod iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus.* Jo. 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* ad Hebr. 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* & ibid. 9. *Semetipsum obtulit immaculatum Deo*, &c.7. dicitur *Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælis factus.* & 1. Pet. 3. *qui peccatum non fecit.*

Supponendum 2. Christum saltem ratione Visionis Beatificæ fuisse impeccabilem. Nam Visio Beata necessitat ad amorem Dei, exclusivum formaliter omnis affectûs peccaminosi: reddit etiam objectivè securum de amicitia Dei perpetua.

Quæstio superest, an Vnio hypostatica præcisè considerata, & ex alio capite, quàm quòd sit Radix Visionis Beatæ, pugnet cum peccato, tam actuali quàm habituali, tam mortali quàm veniali.

Durandus, Scotus, Marsilius & Gabriel, negare videntur hujusmodi repugnantiam: quam sententiam plerique Theologi temerariam vocant, quamvis Mendoza conetur eam ab omni censura vindicare.

Communis ergo sententia affirmat, & maximè nititur auctoritate Patrum, quorum licet aliqui interpretationem recipiant, quasi voluerint Christum impeccabilem fuisse secundum Naturam divinam, vel ratione Visionis Beatæ, vt notat Monzæus, & alij, nihilominus aliqui satis clarè dixerunt, ratione Vnionis Naturam humanam Christi fuisse impeccabilem: ergo à fortiori censuerunt, Vnionem non esse conjungibilem cum peccato; hoc enim minus est quàm illud prius, vt patet in Gratia sanctificante, quæ quidem est incompossibilis cum peccato mortali, neque tamen reddit subjectum impeccabile, quia stat cum potentia proxima peccandi, & destruendi Gratiam.

275. Dicendum est 1. Vnio hypostatica ex intrinseco prædicato habet repugnantiam saltem connaturalem, seu ex natura rei, cum peccato: adeoque fieret Miraculum, si suppositum vnionis haberet in se reatum culpæ. Non probo Conclusionem cum P. Esparza ex eo, quòd Vnio hypostatica ex intrinseco prædicato exigat Visionem Beatam, & omnem scientiam exclusivam illius ignorantiæ, quæ in omni peccato reperitur: hæc enim probatio non obtinet intentum contra Auctores citatos. Nam quæstio præsens est, an remotâ Scientiâ & Visione Beatâ, etiam per miraculum, an, inquam, adhuc foret contra exigentiam Vnionis, perseverare peccatum habituale præteritum, aut poni novum: vel an potiùs tunc non esset novum miraculum, poni aut perseverare peccatum: sicut, si quantitas debita Materiæ primæ auferretur per Miraculum à materia prima, non esset novum miraculum, materiam sic spoliatam penetrari cum alio corpore.

Probo ergo Conclusionem à minore ad majus. Gratia sanctificans ex communi sententia habet connaturalem repugnantiam cum peccato mortali, etiam dum homo caret Visione Beatificâ, adeoque non potest Gratia connaturaliter infundi, sine remissione præexistentium peccatorum mortalium: atqui Deitas & Personalitas Verbi magis sanctificant quàm Gratia habitualis. Præterea non repugnat sanctitas communicata creaturæ, pugnans cum peccato Veniali: ergo hæc perfectio est Vnioni hypostaticæ concedenda.

276. Dicendum 2. Repugnat etiam de potentia absoluta, conjungi cum peccato Vnionem hypostaticam. Probant aliqui primò: quia alioquin posset per communicationem Idiomatum Deus esse peccator. Verùm hoc ipsum est, quod quæritur, cur repugnet per communicationem Idiomatum Deum dici peccatorem, aut peccâsse, sicut dicitur mortuus, fatigatus, passus famem, sitim &c. & præterea hic quæritur Ratio à priori, & ex natura rei.

277. Pro-

277. Probant alij ex eo, quòd Verbum teneatur specialiter gubernare humanitatem, tanquam suam naturam, per vnionem sibi commissam: Vnde si ita gubernaret, vt non omnibus modis caveret peccatum, tribueretur & imputaretur peccatum ipsi Verbo immediatè & propriè, sicut dicitur peccâre Maritus, Tutor, parens, si suâ negligenti gubernatione non impediat peccatum Vxoris, pupilli, filij &c. Ita cum antiquioribus Suarez & alij.

Hanc probationem rejiciunt Mendoza & Lugo: quia ex obligatione hominum impediendi peccata proximi, & personarum sibi commissarum, malè infertur similis obligatio in Deo. Nam homo obligatur impedire peccata aliorum etiam non subditorum, Deus verò ne quidem suorum subditorum peccata impedire tenetur, salvâ eorum rectâ gubernatione.

Ad hoc Argumentum putat Arriaga responderi posse, dicendo, Deum ideo non teneri impedire omnia peccata, quia hoc ipso omnes essemus impeccabiles, non minùs quàm ipse Deus, quod est absurdum: at verò ex obligatione Verbi ad impedienda peccata humanitatis sibi commissæ, nullum sequitur inconveniens.

Sed contra. Si specialis gubernationis hoc proprium esset, reddere personam gubernatam extrinsecâ providentiâ impeccabilem, tunc populus Israëliticus, qui erat populus Dei electus, & ab eo specialiter gubernabatur, fuisset etiam impeccabilis: idem de S. Simeone dicendum esset, de quo Ecclesia dicit: *Senex puerum portabat, puer autem senem regebat.*

278. Probo itaque Conclusionem hanc sicut priorem. Gratia sanctificans ex veriore sententia est omnino incompossibilis cum peccato mortali. ergo multò magis Vnio hypostatica, vi cujus humanitas magis sanctificatur: quia sanctificatur infinitè, vt suprà dictum. Antecedens probatum est in Tract. de Gratia.

CONTROVERSIA II.

An Vnio hypostatica possit destrui per peccatum, vel antecedenter impediri.

HÆc quæstio est à priore diversa. Nam aliud est, esse incompossibilem cum peccato aliquam entitatem, & aliud, non posse per peccatum destrui vel impediri, vt patet in Gratia sanctificante. Nunc ergo quærimus, an sicut Gratia sanctificans stat cum potentia proxima peccandi, ita vt per peccatum possit destrui, ita etiam Vnio hypostatica: item, an humanitas posset antecedenter per peccatum impedire Vnionem hypostaticam, ne daretur in hoc instanti, quo data fuisset, si humanitas non peccâsset.

279. DICO 1. Ex natura rei seu connaturaliter loquendo, non potest Vnio hypostatica vel destrui vel impediri per peccatum. Probatur 1. Vnio hypostatica connaturaliter præcedit omnes operationes suppositi, sicut subsistentia. ergo sicut in puro homine peccatum supponit subsistentiam, ita in humanitate Christi supponeret Vnionem hypostaticam: atqui destructio non potest stare cum præsuppositione pro eodem instanti quo ponitur operatio: ergo Vnio hypostatica non potest destrui connaturaliter per peccatum.

Probatur 2. Vnio hypostatica est ex natura sua indefectibilis, non minùs quàm Visio Beata cujus est radix, & pertinet ad Terminum non ad viam: ergo connaturaliter non potest fieri, vt ejus conservatio pendeat à negatione peccati.

Loquendo nunc de potentia absoluta, res est minùs certa. Posse conjungi cum actu primo proximo peccandi, docent Mendoza, Arriaga, & sæpè memoratus Recentior. Alij communiùs negant. Ob quorum auctoritatem potiùs quàm rationes, & ob reverentiam sanctitatis Christi,

280. DICO 2. Vnionem hypostaticam esse omnino incompossibilem cum actu primo proximo peccandi, existente pro priori naturæ, & potente destruere vnionem hypostaticam. Probatur imprimis auctoritate Patrum, præsertim Dionysij Alexandrini in Epist. contra Paulum Samosatenum prope finem, vbi dicit: [Nisi fuisset idem qui erat Deus Verbum, non poterat esse alienus à potestate peccandi: nemo enim est quin peccare possit, nisi unus Christus, sicut Pater Christi, & Spiritus S.] quibus verbis primò astruitur impeccabilitas non præcisè proveniens à Visione beata: nam hæc etiam alijs beatis convenit. Secundò astruitur Metaphysica impeccabilitas, quia, comparatur cum impeccabilitate Patris & Spiritûs Sancti. Tertiò tribuitur hæc impeccabilitas Vnioni hypostaticæ secundùm conceptum genericum illius, quod oportet specialiter notare, contra sæpè adductum Recentiorem, qui admittit possibilem Vnionem hypostaticam, quæ conservetur dependenter à negatione peccati, adeoque quæ destruibilis esset per peccatum. Hoc ego prorsus non assequor. Quòd enim præsenti vnioni hæc perfectio indestruibilitatis conveniat, inde vnicè esse potest, quòd sit Vnio Personæ divinæ: atqui hoc verificatur de omni Vnione hypostatica possibili: ergo omnibus convenire debet.

Gregorius Nanzianzenus orat. 36. (illius verba referuntur in 6. Synodo generali Act. 4. & 17.) [Voluntas Christi, inquit, quia tota Deificata est, Deo proculdubio non adversatur.] Hæc verba non tantùm de actu 2. sed etiam de actu primo intelligenda sunt.

281. Ratione probat Conclusionem P. Esparza. Quando inquit, peccatum est impossibile ex natura rei, est etiam impossibile de potentia absoluta, nec fieri potest, vt per miraculum committatur: quia miraculum directum ad existentiam peccati, est intrinsecè turpe ac de-

decens

decens Deum, nec est perfectivum ac promotivum Naturæ vltra suam intrinsecam exigentiam, sed est deturpativum ac diminutivum ejusdem infra eandem, quod est contra conceptum essentialem veri & divini miraculi.

Contra hanc probationem statim occurrit hæc replica. Miraculum quo Deus vel offerret concursum humanitati ad bene maléve operandum, antecedenter ad vnionem hypostaticam, vel quo Vnionem conservaret dependenter ab actu exclusivo peccati, non dirigeretur ad existentiam peccati, Deus enim non intenderet peccatum, sed actum bonum oppositum: ergo probatio supponit falsum.

282. Propter hanc replicam paulò aliter formo Argumentum. Indifferentia ad bene maléve operandum, non compensat illud bonum, quod ex natura rei debetur vnioni, nempe negatio hujus indifferentiæ: ergo adhuc esset miraculum deturpativum Naturæ. Consequentia tenet juxta dicta lib. 1. antecedens probatur. Vt enim hoc compensaret, deberet servire ad actus meritorios præstantiores, vel saltem æquè præstantes, atque sunt illi, quos Christus defacto elicuit, & elicere potuit sine illa indifferentia & actu primo proximo peccandi: sed hoc est falsum: nam præstantia actûs meritorij ex duobus desumitur, ex arduitate quidem, sed principaliùs ex præstantia motivi: ex hoc capite potiùs crevit meritum suppositâ impeccabilitate & Visione Beatâ in Christo: ergo &c. Minor probatur. Per Visionem Beatam Christus clarissimè cognovit omnia motiva allicientia, qualiter non potuisset per vllam cognitionem ænigmaticam, requisitam ad potentiam peccandi: ergo operatus est ex præstantiore motivo, & præstantiori modo, quàm operari potuisset cum potentia peccandi.

283. Replicabis iterum. Ex principio posito sequi videtur, quòd nec divinitus potuisset humanitati Christi assumptæ negari Visio Beata, quia non apparet, per quid fuisset hoc Miraculum compensatum. Sequela autem videtur absurda. Nam humanitati non minùs debebatur exclusio omnis tristitiæ & doloris, quàm Visio beata: atqui miraculosè admissa est tristitia & dolor: ergo etiam negari posset Visio Beata.

R. Transeat sequela, nego minorem, & patitatem; & dico, carentiam illius gaudij ad breve tempus hujus vitæ, fuisse abundantissimè compensatam; quia sine capacitate Tristitiæ & Doloris Christus non elicuisset illos actus meritorios, quibus consecutus est Nominis exaltationem, & gloriam redemptoris, propter specialem arduitatem, sine qua non exstitisset meritum requisitum ad redemptionem. At verò Visio Beata hoc meritum non impedivit, sed potiùs promovit: ergo jam habetur Ratio, quare Visio debebat dari, non item exclusio tristitiæ.

Dicet tandem aliquis, posse reddi specialem rationem impeccabilitatis, provenientem ex hac Vnione, quæ non conveniret alicui vnioni possibili: prout docuit Recentior, qui imprimis supponit ex Philosophia, quòd in anima nostra dentur diversæ Virtualitates, quarum vna est amativa, alia oditiva, alia sperativa, alia desperativa. Has virtualitates, ait, essentialiter respici ab actibus: ab amore respici virtualitatem amativam, & non aliam, & sic de cæteris. Ad similitudinem harum formalitatum ait dari in Voluntate Dei etiam Virtualitates, quatenus Deus est volitivus alicujus effectûs formalis ex tali scientia, ad talem finem &c. Porrò sicut nostri actus interni respiciunt essentialiter illas virtutes animæ, ita, ait hic Recentior, has virtualitates respici ab effectibus externis. Hinc infert, Vnionem hypostaticam, quæ defacto datur, ideo reddere humanitatem impeccabilem, quia essentialiter procedit à tali virtualitate voluntatis divinæ, quæ est volitiva seu potens velle gubernare humanitatem in omnibus occurrentijs, per talia auxilia & illustrationes, quas per scientiam Mediam videt efficaces. Ita ille.

284. Si doctrinam hanc bene intelligo, ex ea deduci potest primò, esse possibilem Vnionem hypostaticam quæ essentialiter sit per peccatum destruenda, quod ex se absurdum est. sequela probatur. Est enim in hujus Recentioris opinione possibilis Vnio, quæ per peccatum destrui possit, & si existeret, aliquando destrueretur: ergo talis Vnio essentialiter respiceret in Deo virtualitatem quæ sit volitiva, seu potens nolle gubernare humanitatem, per illa auxilia, quæ per Scientiam Mediam videt efficacia. ergo ex essentia sua haberet gubernari per auxilia inefficacia, saltem in aliquo eventu & occurrentia.

Ex eadem doctrina sequitur 2. Vnum ex duobus, quorum neutrum admitto, & vtrumque is ipse Recentior negat; sequitur, inquam, vel efficaciam auxilij esse auxilio intrinsecam, propter essentialem respectum ad voluntatem divinam, vt ordinativam illius ad consensum per decretum prædefiniens, vel decretum intentionis & executionis virtualiter intrinsecè distingui. Sed hæc insinuâsse sufficiat, cùm longior deductio aliò spectet, & nostrâ non interfit.

CAPVT VI.

DE LIBERTATE CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

An, & quo sensu Præceptum Moriendi posit cum Impeccabilitate & Libertate Moriendi conciliari.

HÆc est vna ex præcipuis Theologiæ controversijs. Certum est, Christum liberè fuisse mortuum pro genere humano, quia Meritoriè, adeoque potuisse eâdem Libertate nolle mori. Certum etiam est, Christum fuisse impeccabilem. Certum denique multis visum est, & adhuc videtur, Christum habuisse rigorosum præceptum moriendi pro genere humano. Sed quâ ratione hæc tria conciliari possint, laboratur, imò multis impossibile esse videtur. Præceptum enim obligans sub peccato, inducit Personæ impeccabili necessitatem: ergo præceptum moriendi non stat in Christo cum Libertate moriendi, & mortis meritum tollit.

§. I.

An sufficerit Libertas moriendi quoad circumstantias.

PRima, & communis admodum antehac sententia fuit, quòd Christus vi præcepti fuerit quidem necessitatus ad moriendum, quia tamen non fuerunt illi præceptæ circumstantiæ quædam in morte intervenientes, v. g. quia non fuit præceptum, vt moreretur ex hoc determinato Motivo, hoc determinato Tempore, cum tanta actûs extensione, doloris acerbitate &c. ideo ratione harum circumstantiarum verum erat dicere, Christum liberè fuisse mortuum. Ita Suarez, Vasq. Valentia, Iessius, Monzæus, Ragusa, Præpositus, Raynaudus, alij. Contra quos

285. DICO 1. Non est sufficiens hæc Libertas ad hoc, vt Christus simpliciter dicatur Liberè mortuus. Ita Lugo; Arriaga, Pallav. Esparza. Probatur 1. Vt Christus dicatur simpliciter Liberè mortuus, non tantùm debuit fuisse liber quoad circumstantias, sed quoad substantiam mortis, ita vt potuisset simpliciter non mori. Quis enim dicat eum simpliciter Liberè mori, qui condemnatus ad mortem, acceptat sententiam amore Justitiæ, cùm posset ex alio motivo acceptare, quando simpliciter necessitatur ad acceptandum: item si intensiorem actum eliceret, & peteret plecti in loco publico ad terrorem aliorum, vel vellet mortem anticipare vnâ horâ, vel duci breviori viâ ad supplicium? Ergo libertas quoad circumstantias non sufficit, vt moriatur simpliciter Libera.

286. Probatur 2. Si Christo fuit præcepta mors quoad substantiam, non autem quoad circumstantias, & Christus totam libertatem exercuit circa solas circumstantias, sequitur, Christum non fuisse liberè mortuum ex obedientia, nec liberè factum obedientem vsque ad mortem. Nam mors ipsa, vt hi AA. concedunt, secundùm se non erat libera, & per consequens ratione mortis non magis fuit Christus laudabiliter obediens, quàm esset ille, qui tempore jejunij non comederet carnes, quia non potest illas habere, aut quia stomachus non admittit, vel quia nulla venit illi cogitatio alliciens ad carnes. Circumstantiæ autem non erant sub præcepto: ergo circa illas non est factus obediens ex præcepto: vbi enim non præstatur aliquid ex voluntate superioris, sed spontaneâ electione, non est formaliter virtus obedientiæ. Alia probatio colligetur ex dicendis. Itaque

287. Sententiæ relatæ non multùm abhorret est explicatio P. Arriagæ, quam accepit ex P. Amico; aitque esse solutionem facillimam & clarissimam. Supponit ergo, Christo ita fuisse impositum præceptum mortis, vt non obligeretur ad certum tempus, sed esset liberum illi etiam ad plures annos mortem differre: sicut enim Martyres communiter dicuntur liberè mori, & laudantur propter mortem quam subeunt, licèt reverà non sit in eorum potestate non mori, non enim possunt vitare mortem, quæ naturali ordine tandem eventura est; sic quia Christus aliquot annis priùs mortuus est, quàm fuerat ex præcepto necessitatus, verè dici potest liberè mortuus.

288. Sed Contra. Quæro: si Christus exspectâsset illud temporis punctum, pro quo præceptum vrsisset, an tunc mors fuisset idonea ad redimendum genus humanum, & an Christus adhuc liberè mortuus fuisset? si affirmas? ergo

fatuus.

fareris, posse alio modo quàm per anticipationem explicari Libertatem mortis, & est mera divinatio, quòd Christus aliquot annis anticipaverit mortem, antequam vrgeret præceptum. Si negas? contra est; nam tunc in illo casu poneretur totum id, quod erat à Patre præceptum: atqui est præcepta mors idonea ad redimendum genus humanum: ergo etiam pro illo casu deberet mors esse Libera, & vt talis explicari posse. Si dicas, nullum certum tempus fuisse sub præcepto, sed indefinitè, contra est: si enim nunquam advenisset vllum instans, pro quo verum fuisset dicere: *Nunc vrget præceptum*: hocipso potuit sine culpa totum præceptum eludi, exspectando tempus mortis naturalis: sicut ineptè quis condemnaretur ad mortem, vt tamen ipsi liberum integrúmque esset, eligere tempus quodcunque voluerit.

289. Confirmatur Argumento fortissimo, quod contra suum Magistrum Joannem de Lugo, movit (vt ipse ad me scripsit) adhuc discipulus, Sforzia Pallavicinus, & serviet ad plures vias impugnandas. Mors quæ erat præcepta, erat Mors vt Meritoria, & quoad substantiam Libera, & hoc totum erat sub præcepto. non enim præcepit Deus mortem præcisè materialiter, & secundùm se consideratam, nec vt talem propter seipsam amabat, sed eam amabat vt Medium idoneum satisfaciendi: ergo omne id per quod Mors vt Libera, Meritoria, & Satisfactoria constituebatur, erat sub præcepto: atqui per te mors vt Libera & Meritoria habetur vnicè per hoc, quod est; *Anticipàsse*: ergo hæc ipsa anticipatio erat etiam sub præcepto: ergo non minùs erat necessaria, quàm substantia mortis, si hæc fuit necessaria vi præcepti.

290. Confirmatur iterum argumento Vniversali, quod format P. Esparza, & procedit contra omnes evasiones. Testimonia Scripturæ, asserentia Christum habuisse mandatum & præceptum, probant, eo modo quo habuit præceptum, habuisse præceptum omnium eorum quæ gessit, quoad omnes planè circumstantias. Hoc imprimis confirmat Maldonatus, ex capite duodecimo Joannis, v. 49. vbi Christus dicit: *Ego ex meipso non sum locutus, sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, aut quid loquar.* Ex quo loco existimat citatus Interpres, manifestè quorundam Theologorum opinionem refutari, Christum non omnia quæ in hac vita gessit, ex Patris præcepto fecisse. dum enim asserit, nihil se loqui nisi ex præcepto Patris, significat majus ex minore, scilicet, se nihil nisi ex ejus præcepto facere. Deinde id ipsum bene probatur à Didaco Alvarez hic *disp.* 46. *n.* 12. ex Jo. 4. *Sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio*, Lucæ 22. *Filius hominis sicut definitum est vadit.* & Act. 4. *Convenerunt adversus puerum sanctum tuum Jesum Herodes & Pontifices, facere quæ manus tuæ & consilium tuum decreverunt fieri.* Et quidem ratione temporis probatur speciatim ex Jo. 13. *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, vt transeat de hoc mundo ad Patrem:* qui locus intelligitur à Patribus de hora constituta à Patre, vt observat Maldonatus. Et sanè non possum videre, qua probabilitate dixerit Arriaga *d.* 42. *n.* 44. non fuisse Christo præceptam mortem illam tam Violentam & Gravem Crucis, & Christum satisfacturum fuisse præcepto Patris, si se permisisset præcipitari ex monte. Hoc mihi non videtur cohærere cum Scriptura. Nam ad Philipp. 2. dicitur, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis.* Et quando discipulis euntibus in Emaus, dixit: *Nonne hæc oportuit pati Christum, & sic intrare &c.* Ecce! hæc oportuit pati, quæ passus est. quomodo ergo satisfecisset præcepto moriendi, permittendo se præcipitari de monte, qui dolor non fuisset centesimus (vt Arriaga loquitur) illius quem in Cruce sustinuit. Hoc sanè aliud non est, quàm ita defendere præceptum, vt tamen eximantur à præcepto ea omnia, quæ fideles maximè persuasa habent fuisse sub præcepto, eo modo, quo Christus habuit præceptum.

Confirmatur 3. magisque declaratur quod dictum est. Vel potuit Deus præcipere Christo omnes circumstantias, salvo Redemptoris officio, vel non potuit: si potuit: non est negandum defacto præcepisse, quia sic convenientiùs intelliguntur verba Christi, & ejus exactissimam obedientiam magìs commendant. Si non potuit: quæro cur non potuerit? dices: quia sic nulla supereresset via salvandi libertatem Christi circa opus redemptionis. Infero: ergo totum meritum Christi consistit in positione rei non præceptæ quà talis: ergo explicas observantiam præcepti, per positionem rei nullo modo præceptæ: quæ est antilogia manifesta.

291. Confirmatur 4. cum Pallavicino. Illud quod est nobis necessariò volitum, priùs naturâ volumus, quàm id quod liberè volumus, quia objectum exercitij Necessarij priùs & validiùs trahit voluntatem, quàm objectum exercitij Liberi. Jam sic. Hoc quod est, *velle mori* vt sic, præscindendo à determinatis circumstantijs, erat objectum necessariò volitum à Christo, secundùm adversarios. hoc autem actu præsuppositio, ipsa determinatio & electio harum potiùs quàm aliarum circumstantiarum, non poterat superaddere specialem Obedientiæ laudabiliratem, quia non erat observantia specialis præcepti: ergo in hac via non declaratur obedientia Christi circa objectum, circa quod versari debebat.

§. II.

An satisfiat difficultati, dicendo, quòd Christus potuisset recusare præceptum, & non recusaverit.

P. Mendoza & quidam alij apud Moncœum docent, Christum ideo liberè mortuum esse, quia sponte præceptum acceptavit, cùm potuisset illud recusare. Ab his reipsâ non differt Card. Lugo,

go, salvans omnia per hoc, quòd Christus potuisset petere & obtinere dispensationem in præcepto, noluit tamen petere.

292. DICO 2. Hac viâ non satis commodè defenditur, quòd Christus ex obedientia liberè mortuus fuerit. Probatur. Posse, & nolle recusare præceptum, aliud non est, quàm sponte subire obligationem: item, posse & nolle petere dispensationem, est sponte velle in obligatione perseverare: atqui neutrum horum est actus obedientiæ: ergo per libertatem recusandi, &c. non explicatur libertas Obedientiæ. Minor probatur, nam aliud est, velle obligari: & aliud: velle obligationi satisfacere: illud primum non est obedientia propriè dicta, sed est caussa motivi obedientiæ: posterius verò est obedientia, quæ præsupponit obligationem, quando est observantia præcepti strictè dicti. Infero. Ergo ad hoc vt Christus ex obedientia moreretur, debuerunt priùs poni omnes caussæ motivi obedientiæ: atqui inter has est acceptatio, & non petitio dispensationis, vi cujus inducitur & perseverat obligatio: ergo prius erat, Christum nolle petere dispensationem, quàm velle ex obedientia mori: atqui positâ nolitione petendi dispensationem, jam Christus est necessitatus ad mortem vi impeccabilitatis, vt fatentur hi AA. ergo mors non fuit ex obedientia libera & laudabili.

Confirmatur argumento suprà facto. Si tota libertas fuit exercita in non petenda dispensatione: ergo hæc ipsa non petitio fuit sub præcepto: quia fuit præcepta mors meritoria: ergo fuit præceptus ille actus, quo Christus merebatur: ergo si, vt volunt adversarij, tantùm merebatur formaliter per acceptationem, aut non petitionem dispensationis, hæc fuit præcepta, & hæc facta esse debet ex obedientia: atqui hoc ipso non fuisset libera: ergo fuisset & non fuisset libera.

§. III.

Vtrum expediatur difficultas per obedientiam affectivam.

293. PLacet Recentiori Hispano in præsenti puncto etiam aliquid singulare dicere. Docet ergo Christum primò habuisse complacentiam, & ardentissimum desiderium obediendi in omnibus, quæ ipsi præciperentur: post hunc actum cognovit præceptum moriendi: quo cognito, fuit vi prioris desiderij necessitatus ad moriendum: quia illud desiderium imperabat mortem necessariò absolutè, purificatâ scilicet conditione, sub qua volebat omne quod præciperetur. Porrò supponit hic Recentior, illud desiderium esse actum Obedientiæ, & quia vi illius mortuus est Christus, & illud desiderium fuit liberum, ideo à primo ad vltimum fuit liberè mortuus ex Obedientia.

294. DICO 3. Hanc viam mihi non probari. 1. quia contra communem Theologorum & fidelium sensum est, quòd actus ille, qui fuit in Christo formaliter liber & meritorius redemptionis nostræ, præcesserit cognitionem omnem, qua Christus cognovit se esse missum à Patre, vt esset Redemptor noster, & qui deberet implere omnes prophetias de sua morte. Quis hoc sibi persuadeat? Quis credat Christum suam primam libertatem in ordine ad opus redemptionis exercuisse independenter à cognitione, qua cognovit suam Personam, & finem suæ Incarnationis? eo modo pro illo signo priori fuit otiosa Visio beata: ex quali cognitione processit illud desiderium obediendi? hæc ego non assequor.

Contra 2. Quia non apparet, quonam hoc desiderium fuerit elicitum. Nam vnanimis Theologorum (quod ego sciam) Sensus est, quòd Christus statim in primo instanti suæ existentiæ, acceptaverit præceptum: ergo jam tunc debebat præcessisse illud desiderium affectivum, faciendi quidquid deinceps præceptum fuerit: ergo omnes reliqui actus Christi per totam vitam, vtpote procedentes ex cognitione præcepti suscepti, non fuerunt ampliùs formaliter liberi, in hoc Recentioris sententia; quod nescio an habeat alium assertorem.

§. IV.

Vtrum repugnet, Christo fuisse impositum præceptum, Theologicè & rigorosè acceptum.

295. PRæceptum rigorosum vocamus actum superioris, quo inferiorem subditum obligat in conscientia, & sub culpa & reatu pœnæ, ad aliquid agendum, & quo subdito redditur inhonesta omissio, & per consequens quo necessitatur vel ad implendam voluntatem superioris, vel ad incurrendam ejus indignationem & pœnam, quam voluerit infligere. In hoc sensu disputant quæstionem propositam Recentiores post Card. de Lugo.

Prima Sententia, valde communis, dom, de facto Christum tale præceptum habuisse. Repugnare tale præceptum, vel certè Christum non præceptum non habuisse, propugnant Victoria, Lorca, citans pro eadem Paludanum, Cisterniensem, & Albertum Magnum. Ex Interpretibus Scripturæ eam tenet P. Ribera in c. 10. Jo. Ex Recentioribus Theologis eam docent Bernal, & Gamachæus: fortiter eam tuentur Pallavicinus, & Esparza: eandem propugnat auctoritate Patrum Petavius l. 9. c. 8. probabilem judicat Molina. Card. de Lugo multùm in eam propendet, quamvis à communi nolit recedere, quòd existimet posse Scripturam de rigoroso præcepto intelligi. Suarez d. 43. s. 3. tandem post multam latam Christi præceptum ita explicat, sicut non alias explicabimus: Pro hac denique Sententia stat communi consensu PP. Græcos, fatentur adversarij. Ex latinis eam indubitanter asserunt S. Anselmus natione Italus, in libro quem scripsit Cur

duni de Meditatione Redemptionis humanæ, cujus verba infrà dabo.

296. DICO, Christum nec habuisse, nec, ob impeccabilitatem intrinsecam & antecedentem, provenientem ab amore Beatifico, potuisse habere præceptum Theologicè sumptum.

Probatur. Præceptum comminatorium sub culpa gravi, dicit: *si hoc feceris, eris meus inimicus, & reus pœnæ.* sed hic actus non potest exerceri erga personam impeccabilem: ergo &c. Minor probatur. Dicere: *si hoc feceris*: idem est ac dicere: *si potentiam proximam faciendi quam habes exercueris.* Ergo præceptum supponit potentiam proximam peccandi. atqui Persona impeccabilis caret hac potentiâ proximâ: ergo ille actus non potest exerceri erga personam impeccabilem.

297. Confirmatur 1. vt quis præcepto absterreatur, debet esse capax timoris illius mali, quod superior illi minatur: & superior non potest prudenter minari aliquod malum, si tam ipse, quam subditus sciant, subditum esse incapacem illius mali. talem enim comminationem quis non rideret, v. g. si quis mihi minaretur, se velle me privare Regno Turcico. item non potest superior comminari pœnam, quando scit, se non habere potentiam eam infligendi. atqui Christus non poterat timere malum culpæ & correspondentis pœnæ, cùm sciret se esse impeccabilem, & se non posse fieri Dei inimicum: & Deus etiam sciebat, Christum esse impeccabilem, & incapacem Inimicitiæ: ergo &c.

298. Confirmatur 2. Deus non potest alicui aliquid promittere sub conditione impossibili: esset enim actus Deo indignus & nugatorius: ergo nec potest sub conditione impossibili aliquid minari: ergo non potest minari inimicitiam sub conditione culpæ impossibilis. Probatur prima consequentia. Nam comminatio est etiam promissio, & solùm ideo non vocatur Promissio, quia promissionis vocabulum est ex consuetudine appropriatum Bono, & non Malo.

299. Confirmatur 3. Si Christus habuisset præceptum comminatorium pœnæ & inimicitiæ, & tamen fuisset incapax culpæ, tunc per necessitatem antecedentem fuisset Christo necessarium redimere genus humanum, & impossibile non redimere. sed hoc est contra S. Thomam, qui *q. 46. a. 2. in C.* negat impossibilitatem aliam omnem, præterquam consequentem, hoc est provenientem ex præscientia, & præordinatione Dei: verba illius sunt. [Quia enim impossibile est Dei præscientiam falli, & ejus voluntatem seu dispositionem cassari, suppositâ præscientiâ & præordinatione Dei de Passione Christi, non erat simul possibile Christum non pati, vel hominem alio modo quàm per ejus passionem liberari, & est eadem ratio de omnibus his quæ sunt præscita & præordinata à Deo,] His verbis D. Thomas clarissimè docet, non aliam fuisse necessitatem in Christo patiendi, quàm quæ est vel esse potest etiam in operibus liberis, sine vlla comminatione factis. Eodem articulo ad 2. de hac ipsa præscientia & præordinatione exponit illam Christi orationem: *Pater si non potest calix hic transire &c.* quem locum adversarij exponunt de præcepto. Stat ergo S. Thomas pro nostra Conclusione.

300. Confirmatur iterum mens S. Thomæ ex *22. q. 88. a. 4. ad 3.* vbi docet, Christum etiam quà hominem, non potuisse vovere: & rationem dat hanc, quia habebat voluntatem firmatam in Bono: atqui hæc ratio probat, neque præcepto Theologico obligari potuisse. ergo ex mente S. Thomæ Christus non habuit præceptum Theologicum, obligatorium conscientiæ.

§. V.

Quo sensu Christus dicatur accepisse Mandatum Moriendi.

301. NOtandum est, Leges esse duplicis generis; alias obligatorias in conscientia, alias merè pœnales, hoc est, cum comminatione pœnæ, ad quam quis post Transgressionem & Sententiam tenetur, etiamsi non peccaverit Legem violando. Porrò hæ leges pœnales possunt iterum dividi. Aliquæ enim sunt comminatoriæ pœnæ, ablativæ seu privativæ alicujus Boni debiti, vel inflictivæ alicujus Mali alioquin non infligendi: hujusmodi sunt Leges quarundam Religionum, quæ per se nullam inducunt obligationem in conscientia, transgressores tamen puniuntur ob culpam civilem, vel impositione alicujus mortificationis, vel subtractione alicujus rei alioquin debitæ. Aliæ sunt leges & constitutiones, quæ privant aliquo Bono non absolutè, sed tantùm conditionatè debito, vel etiam nullo modo debito: hujusmodi Lex est, quæ præcipit electis Episcopis, vt intra præfinitum Canonibus tempus petant à Sede Apostolica Confirmationem, sub comminatione amissionis Juris quæsiti per electionem: sanè omissio petitionis potest fieri sine omni culpa Theologica, & tamen eâ intermissâ amittitur Jus quæsitum, quod, strictè loquendo, erat conditionatum, vel conditionatè duraturum: vnde conditione non impletâ, exspirat: idem est in lege jubente fieri præsentationem sub pœna amissionis juris &c. similes leges erant circa secundas Nuptias, & plures referemus in opere de Jure & Justitia.

302. DICO itaque, Christum habuisse præceptum comminatorium privationis alicujus Boni alioquin conferendi, si moriatur ex obedientia libera, si verò mori recuset, prout sine culpa posset, denegandi. Eleganter hoc totum expressit P. Mart. Esparza, dicens: [Voluntatem Dei circa mortem, aliaque vniversim opera meritoria Christi Domini, non fuisse solummodo insinuativam vtcunque majoris perfectionis, qualis sola voluntas datur respectu purè Beatorum, sed fuisse insuper onerosam & conjunctam cum comminatione alicujus mali, si nollet mori, aliaque

opera exercere sibi incommoda ac molesta. Cùm enim contulerit Christo in præmium Mortis, aliorúmque Meritorum, gloriam sui corporis, suique nominis exaltationem, nostrorúmque remedium peccatorum, satis liquet, hæc eadem conferenda illi minimè fuisse, si noluisset pati merendo quæ passus est. Habuit igitur Deus voluntatem, vt Christus pateretur aliquam in suo corpore & nomine jacturam, maximè verò in nobis, qui sumus ejus membra, & ejusdem consortes naturæ, si noluisset ea opera edere, quæ proponebantur vt meliora, ac magis placentia Deo. Voluntas autem superioris præscribens subdito aliquod opus non purè ac præcisè vt melius, sibique magis placitum, sed insuper cum interminatione alicujus mali illi infligendi, vel in se, vel in alijs connaturali dilectione illi conjunctis, communissimo omnium vsu Præceptum, Mandatum, & Lex nuncupatur, tametsi nullam inducat obligationem in conscientia, nec omissionem talis operis reddat illicitam aut peccaminosam.] Conclusio probata manet ex rejectione aliarum opinionum, & confirmabitur solutione objectionum.

§. VI.

Solvuntur Objectiones.

304. OBjiciuntur primò, & præcipuè varia Scripturæ Testimonia. Jo. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo.* & c. 14. *Sicut mandatum mihi dedit Pater, sic facio.* &, c. 15. *Si præcepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego Patris mei præcepta servavi, & maneo in ejus dilectione.* Ex quo loco colligunt adversarij, quòd Christus habuerit præceptum simile illis, qualia nobis imponuntur. ergo obligatorium in conscientia. ad Rom. 5. opponitur obedientia Christi inobedientiæ Adami: ergo debuit vtrobique interveniſſe simile præceptum.

305. Nos auctoritate Patrum hæc omnia interpretari, non de præcepto obligatorio in conscientia, sed in sensu jam antè explicato. Et quidem Patres monent, ipsum Christum hoc significare Jo. 10. quando sic locutus est. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam. nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam: potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à Patre meo.* in quem locum S. Chrysostomus hom. 60. [Nam si, inquit, præcepto fuisset opus, quid attinebat illum dicere: *à meipso pono:* quippe, qui à seipso ponit, nihil habet opus præcepto.] Hæc Chrysostomus, addens per *Mandatum* intelligi *Beneplacitum.*

Jam verò quando Christus suum præceptum comparat cum nostro, id intelligendum est in sensu accomodo, quod Scripturæ familiare est. Sic Jo. 10. & 20. dicit Christus. *sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Neque tamen Filius est missus, sicut ipse misit Apostolos: sic etiam jubemur esse perfecti sicut Pater Cælestis perfectus est. Sufficit ergo convenientia Generica vel Analogica satis etiam est inter præceptum obligans in conscientia, & merè pœnale, quod aliquo modo onerosum, modo explicato.

Præterea in SS. Litteris non vno loco vox *Præceptum*, & *Mandatum*, sumitur in alio quàm Theologico sensu, & vt pauca ex multis afferam, Gen. 19. de Abrahamo dicitur, quòd præceperit filiis suæ, vt custodiant viam domini: quod intelligendum est de adhortatione, & forte etiam comminatione aliqua, sed non obligatione in conscientia. Job. 9. & 36. dicitur Deus præcepisse Soli & Nivi. Jerem. 36. v. 26. dicitur Rex præcepisse suis, vt comprehenderent Jeremiam, quem tamen Deus abscondit. Matth. 15. v. 35. Jesus præcepit turbæ, vt discumberet super terram: neque non obligavit in conscientia, sed fuit quædam instructio Magistri & Præceptoris, vnde etiam nomen Præceptoris originem habet à Regulis præceptis quæ tradunt discipulis: & c. 21. v. 6. dicuntur discipuli parâsse Pascha sicut præceperat eis Jesus. Marc. 7. Quantò Christus magis præcipiebat turbis, ne miracula evulgarent, tanto magis illi prædicabant. Act. 5. dicuntur Phariſæi præcipiendo præcepisse Apostolis, ne Christum prædicarent. Eccli. 15. *Adjecit mandata & præcepta sua:* vbi Didacus Ruiz d. 39. de Scientia Dei, vult *Præcepti* vocabulum accipiendum in latissima significatione, comprehendente exhortationes atque consilia. Denique nomine præcepti intelliguntur Prædefinitiones divinæ. Luc. 22. *Filius hominis sicut definitum est vadit.* Act. 4. *Convenerunt adversus puerum sanctum tuum Jesum. Herodes & Pontifices, quæ manus tua & consilium tuum decreverunt.* Est etiam in hunc finem notabilis textus 3. Reg. 17. vbi Deus ad Eliam. *Surge, inquit, & vade in Sarephta Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim mulieri viduæ ibi, vt pascat te.* quo loco, vt notavit Ruiz de Provid. Dei, tr. 2. d. 9. [...] non est sermo de præcepto obligante, quod vulgare frequentiùs solent homines, sed de præcepto ordinante & prædefiniente infallibiliter, vt vidua faceret liberè, quod postulabat Elias. Eodem sensu Theophilactus interpretatus est verba Christi: *Sicut & ego præcepta Patris mei servavi.* [Hoc enim, inquit, accommodans se auditorum infirmitati dicit. Non enim, qui omnium est legislator, mandatis obnoxius, & sine patrono mandatis vivere non potest. Deinde in c. 14. illa verba: *Sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio*: exponit hoc modo: quod complacuit & est illi, & decretum ab eo, suscipio & perficio.

306. Objiciunt 2. Si Christus non habuit rigorosum præceptum, tunc habuit tantùm consilium Patris. atqui hoc est contra Scripturam, quæ distinguit ad Cor. 7. Consilium & Præceptum distinguit ad Cor. 7. *Præceptum Domini non habeo, Consilium autem do.* Responderi posset primò, nos non negare, quod Consilium & Præceptum strictè loquendo distinguantur: ex Scriptura tamen & Patribus ostendimus esse, aliquando, & maximè in præsenti materia

cto, accipi pro eodem. Verùm, meliùs Respondetur 2. Christum non fuisse operatum ex consilio nudo & purè sumpto, proponente id quod melius est, sed ex consilio oneroso, conjuncto cum interminatione alicujus mali, seu carentiæ alicujus magni boni alioquin conferendi, & insuper conjuncto cum decreto prædefinitivo: tale autem consilium rectè & communiter vocari Præceptum, jam ostendimus.

306. Observat præterea Card. Pallavicinus adhuc aliam differentiam. Consilium enim vel non est superioris quâ superior est, sed ab illo manifestante suam voluntatem, perinde acsi esset privatus, vel certè est voluntas ex suo modo tendendi tenuis & parùm efficax, dum scilicet superior non vult adhibere Media efficaciora ad obtinendum id quod suadet: at verò quando aliquid proponitur à superiore quâ superior est, & ita proponitur, vt imponatur moralis necessitas subdito id exequendi, quamvis non ex motivo timoris, sed amoris & honestatis, jam non manet inter meros terminos puri Consilij, sed potest vocari *Mandatum*, ideo, quia sicut respectu suppositi peccabilis, obligatio in conscientia ideo introducta est, quia infert aliquam necessitatem, & est medium valde efficax ad impellendum, ita respectu suppositi impeccabilis, qualis fuit Christus, abunde sufficiebat moralis necessitas faciendi ex amore id quod melius est: hoc enim est medium longè efficacius & magis securum ac infallibile, quàm obligatio in conscientia. Quia igitur præter Christum non invenitur alia Persona impeccabilis, adeoque incapax obligationis in conscientia, & ex alia parte Christus non habuit nudum consilium, sed aliquid medium inter Consilium & Præceptum Theologicum, & magis ad hoc quàm ad illud accedens, quid, quæso, mirum est, hoc medium vocari potiùs *Præceptum*, quàm *Consilium*? noluit enim Christus novum vocabulum imponere significando huic medio.

307. Objiciunt 3. Christus tenebatur præceptis Legis Naturæ: ergo non repugnat Christo præceptum: ergo etiam poterat habere præceptum positivum. R. Distinguendo antecedens: Tenebatur hoc sensu, quasi illa induxerint obligationem in conscientia, nego: tenebatur in alio sensu, scilicet, quòd per illas leges reddebantur objecta illa, quæ intrinsecè mala sunt, vt est odium Dei, Blasphemia &c. non licita, & per consequens propter Christi impeccabilitatem impossibilia, concedo antecedens, & eodem modo distinguo consequens: atque etiam concedo, quòd Lege positivâ potuisset Metaphysicè necessitari ad aliquid, si objectum redditum esset illicitum: sed tale præceptum non stat cum libertate: præceptum autem moriendi quod Christus habuit, debebat stare cum libertate, & ideo non debebat necessitare, sicut præcepta naturalia.

308. Itaque Christus observabat præcepta Naturalia non per actum Meritorium, & Liberum, sed per actum necessarium: nam amor Dei consequens ad Visionem Beatam Necessitabat ad illa omnia nolenda, quæ cognovit Deo in genere displicere. Vnde rectè observavit Card. Pallavicinus, Leges has non fuisse Christo impositas & intimatas, sicut nobis intimantur, scilicet per dictamen practicum, dicens: *si violaveris hanc legem, ego te aversabor*. hoc enim perinde esset ac dicere: Si tu produxeris chymeram, ego superaddam hircocervum: nam impossibilis erat Christo transgressio Legis, & Deo erat impossibilis aversio à Christo suo Filio naturali. Itaque Christo tantùm fuit manifestata displicentia Dei in genere de tali actione in ordine ad finem, quem Deus per omissionem talis actionis intendebat, & in ordine ad quem obtinendum omnes alios peccabiles obligabat ad non agendum.

309. Objiciunt 4. In nostra sententia tollitur omnis laudabilitas ab obedientia Christi. Nam honestas & laudabilitas obedientiæ supponit præceptum. R. Negando assumptum, & ejus probationem: vel, si mavis, distinguo: supponit præceptum strictè & rigorosè sumptum, nego, in sensu latiore, concedo. Ità docet S. Thomas 2. 2. q. 104. a. 2. asserens, eò perfectiorem esse obedientiam, quò magis prævenit expressum præceptum voluntate superioris intellectâ. & a. 5. ad. 3. dicit, obedientiam in observatione eorum ad quæ quis obligatur, esse sufficientem ad salutem, sed adhuc aliam obedientiam esse, & quidem perfectam, quæ cognitâ voluntate superioris, obedit etiam in illis, quæ licitè possent omitti.

Hoc ipsum in specie & ad propositum nostrum docuit de obedientia Christi S. Anselmus, loco cit. cujus verba lubet adscribere. [Nec vllâ (loquitur de Christo) cogente obedientiâ, sed potenti disponente Sapientiâ. Non enim illi homini Pater, vt moreretur, cogendo præcepit, sed ille, quod Patri placiturum, & hominibus profuturum intellexit, hoc sponte fecit. Non enim ad hoc cogere eum potuit Pater, quod ab eo exigere non debuit. nec Patri tantus honor potuit non placere, quem tam bona voluntate Filius sponte obtulit. Sic itaque Patri liberam obedientiam NB. exhibuit, cùm hoc quod Patri placiturum scivit, sponte facere voluit. Denique quoniam Pater illi hanc voluntatem bonam dedit, quamvis liberam, non immeritò dicitur, quia eam velut *Præceptum* Patris accepit. Hoc itaque modo obediens fuit Patri vsque ad mortem, & sicut mandatum dedit illi Pater, sic fecit, & calicem quem dedit illi Pater, bibit. Hæc est enim perfecta & liberrima Naturæ humanæ obedientia, cùm voluntatem suam liberam sponte voluntati Dei subdit.] Hæc S. Anselmus, nec potuisset disertiùs sententiam nostram exprimere.

310. Hanc ipsam doctrinam, tanquam fundamentum ædificij spiritualis, inculcat S. P. N. Ignatius in aurea sua Epistola de Obedientia, constituens supremum gradum Obedientiæ in conformitate Judicij cum Judicio Superioris, ad quam tamen conformitatem nemo in conscien-

tia

tia obligatur. Ratio à priori est, quia specialis honestas & laudabilitas consistit in reverentia exhibenda Intellectui & Voluntati superioris, tanquam regulæ proprij intellectûs & voluntatis. hæc autem Reverentia major est, si absit, quàm si adsit præceptum, vt per se constat.

311. Objiciunt 5. Christus quà homo est verus servus Dei: atqui servus à non servo maximè differt per hoc, quòd possit à Domino obligari & accipere præceptum ac Mandatum: ergo &c. R. Transmissâ pro nunc majore, de qua infrà, Nego minorem, & dico, ad rationem servi perfectissimi abunde sufficere, quòd superior possit pro libitu & efficaciter seu infallibiliter prærordinare servum ad quidvis obtinendum ad beneplacitum suum, & illi etiam possit præscribere media, ad certum finem efficaciter intentum, imò etiam quòd possit per suam dispicentiam necessitare illius voluntatem. Et hæc sunt præcipua quæ objiciuntur: leviora videri possunt apud alios.

CONTROVERSIA II.

Vtrum Christus fuerit Liber ad Actus Inæqualis perfectionis.

CErtum est, Christum non elicuisse defacto actus, qui fuerint ex omnibus possibilibus optimi in bonitate morali, & honestate desumpta ab objecto & modo tendendi, imò ex communi sententia repugnat actus quò melior esse non possit.

Controversum est, an defacto, quando Christô fuêre proposita simul & sufficienter duo objecta diversæ honestatis objectivæ & inæqualis, potuerit eligere, potentiâ saltem physicâ, id quod minùs erat laudabile, relicto laudabiliore. Item controvertitur, an Christus potuisset omittere illud, quod cognoverat fore gratius Deo, & à Deo hic & nunc præ alijs consuli, etiamsi illius objectiva bonitas non esset melior bonitate alterius objecti, imò esset minor. Nam, vt alibi diximus, lib. 2. posset Deus objectum in se minùs bonum consulere præ majore bono, v. g. statum Sæcularem præ Religioso, Matrimonium præ Virginitate.

Prima sententia negat vniversim hoc fieri potuisse: admittit ergo in Christo solummodo libertatem & indifferentiam ad actus æqualis perfectionis. Ita videtur sentire Suarez, & fusè propugnat Mendoza.

Secunda sententia affirmat. Ita communis RR. Tertia adhibet distinctiones. Et quidem Lugo, Pallav. & Esparza fatentur, Christum habuisse necessitatem moralem ad id, quod vidit præplacere Deo, non tamen necessitatem physicam. Arriaga aliter distinguit inter objecta. Aliqua enim sunt, quæ licet sint minùs bona, nullâ tamen lege, ne quidem pœnali, prohibentur, alia verò saltem aliquâ lege prohibentur, v.g. Regulis non obligantibus sub peccato, & nihilominùs transgressorem reprehensibilem. Quod priora censet Arriaga, Christum ne quidem moralem habuisse necessitatem ad id quod perfectius est. quoad posteriora vult habuisse physicam necessitatem.

312. DICO, admittendam esse in Christo majorem libertatem, quàm præcisè ad actus æqualis perfectionis & laudabilitatis. Probatur. In Christo est admittenda libertas in genere moris, hoc est, in ordine ad Laudabilitatem & Meritum: atqui talis non est mera libertas ad actus æquales, cum necessitate ad tantam perfectionem physicam in genere, vel in specie: ergo &c. Minor probatur tum exemplo, tum à contrario, ab exemplo, v.g. nemo laudaret à temperantia illum, qui esset physicè necessitatus ad abstinendum à haustu ampliore quàm vnius mensuræ, hoc est, qui physicè non posset bibere plus quàm eam mensuram, si deinde liberè abstineat à vino à bibendo vinum B. ejusdem bonitatis, & quam integram mensuram. A contrario probat Conclusionem bene Lugo n. 137. ad rationem vituperij & reprehensionis nullo modo sufficit, committere hoc potiùs quàm illud æqualis malitiæ, & ad alterutrum necessitatus, v.g. ex perplexitate conscientiæ. Si enim illum reprehendis quod elegerit A. præ B. respondebit; cur me reprehendis propter A. reprehensurus eodem modo, si elegissem B?

313. Confirmatur 1. Actus inferens tantundem mali, seu impediens tantundem boni, quantum boni affert, non est laudabilis. Sed electio vnius actûs æqualis præ alio, cum necessitate eligendi alterutrum, tantundem boni impedit, quantùm boni affert, quia impedit actum oppositum æquè bonum: ergo non est laudabilis.

314. Confirmatur 2. De ratione actûs libertorij est, vt sit victoria libera & ardua in contemptu commodi temporalis ob honestatem: atqui repugnat, vt quis sit necessitatus ad duos actus in tali victoria æquales: ergo quicunque actus eliciatur, non erit Meritorius. Major probata est Tract. de Merito. Minor probatur, quia hoc ipso quòd vterque certet & vincat affectum ad aliquid temporale, supponitur possibilis affectus electivus boni temporalis: ergo jam supponitur libertas ad actus inæquales: ergo si hæc potuisset non adesse, non adest potestas eliciendi actum Meritorium.

315. Objicitur 1. Si Christus habuisset potentiam physicam eligendi minùs perfectum relicto perfectiore, tunc non fuisset intrinsecè reprehensibilis, sicut est intrinsecè impeccabilis, consequens concedere offendit pias aures. ergo &c. Major probatur. Ille enim est intrinsecè reprehensibilis, hoc est, potens committere aliquid reprehensione dignum, qui posset committere imperfectionem moralem: sed hanc potuisset Christus committere: quia imperfectio moralis, prout contradistinguitur à peccato, non

non est, quàm electio objecti minùs perfecti propter se, relicto perfectiore. Major probatur ab experientia, quia etiam ille reprehenditur, qui quidem non peccat, tepidè tamen agit, & regulas transgreditur, bona consilia non admittit, præsertim quando ex sua professione vel officio semel assumpto, deberet ad statum perfectiorem tendere, cujusmodi officium gessit Christus, nempe Pastoris, Magistri, Exemplaris, & Capitis.

Ad. Negando sequelam. Ad probationem, nego vniversim majorem, juxta acceptionem Imperfectionis moralis quæ ponitur in minore: hoc enim secundùm se præcisè non sufficit ad reprehensionem, alioquin omnes qui amplectuntur statum Matrimonij, relicto statu Cælibatûs, aut qui statum sæcularem relicto statu Religioso, reprehensibiles essent, quod qui assereret, aures plurium offenderet. Imò Deus ipse tandem reprehensibilis diceretur, quia potest eligere minus Bonum relicto majore Bono. Igitur reprehensibilitas debet aliunde, quàm ex electione honestatis objectivæ desumi. Ille ergo est reprehensibilis, qui per aliquam suam operationem exponit se liberè aliquali periculo non consequendi suum vltimum finem: Sic reprehensibilis est, qui advertens se vocari ad Religionem, ob majorem securitatem, spectatâ ipsius indole & complexione &c. eligit tamen, quamvis sine peccato, statum sæcularem. Vno verbo, ab vsu vel non vsu mediorum, vt conducentium ad vltimum finem, simpliciter vel meliùs possidendum, desumitur reprehensibilitas. Ratio hujus à priori est, quia in tantùm est aliquis reprehensione dignus, in quantùm aliquid agit præjudicans perfectioni sibi competenti: atqui perfectio vniuscujusque rei consistit in possessione Finis sibi proprij, vt docet S. Thomas opusc. 18. de perfectione vitæ spiritualis c. 1. vnde sequitur, hanc reprehensibilitatem non reperiri nisi in puro Viatore, adhuc Beatitudine carente, qui quando voluntariè omittit perfectiora, & omnibus consideratis, securiora Media ad suam Felicitatem consequendam, est reprehensibilis: atqui Christus, antecedenter ad omnia sua opera, jam erat Beatus, & Possessor sui vltimi Finis; Ergo etiamsi elicuisset actum minùs perfectum relicto perfectiore, non propterea fuisset reprehensione dignus, quia officia quæ gessit, omnino Liberè, & sine vlla obligatione gessit. Præterquam, quòd etiamsi non potuisset elicere actum minùs perfectum, spectantem ad officium Magistri, Pastoris &c. potuisset tamen elicere actum minùs perfectum in deserto, vel priùs, antequam officium aggrederetur.

316. DICES. Si Christus non fuisset reprehensibilis propter electionem minùs perfecti, neque etiam fuisset Laudabilis propter electionem magis perfecti; quia Laudabilitas & Reprehensibilitas opponuntur. Ad. Negando sequelam. Ad probationem dico, Laudabilitatem & Reprehensibilitatem non ita opponi, vt vbicunque non reperitur Laudabilitas, ibi reperiatur Reprehensibilitas, sed opponuntur tanquam minùs & magis latè patens, hoc est, quicunque potest mereri reprehensionem, potest etiam mereri Laudem, sed non econtra. Ratio est, quia potest quis esse laudabilis propter opera, quæ operantis Felicitatem non promovent, vt patet in Deo.

317. Objicitur 2. Christus est perfectissimus amicus Dei, & quidem necessariò: atqui ad perfectissimam amicitiam spectat, eadem velle & eadem nolle in omnibus: ergo Christus necessariò eadem vult magis, quæ Deus magis vult. Respondet P. Esparza, minorem esse veram, loquendo de amico Hominis, non item de Amico Dei. Disparitatem assignat, quia amicus humanus, vtpote habens finitam & limitatam felicitatem & delectationem, adeoque augibilem accessione alicujus Boni desiderati, hoc ipso afficitur dolore aliquo, & molestiâ, si privetur Bono desiderato, contra suam inclinationem ad felicitatis augmentum: ad rationem autem perfecti amici spectat, non esse caussam voluntariam alicujus justi doloris ac molestiæ amico, contra ejus inclinationem, ad augmentum propriæ felicitatis. at verò felicitas Dei & ejus delectatio, non est capax augmenti ex accessione vllius Boni creati, & consequenter nec capax alicujus molestiæ & doloris, ex carentia talis boni, quia complacentia divina circa actus creatos, non est afficiens, & delectans, ac Beatificativa, sed purè approbativa. Quapropter amicus Dei non tam Deo, quàm sibi providere debet, ac proinde satis erit perfectus amicus, si non ponat peccatum dissolutivum amicitiæ divinæ, aut inductivum periculi &c.

Huic tamen responsioni non acquiesco. Ex ea enim videtur inferri posse, quòd nullo peccato nec levi nec gravi dissolvenda esset amicitia cum Deo, quia nullum peccatum est caussativum molestiæ aut doloris in Deo: ergo si ad amicitiam perfectam plus non requiritur, quàm non caussare afflictionem, molestiam aut dolorem, cujus Deus incapax est, non video quomodo peccatum obstet perfectæ amicitiæ. Sicut ergo sufficit ad dissolvendam amicitiam, ponere voluntariè aliquid graviter displicens Deo, seu graviter impeditivum finis à Deo intenti, ita ad minùs perfectum exercitium amicitiæ, sufficiet ponere voluntariè id, quod minùs placet, sive sit afflictivum sive non.

318. Respondeo ergo aliter distinguendo majorem. Christus est necessariò perfectissimus amicus Dei, hoc est, haber perfectissimam amicitiam quæ datur in actu primo, concedo: quæ datur in actu secundo, nego majorem, & distinguo minorem: ad perfectissimam amicitiam in actu secundo spectat eadem velle & nolle &c. concedo minorem: in actu primo, nego minorem & consequentiam. Itaque ad perfectissimam amicitiam in actu primo solùm spectat physica necessitas non displicendi Deo, sed placendi simpliciter loquendo; non autem, placendi Summè.

Habuit quidem Christus defacto amicitiam perfectissimam etiam in actu secundo, sed non ex physica necessitate, sed ex physica libertate.

319. Objicitur 3. Christus habuit necessitatem moriendi pro genere humano: ergo vel habuit obligationem in conscientia, vel necessitatem physicam seu metaphysicam: prius non admittimus: ergo posterius dicendum est. Major probatur. Quia Christus tenebatur lege naturali mori pro genere humano: nam lex naturalis obligat ad subeundam mortem pro proximo, constituto in extrema necessitate spirituali: atqui genus humanum erat in tali necessitate constitutum, vtpote obnoxium æternæ damnationi, & nemo poterat subvenire nisi Christus moriendo. R. Christum neutram ex dictis necessitatibus habuisse, ob rationes allatas: ad probationem distinguo. Lex Naturalis obligat ad sic subveniendum, obligat, inquam, illos, quibus antecedenter ad omnem casum eventualem, optabile est sic obligari (vt lib. 2. explicatum est) concedo, secùs, nego. Alijs hominibus, qui etiam capaces sunt infortuniorum & periculi pereundi, optabile est, habere cum alijs hominibus hanc reciprocam obligationem, quia æquè probabile est mihi eam, quàm alteri profuturam. Christus verò erat extra hæc pericula constitutus, & jam Beatus. Accedit quòd mors Christi hoc ipso non fuisset vtilis ad succurrendum generi humano, si physicâ necessitate subeunda fuisset. ergo non expediebat hanc necessitatem fuisse in Christo. antecedens patet, quia talis mors non fuisset meritoria.

320. Denique etiam ex alio capite non habet locum in Christo illa Theologorum Regula, obligans hominem ad moriendum pro salute alterius. Nam independenter à morte alterius hominis, quilibet homo jam est à Deo, saltem remotè, per gratiam vel intrinsecam vel extrinsecam, elevatus ad finem supernaturalem, & habet præparata media sibi applicabilia, non item independenter à meritis Christi. Rectè autem advertit P. Esparza, quòd Lex Naturalis non obliget ad procurandum proximo ea bona, quorum participatio sub nulla ratione illi debetur, aut ad avertenda ea mala, quorum inflictio illi debetur. Homini autem puro secundùm se non debentur dona supernaturalia, quæ videlicet sunt supra omnem ejus dignitatem & proprietatem; econtra homini peccatori secundùm se debetur insuper privatio eorundem bonorum, & afflictio mali contrarij. Hinc autem infertur, quòd Christus absolutè non tenebatur mori pro homine peccatore, quia independenter à Meritis Christi non dabatur elevatio ad statum supernaturalem, neque exstabant media emergendi ex statu peccati, vt modò fit per Sacramenta: quod est fundamentum vnde nascitur obligatio Charitatis erga proximum, ponendi vitam pro felicitate supernaturali alterius, si aliter obtineri non possit.

CONTROVERSIA III.

Vtrum Libertas Christi fuerit subjecta Fomiti peccati.

PRæmittendum est, quid nomine Fomitis peccati intelligatur, quæ licet sit quæstio de nomine, loquendum tamen in ea est conformiter doctrinæ Patrum & Conciliorum. Durandus voluit, Fomitem peccati aliud non esse, quam ipsam substantiam appetitûs sensitivi, Reprobatur tamen ab alijs meritò. Primò quia hac ratione asserendum esset, non solùm fuisse in Christo fomitem (quod omninò negandum est) sed etiam fuisse in Adamo adhuc constituto in statu Innocentiæ: dicendum itidem esset, quod Fomes in nobis non sit effectus peccati Originalis, sicut nec sunt aliæ potentiæ: dicendum denique esset, quòd fomes non posset in homine extingui, cujus oppositum patet in B. Virgine, & ideo dicitur à Theologis, quòd in Baptismo maneat Fomes ad Agonem, certamen & Victoriam, alioquin non mansurus.

Secunda opinio aliorum fuit, fomitem addere potentiæ qualitatem aliquam morbidam, manentem ex peccato originali. Sed hanc qualitatem rejecimus lib. 2. & exploditur communiter, quia hæc qualitas non esset connaturaliter emanativa ab anima, vt fatentur ejus assertores. ergo non esset etiam effectus peccati originalis, & ita non daretur: nam vt docetur in Materia de Gratia, peccatum originale non inducit hujusmodi effectus, nisi illos, quorum carentiâ fuit singulare donum statûs innocentiæ.

321. Tertia igitur, & vera Sententia est, Fomitem in actu primo aliud non esse, quàm appetitum expeditum & proximè instructum concursu causæ primæ, ad illos Motus inordinatos eliciendos, quibus prævenit Rationem Superiorem, illique resistit, & bellum movet, inclinando ad objecta illicita. Superaddit ergo ipsi Potentiæ appetitivæ carentiam illius rectitudinis & Ordinis ac Subjectionis ad Superiorem rationem, quâ gaudebat homo in statu Innocentiæ. Hinc autem

Fomes dicitur aliquando ligatus, aliquando penitus extinctus. Ligatus tunc esse dicitur, quando Deus per extrinsecam providentiam removet objecta, quæ si applicarentur, excitarent hujusmodi motus. Extinctus esse dicitur, quando etiam præsentibus objectis & occasionibus non permittitur exire in motus prævenientes rationem, illique contrarios, sed tantùm in illos, in quos recta ratio consentit. Vtrum autem hoc proveniat ab aliqua qualitate supernaturali, ex gente talem gubernationem, vel habeatur mere per Decretum extrinsecum, est incertum, de quo non est necesse hîc tricari.

322. Dicendum nunc est, in Christo non fuisse Fomitē, nec in actu primo nec in secūdo. Ita Theo-

logè cum S. Thoma q. 15. a. 2. Ratio S. Thomæ est duplex. Prima. Christus habuit omnes Virtutes morales in perfectissimo gradu: atqui per Virtutes morales ita subjicitur inferior superiori, vt quò illæ sunt perfectiores, eò debilior sit fomes: ergo &c.

Hanc tamen rationem existimo cum Suarez non esse sufficientem. Nam quantumvis perfectæ sint virtutes, nisi accedat specialis Dei providentia, non impeditur appetitus, quominùs oblatis occasionibus erumpat in motus primò primos, prævertentes rationem. Quare S. Thomas statim annectit secundam rationem, nempe, quia fomes non erat ordinabilis ad satisfaciendum, sed potiùs inclinâsset ad oppositum satisfactioni.

Verùm & hæc ratio difficilis est, nisi magis declaretur. Nam Tristitia & horror mortis, etiam inclinabant ad oppositum Satisfactioni, nec ad hanc ordinari poterant nisi tanquam materia certaminis & victoriæ: ostendendum ergo superest, quare fomes non potuisset etiam hoc modo ordinari ad satisfactionem.

323. P. Suarez aliter probat Conclusionem: nimirum fomitem non decuisse Christum, quia inclinat ad peccatum: item quia Christus venit, vt nos liberaret à lege peccati & fomitis: ergo non expediebat ipsum esse subditum legi fomitis, sed potiùs vt omnino esset à peccatoribus segregatus.

Sed contra est primò. Quia tunc solùm hujusmodi motus inclinant propriè ad peccatum, quando in nobis excitant cogitationem boni illiciti, potentem trahere voluntatem ad consensum, adeoque causantem & constituentem actum primum proximum peccandi: atqui in Christo non poterat hoc modo inclinare, vt fatetur Suarez: ergo ex hoc capite non dedecuisset Christum.

Contra 2. Quia quidquid intelligat Suarez per legem peccati & fomitis, non est bona consequentia: ergo Christus non debebat esse subditus illi legi. Nam si intelligat cum communi interpretatione in epist. ad Rom. 8. ipsam Concupiscentiam, Christus ibidem dicitur nos liberâsse à lege mortis, & tamen ipse fuit subditus huic legi. ergo potuisset etiam esse subditus concupiscentiæ, & tamen ab ea nos liberare. Deinde Christus non ita liberavit nos à concupiscentia vt eam non pateremur, sed vt per Christi gratiam non consentiremus: vnde solùm inferri potest, Christum debuisse immunem esse à consensu, & potentia consentiendi. Quodsi Suarez cum alijs intelligat legem Moysis, patet nihil esse ad rem præsentem: potuisset enim Christus esse liberà lege Moysis, & tamen habere fomitem, sicut nos modò sumus liberi ab illa lege, & tamen fomitem habemus.

324. Probo ergo Conclusionem faciliùs hoc modo. Ex miserijs, & imperfectionibus consequentibus ad peccatum originale, illas solas admisit & habuit Christus, quæ illi serviebant ad finem & opus redemptionis, & præbebant ansam meriti & satisfactionis. atqui fomes ad hoc non poterat servire. Ergo, &c. Major est certa, quia Christus non habuit peccatum originale: ergo nec effectus illius, nisi quos voluit: voluit autem illos solùm, qui servire poterant ad finem sui adventûs in mundum, qui fuit redemptio. Minor probatur. In Christo non fuit potentia proxima ad peccandum, vt suprà probatum est: ergo non potuit illi fomes præbere ansam certaminis & victoriæ, inferendo vim rationi, eamque ad illicita trahendo: sic enim jam supponeretur actus primus proximus ad peccandum. Et fortè nihil aliud voluit S. Thomas & P. Suarez.

325. Objicies. Oportuit Christum tentari omnibus modis, & per omnia, vt sciret compati infirmitatibus nostris, & omnibus esset exemplo. atqui vnus modus tentandi est, qui provenit à Concupiscentia & carne. Ergo &c. Ad hanc objectionem Respondet S. Thomas q. 41. a. 1. ad 3. distinguendo inter tentationem quæ est ab hoste, & quæ est à carne. Priorem dicit Christum passum esse, quia potest esse absq; peccato, cùm fiat per solam exteriorem suggestionem: posteriorem verò ait non posse esse sine peccato, quia fit per delectationem & concupiscentiam: atqui quando caro concupiscit adversus Spiritum, non est nullum peccatum secundùm S. Augustinũ. Hæc Responsio si accipiatur, vt verba sonant, difficilis est. quia certum est, motus hujusmodi carnis, quando sunt omnino involuntarij, nullum planè esse peccatum propriè dictum, loquendo de peccato formali. Intelligendus ergo mihi videtur S. Thomas de peccato Materiali seu objectivo, hoc est de actu, qui non potest vnquam sine peccato voluntarius esse: & talem actum non decebat esse in Christo, quia nullum actum inferioris hominis expertus est, nisi quem pars superior sponte volebat, ob plenum dominium partis Superioris in Inferiorem.

326. Ad Objectionem Respondeo, Christum etiam absque hoc modo tentandi fuisse nobis maximo exemplo, ad hunc etiam modum tentandi cum proventu spirituali sustinendum, quatenus longè majores angustias expertus est, quàm ex hujusmodi tentationis certamine possimus experiri.

Ex dictis possumus statuere Regulam aliquam generalem, explorandi, quinam defectus seu corporis seu animi sint admittendi vel non admittendi in Christo. Est autem Regula desumenda ex fine Incarnationis, scilicet ex remedio peccati per condignam satisfactionem, emendationem, & illuminationem Generis humani. Ad hunc inquam finem conducebat maximè assumptio carnis passibilis, vt dolor medijs sensibus ad animam vsque penetraret, sicque locus esset merito: hinc voluit pati tristitiam Christus Matth. 26. & lacrymas in suscitatione Lazari, & supra Civitatem Jerusalem, & iram in ejiciendis è templo negotiatoribus.

327. Bene autem advertit P. Esparza, huiusmodi passiones caruisse in Christo triplici imperfectione, seu potiùs vi nocivâ, quam in nobis exercent. Primò enim nos inclinant æquè ad inhonesta ac honesta, Christum ad sola honesta. Secundò in nobis sæpè prævertunt rationem, & sunt motus primò primi, non item in Christo. Tertiò in nobis turbant vsum rationis, & suâ vehementiâ ita debilitant animam, vt non possit quietè rebus supernaturalibus & æternis attendere vt ratio vellet, non item in Christo, ob plenum Dominium partis superioris.

Econtra illos defectus Christus non assumpsit, qui ad Finem Redemptionis non conduxissent, quin potiùs obfuissent, vt est Ignorantia, Error, Peccabilitas, Fomes.

CONTROVERSIA IV.

Quo sensu dicenda sit Voluntas Christi fuisse semper conformis Voluntati divinæ.

CErtum est 1. ex SS. litteris, in aliquo sensu voluntatem Christi fuisse semper conformem voluntati Patris Psal. 39. *Vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Joh. 4. *Meus cibus est, vt faciam voluntatem ejus qui misit me.* Joh. 8. *Ego quæ placita sunt ei facio semper.* Joh. 6. *Quia descendi de Cælo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me.* Ratio etiam à priori ex dictis redditur. CHRISTUS fuit Beatus: ergo habuit quod voluit, & nihil peccaminosè voluit, juxta celebrem definitionem S. Augustini lib. 1. de Trinit. c. 5. sed non habuisset, quod voluisset, si contra divinam voluntatem efficacem aliquid voluisset: ergo in aliquo sensu semper voluit, quod Deus voluit. Eadem veritas habetur in 6. Synodo art. 4. in Epist. Agathonis Papæ. *Prædicamus duas naturales Voluntates non contrarias (juxta quod impij asserunt hæretici) sed sequentem ejus humanam voluntatem, & non resistentem vel reluctantem, sed potius subjectam divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.*

Certum tamen nihilominus è contrario est, habuisse Christum in aliquo sensu voluntatem contrariam Voluntati Dei. Matth. 26. *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Lucæ 22. *Non mea sed tua voluntas fiat.* Vnde S. Augustinus ex hoc fundamento ostendit contra Hæreticos, in Christo fuisse non solùm divinam, sed etiam humanam voluntatem. Vt ergo constet, quomodo hæc sint concilianda, & quâ cautelâ in hoc puncto loquendum sit;

328. Advertendum est 1. Voluntatem aliquando accipi pro appetitu sensitivo; magìs tamen communiter & propriè, pro Voluntate rationali & spirituali. Appetitus sensitivus fertur in objectum prout est sensibile, & sensibus gratum vel ingratum, dirigitúrque à cognitione solius Bonitatis vel malitiæ physicæ, & nullo modo comparante hoc Bonum cum approbatione vel improbatione Dei, seu Legis Superioris. Hinc autem fit, hunc appetitum ferri in suum objectum semper eodem modo, sive sit prohibitum, sive licitum. Quapropter non est absurdum, imò necessarium, concedere in Christo hujusmodi appetitum aliquo modo adversantem divinæ voluntati, quatenus Deus voluit Christum ex motibus sensuum habere causam meriti, quod tamen non fuisset, si appetitus non refugisset.

329. Advertendum 2. Appetitum seu voluntatem rationalem posse subdividi in Appetitum necessarium, & Appetitum electivum. Quidocunque enim proponitur voluntati aliquid objectum bonum, necessariò & naturaliter elicit voluntas actum simplicis complacentiæ, quo provenit omnem deliberationem & electionem: è contra si proponitur malum, elicit actum displicentiæ, & in his dicitur voluntas agere per modum Naturæ, & sæpè per complacentiam ferre in prohibita, & per displicentiam in ea quæ præcepta sunt.

Advertendum 3. Respectu Christi Deum nihil voluisse Voluntate signi præceptivâ, hoc est, inductivâ obligationis in conscientia, vt supra dictum est: Habuit tamen Deus voluntatem signi consultivam, seu dantem consilium, & hinc defacto Christus ex morali necessitate semper se conformavit quoad voluntatem superiorem electivam ac liberam.

330. Advertendum 4. Præter voluntatem Signi dari in Deo etiam voluntatem Beneplaciti, quâ Deus aliquid efficaciter vult, & nemo potest ejus voluntati cum effectu resistere. Vnde qui sciens talem voluntatem Dei, vellet contrariari, vel esset stultus, vel Blasphemus, quorum neutrum poterat cadere in Christum.

331. Advertendum 5. Conformitati Voluntatis humanæ cum divina nihil penitus obesse, si quid velimus solùm sub conditione hac: *si voluntati divinæ non sit contrarium.* Nam hac ratione, esto materialiter possimus velle aliquid, cujus contrarium vult Deus, formaliter tamen volumus id quod vult Deus, quia volumus Beneplacitum illius. Pari modo non obstat conformitati cum voluntate divina, si Voluntas divina solùm est conditionata, hoc est, quâ Deus aliquid vult sub conditione, seu pro casu quo homo non oraverit illum ad aliud volendum. Sic Ninivitæ pœnitentiâ operibus impetrârunt Civitatis conservationem, quam Deus conditionatè constituerat subvertere. Quapropter difformitas libera & vitiosa tunc solùm videtur contingere, quando quis, quantum in se est, si posset, vellet impedire ne fieret quod Deus absolutè vult: vel (quod frequentiùs contingit) quando quis ægrè fert, Deum aliquid velle, & vellet Deum id non voluisse: v. g. quando parentes immoderatè conquerunturde immaturâ morte aut morbo filiorum, tametsi sciant, non nisi Deo volente id accidisse. Et hæc dictum-

mus.

mitas, vtpote peccaminosa, non poterat inesse Christo.

332. Quapropter constat, quoad solum appetitum sensitivum, & quoad simplicem complacentiam vel displicentiam potuisse Christum habere actus contrarios voluntati divinæ, qui tamen ipsi non fuerunt objectivè mali, & poterant liberè à Christo admitti; & hac ratione conciliantur ea quæ pro ratione dubitandi adducta fuerunt.

CAPVT VII.

DE PRÆMIIS MERITORVM CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Incarnatio, quoad substantiam spectata, fuerit præmium alicujus Meriti.

SUpponendum est contra Origenem, Animam Christi non præexstitisse tempore, ante vnionem cum corpore & Verbo: item contra Photinum & Nestorium, hunc hominem Jesum, non præexstitisse tempore, antequam vniretur Verbo. Luc. 1. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* quæ verba semper intellexit Ecclesia, quòd in primo instanti conceptionis fuerit illa Humanitas vnita Verbo, & ille Homo fuerit Filius Dei. Hoc supposito

333. Difficultas præsens duplex est, alia circa ipsam Substantiam Incarnationis, alia circa circumstantias, & quæritur, An & Quomodo potuerint esse Præmium Meritorum Christi. Procedit autem quæstio imprimis de potentia ordinaria, hoc est, de connaturali modo operandi & præmiandi, & deinde de potentia absoluta. Procedit item quæstio de Merito condigno, & de merito de congruo: denique procedit de merito habente se ad præmium ordinario modo, hoc est, tanquam causa moralis illius, vocatúrque meritum attractivum; & de merito non habente se tanquam præexistens ad præmium, sed potiùs inverso modo, ita vt Meritum esset posterius præmio, vocatúrque Meritum compensativum, vel Compensationis, vel Meritum in Spe. Hoc genus Meriti daretur, quando præmium jam esset anticipatum: v. g. si quis militi daret gladium ad generosè pugnandum, ita vt gladius sit illius præmium, eò quòd à præmiante prævideatur bene vsurus gladio. Vno verbo, sicut potest merces pro labore solvi antecedenter ad laborem, licèt ordinariâ viâ solvatur post laborem, ita non repugnat præmium solvi ante meritum existens, sed intuitu & spe certâ meriti: est enim maxima similitudo inter Mercedem & Præmium, & hoc solum est discrimen, quòd Merces ex pacto solvatur, & inducat obligationem vel laborandi, vel acceptam mercedem restituendi; Præmium autem non solvitur ex pacto, sed liberalitate; quamvis hæc diversitas non semper attendatur, sed sæpè confundantur; nam ipsa S. Scriptura sæpius vtitur nomine *Mercedis*, quando loquitur de Præmio, & Deus ipse dicit: Ego sum Merces tua. Hoc genus Meriti compensationis agnovit P. Ægidius Conink *de actibus Supernaturalibus d. 8. quæ est de Merito, dub. 7. à n. 116.* ejusdem obiter mentionem facit Lugo *d. 27. de Incarn. s. 3. n. 35.* Ruiz de Montoya *disp. 6. de Prædest. sect. 2. n. 14.* Acerrimè illud propugnárunt aliquoties duo primarij Professores, vt narrat Oviedo, quorum vnus fuit Collegij Complutensis P. Joannes Antonius Vson. Tandem hoc meritum Compensationis asserit P. Theophylus Raynaudus. ejusdem Meriti patronum se ostendit Hispanus Recentior, sæpiùs jam adductus, qui hìc supponit ex dicendis de *Merito*, quòd Principium Meriti possit de potentia absoluta cadere sub Meritum, vnde deducit, posse aliquem de potentia absoluta mereri de condigno primam Gratiam, prout etiam sentit Conink, innixus Merito compensativo. Noviss. imè illud agnoscit P. Didacus Avendanno infrà citandus. Hæc præmittere volui, ad parandam viam illis, quæ infrà dicturus sum circa Merita progenitorum Christi, eorúmque præsuppositione aut dependentia à Meritis Christi. Nunc

334. Dicendum est primò. Christus non meruit, nec mereri potuit, merito condigno antecedente, Vnionem hypostaticam. Probatur. Merita Christi acceperunt suam dignitatem ab ipso Verbo vnito: ergo vnio hypostatica non potuit esse præmium posterius meritis. Probatur Conseq. Præmium posterius meritis condignis præsupponit merita vt dignificata: ergo merita præsupponebant Vnionem hypostaticam: sed non potest idem esse prius & posterius naturâ respectu ejusdem, vt ex Philosophia suppono. Ergo, &c.

335. Dicendum 2. Defacto non accepit Christus Vnionem hypostaticam in præmium alicujus meriti de congruo. Est Sententia S. Augustini. Est autem Sensus Conclusionis, quòd defacto non elicuerit anima Christi aliquos actus meritorios pro priori naturæ, antequam esset vnita Verbo. Hoc, inquam, meritum negat S. Augustinus *tr. 82. in Jo. Neque*, inquit, *illam susceptionem hominis vlla merita præcesserunt, sed ab illa susceptione merita ejus cuncta cœperunt.* Ecce! disertè negat miraculosam illam præcedentem operationem: connaturaliter enim operationes sunt suppositorum, & præsupponunt subsistentiam seu naturam subsistentem. Idem habet *lib. 2. de peccatorum meritis & remissione. Neque enim*, inquit, *& ipse ita Verbo Dei conjunctus, vt ipsâ conjunctione vnus Filius Dei, & idem ipse vnus Filius hominis fieret, præcedentibus suæ voluntatis meritis fecit.* Ratio Conclusionis est, quia nullum exstat fundamentum asserendi hoc miraculum, etiamsi demus illud possibile esse, de quo non est in præsenti disputandum. Quòd autem esset miraculum, patet; quia, vt dixi, naturæ non est connaturale operari, nisi priùs sit posita in statu completo, adeoque suppositata; quam rationem egregiè etiam adnotavit S. Hilarius lib. 11. de Trinit. *Consequens*, inquit, *& posterior causa, nunquam refertur; & prior sit, quia meruisse aliquid posterius est, quàm esse, qui possit mereri. Mereri enim ejus est, qui sibi ipse meriti acquirendi auctor existat.*

336. Objici possent primo, duo loci S. Scripturæ. Primus est in ps. 44. *Dilexisti Justitiam & odisti iniquitatem, propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ.* per Vnctionem autem intelligit S. Augustinus assumptionem in Deum. Secundus locus est Apoc. 5. vbi Agnus occisus dicitur esse dignus accipere divinitatem. Ad primum Respondetur, per Vnctionem, ex communiore interpretatione intelligi gloriam corporis, & cætera accidentalia gaudia Christi. Quodsi S. Augustinus de Vnione hypostatica intellexit, negavit tamen esse præmium, sed voluit esse medium ordinatum ad actus Justitiæ, vt sensus sit: *in eum finem te assumpsi, vt diligeres Justitiam, &c.* Cæterùm ille locus qui Augustino tribuitur, non est Augustini, sed alterius, vt ostendit Raynaudus n. 167.

Ad secundum locum R. Eum non posse intelligi de acceptione divinitatis secundùm se, alioquin primùm post passionem facta esset assumptio: intelligendus ergo necessariò est de manifestatione Divinitatis. Taceo quòd, vt observat P. Ribera, plerique Græci Codices legant *Divitias*, pro *Divinitatem*, additque sibi verisimile esse, quòd festinans librarius pro *Divitias*, scripserit; *Divinitas*: deinde alij ad corrigendum solœcismum scripserint; *Divinitatem*: quæ sanè est conjectura valde rationabilis.

337. Objici posset 2. Angeli & primi parentes ex communiore Sententia meruerunt de congruo primam gratiam Sanctificantem, & quidem ordine miraculosè inverso: connaturaliùs enim illa opera præsupposuissent gratiam Sanctificantem, tanquam radicem operationum supernaturalium: ergo pari modo dici potest, quòd hæc connaturaliter Vnio hypostatica deberet præcedere merita, Deus tamen voluerit Vnionem esse præmium meritorum, & hæc existere pro priori naturæ. R. Negando paritatem. nam de Gratia sanctificante hoc faciliùs intelligitur & concipitur: quia ipsa non debetur Naturæ tanquam principium vniversale ad operandum, sed præsupponit suppositum jam naturaliter operativum horum actionum naturalium, & substantialiter completum: neque infertur Naturæ aliqua violentia, negando illi gratiam pro priori signo ad operationes indebitas supernaturales. Præterea, hæ operationes supernaturales per se loquendo exigant procedere à gratia sanctificante, eamque præsupponant, contrarium tamen non habent pro miraculo; quia necesse erat, vt quàm frequentissimè fieret, nempe quando peccatores eliciunt actus supernaturales, & quando adulti se disponunt ad Baptismum.

338. DICO 3. Neque merito compensativo potuit Christus mereri de condigno Vnionem hypostaticam. Hæc Conclusio re ipsâ est contra P. Suarez, qui nixus duplici decreto, Intentionis scilicet & Executionis, docet, quòd anima Christi, & ipse Christus, prout subsistit decreto Intentionis, potuisset mereri Vnionem hypostaticam, ponendam per decretum Executionis. Certè hæc doctrina non potest loqui aut intelligi de alio merito, quàm de compensativo: namhoc genus meriti, vt suprà declaratum est, sequitur quidem in executione præmium, sed in intentione est prius, & intenditur per ipsum præmium, sicut labor intenditur per exhibitionem amicitiam mercedis. Nunc præscindendo à duplici hoc decreto, Probatur Conclusio. Præmium debet realiter distingui ab eo, cujus est præmium: ergo præmium condignum debet distingui realiter non tantùm ab ipso opere bono secundùm se spectato, sed etiam à dignitate ipsius operis: atqui Vnio hypostatica significat *vt Quo*, opera Christi: ergo præmium condignum operum Christi debet realiter distingui ab eo, quod se habet per modum motivi allicientis ad dandum tale præmium, & quod est mensura, cum qua debet proportionari præmium: sed hujusmodi motivum & mensura est ipsa dignitas operis, & quidquid illam dignitatem constituit: ergo præmium debet ab illis omnibus distingui.

339. Ex hac argumentatione deduco, quòd etiam repugnet, purum hominem mereri primam Gratiam Sanctificantem de condigno, ne quidem Merito compensativo, vt habet communis Theologorum. Ratio est, quia etiamsi concederemus quòd Meritum compensativum posset esse effectivum præmij anticipati, adeoque præmium posset esse principium meriti, hoc tamen non potest intelligi de principio meriti quòd sit forma dignificans operis: hæc enim non est solummodo præmium

pium efficiens, sed principium formale & constitutivum operis in ratione *digni tali præmio*, & hoc ad minimùm volunt Theologi cum S. Thoma, quando negant, principium meriti posse cadere sub Meritum. In hoc etiam sensu dixit S. Augustinus c. 25. de Moribus Eccles. Cathol. quòd præmium non possit præcedere meritum, & priùs homini dari quàm dignus est: nempe quia dignitas operis debet esse distincta à præmio.

Vtrum autem possit vnio hypostatica cadere sub Meritum compensativum de congruo, est major ratio dubitandi. Affirmat Raynaudus, contra quem

340. DICO 4. Repugnat, Vnionem hypostaticam esse præmium de congruo Meritorum Christi. Probo Conclusionem. Vel enim consideramus actum Christi meritorium præcisè secundùm se, vel prout dignificatum à Verbo: in neutra consideratione potest mereri vnionem hypostaticam de congruo. Non quidem in prima acceptione: quia non potest taxari præmium de congruo, nisi præsupponatur status Personæ ejúsque conditio, cum qua debet habere proportionem etiam præmium de congruo, nam quod respectu inferioris habet rationem meriti de congruo, in superiore posset habere rationem meriti de condigno, & quod respectu superioris est præmium de congruo, respectu inferioris propter nimium excessum nullam habebit proportionem, nec poterit esse præmium de congruo, vt superiùs notavi. ergo non potest taxari præmium determinatum de congruo cum præcisione à dignitate Personæ. Sed neque in secunda consideratione potest habere rationem præmij de congruo. Nam respectu operum Christi vt dignificatorum, nullum est excogitabile præmium de congruo: cùm enim sint infiniti Valoris, merentur de condigno omne præmium excogitabile: ergo nullum potest illis quà talibus dari præmium de congruo, quia hoc deberet esse majus, quàm præmium de condigno.

341. DICO 5. Antiqui Patres, qui præcesserunt tempore Christum, ne quidem de congruo promeruerunt substantiam Incarnationis, ita vt defacto illam in præmium acceperint. Ita communis contra Suarez. Probari posset Conclusio ex improportione talis præmij cum puro homine, sed hoc prætermisso, probatur melius ex eo, quia vt dicemus, omnia dona supernaturalia antiquorum fuerunt præmia Meritorum Christi: sed merita Christi vt condigna, constituuntur formaliter per vnionem hypostaticam, vt dictum est: etgo merita antiquorum Patrum fuerunt præmia Meritorum Christi, vt includentium vnionem hypostaticam: ergo ipsa Vnio non fuit præmium Meritorum antiquorum PP. quia non possunt sibi duo esse mutuò præmia.

CONTROVERSIA II.

An ex meritis Christi Beatissima Virgo meruerit circumstantiam Maternitatis: & an cæteri progenitores Christi circumstantiam Stirpis.

§. I.

Vtrum B. V. promeruerit Maternitatem de Condigno.

AFfirmâsse videntur Marsilius & S. Bonavent. apud Suarez. Fundamentum affirmandi erant locutiones Patrum, quibus B. Virgo pronuntiatur digna fuisse, quæ Mater fieret Filij Dei. Sic etiam Ecclesia in quadam oratione canit. *Vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur, Spiritu S. cooperante præparâsti.* Hæc sententia, quamvis communiter rejiciatur, inspecto verborum tenore quibus proponitur, si tamen mens Authorum attendatur, potest verum sensum habere. Pro quo

342. Advertendum est id, quod obiter adverterunt Suarez & Vasquez, esse magnum discrimen inter hæc duo: *Maternitatem de condigno mereri:* &: *habere in se dotes qualificantes, quibus talis persona digna reddatur assumi in Matrem Dei:* hæc duo sunt ab invicem separabilia. Sæpè enim aliquis absque omni merito propriè dicto, est dignus assumi ad aliquam excellentiam: v. g. si alicui adolescenti propter natales confertur aliqua dignitas Ecclesiastica, nullo præcedente actu meritorio. Ratio est, quia Meritum de condigno movet liberalitatem Remunerantis, Idoneitas verò seu dignitas movet Providentiam & Justitiam Gubernatricem.

Imò quod ampliùs est, potest alicui antecedenter non solùm ad omne Meritum, sed etiam ad omnem Idoneitatem seu Dignitatem decerni & conferri aliqua excellentia seu prærogativa, hac intentione, vt postea primùm se reddat illà dignum: sic potest alicui necdum presbytero conferri Beneficium curatum, qui tamen post acceptum Beneficium debet suscipere præsbyteratum, & sic se dignum reddere. Sic posset vir Nobilis adoptare filium pauperem, qui deinde redderet se dignum tali adoptione. Sic S. Matthæus assumptus est ad Apostolatum, & post assumptionem se dignum reddidit. sic Zachæus assumptus est in familiaritatem Christi, & post assumptionem se dignum reddidit. Nunc

343. DICO 1. Beatissima Virgo non meruit Maternitatem de condigno. Probatur. Nam merita B. Virginis fuerunt condignè præmiata Gratiâ sanctificante, quam per omnia sua merita auxit: ergo quidquid vltra illam accepit, erat vltra condignum: ergo & Maternitas.

344. DICO 2. Beatissima Virgo fuit condignè disposita, seu dispositivè digna, digné-

que

que præparata, quæ assumeretur in Matrem Dei. Conclusionem firmant locutiones Patrum & Ecclesiæ, & est res indubitata inter Catholicos. Fuit enim tam quoad corpus quàm quoad animam mundissima, non solùm ab omni culpa actuali & personali, sed etiam originali, ornata insuper gratiâ sanctificante supra omnes alias puras creaturas. Porrò hanc ipsam summam dignitatem partim accepit ex merissima liberalitate Dei, vt immunitatem ab originali labe, & similia, partim promerita est de condigno, quatenùs condignè promerita est augmentum Gratiæ in immensum. denique per ipsos actus virtutum etiam formaliter se dignificavit.

§. II.

Vtrum B.V. meruerit Maternitatem de Congruo. Proponitur difficultas & sententia admittens tantùm meritum Dispositivum.

DIfficultas consistit in hoc. Videtur esse inevitabilis mutua caussalitas inter merita Christi & merita B. Virginis, quibus promeruisset Maternitatem. Nam si B. Virgo promeruit Maternitatem, illud meritum erat vtique priùs naturâ, quam esset Maternitas seu influxus quem Mater præstat generationi, & à quo denominatur Mater seu Caussa Filij: ergo illud meritum erat etiam priùs naturâ omni illo, quod est posterius Maternitate: atqui ipsa Incarnatio seu existentia Christi est posterior, vtpote effectus illius influxûs; & deinde ipsa merita Christi sunt posteriora Incarnatione: ergo à primo ad vltimum, meritum B. Virginis, quo promeruisset Maternitatem, fuisset priùs naturâ omnibus meritis Christi. Econtra saltem aliquod meritum Christi debet fuisse prius naturâ omnibus meritis B. Virginis: nam omnia merita B. Virginis sunt naturâ posteriora gratijs prævenientibus supernaturalibus: atqui meritum Christi debet esse prius naturâ his gratijs, nam omnia dona supernaturalia antiquorum Patrum sunt præmium meritorum Christi: ergo à primo ad vltimum, aliquod meritum Christi est prius naturâ illo merito, quo B. Virgo meruisset Maternitatem: ergo daretur mutua caussalitas.

Prima Sententia admittit in meritis Christi prioritatem naturæ ad omnia merita B. Virginis, cæterorúmque progenitorum, sed negat, merita B. Virginis & cæterorum habuisse prioritatem naturæ ad merita Christi, quia negat habuisse prioritatem naturæ ad ipsam Maternitatem, ac per consequens negat, quòd B. Virgo meruerit Maternitatem merito impetratorio, cui respondeat præmium, & vult, quòd eandem solummodo meruerit merito Dispositivo, suprà explicato, nempe quo se dignam reddidit, quæ in Matrem assumeretur.

345. Docet ergo hæc Sententia primò: quòd Deus omnes causlas physicas ita ordinaverit ad existentiam Christi, ejúsque conservationem perpetuam, sicut connaturaliter existens habere prioritatem & posterioritatem inter se, ac proinde, quòd Christus nullo vnquam influxu exstiterit independens omnino ab influxu horum progenitorum. Docet 2. Quòd inter has causlas physicas nullus fuerit actus supernaturalis, & quòd nulla caussalitas physica processerit ex hoc actu supernaturali progenitorum Christi. Docet tertiò, quòd merita Christi fuerint priora naturâ omnibus donis supernaturalibus suorum progenitorum, vtpote quæ in præmium essent collata, tempore quidem priùs, sed naturâ posterius meritis Christi.

Hanc Sententiam paucis insinuat Præpositus *q. 2. dub. 5. n. 151.* eandem defendit P. Vvidingus *d. 10. dub. 8. n. 75.* vbi expresse tradit, seriem progenitorum non esse ex meritis Christi. Denique magis ex professo eam propugnat P. Mart. Esparza. Parùm abest ab ea P. Compton. *d. 47. n. 11.* dicens, in primo signo præcedentiam fuisse B. Virginem in ætate jam adulta proconcipiendæ aptam, & existentem per actionem à solo Deo procedentem (ad eum modum quo Lugo loquitur de Christo, vt postea referemus) & in eo instanti decreviisse Deum cum B.V. concurrere ad Christi humanitatem. Deinde existens anima Christi vnita corpori & Verbo, comlit se ad mortem: per quam oblationem cæt. gratiam matri mereri, & toti humano gene- vnde in illo instanti priùs erat Mater, quam vl gratiam, vel vllum actum meritorium habe- postquam verò electa est in Matrem, disposuit a vt esset digna Mater Dei: quæ dispositiones erant naturâ consequentes Maternitatem. Ita Compton, citans Ragusam & Præpositum.

346. Fuit hæc Sententia à Recentioribus in Germania acriter impugnata, quoad illud maximè punctum, quòd Existentia Christi dependens ab ejusdem progenitoribus, fuerit deducta per causlas merè naturales, sine interventu aliquorum supernaturalium, quæ reipsa in Christum influxerint physicè aut moraliter. Hoc enim vtebatur non posse cohærere cum multis historijs quæ in S. Scriptura narrantur. Primò vita Isaaci fuit conservata ab Angelo, inhibente ictum Abrahami dependenter ab actu supernaturali, quo Abraham illum ictum imperabat ex obedientia: ergo jam aliqua caussa moralis supernaturalis intervenit inter causlas Christi. Secundò Isaac deprecatus est Deum pro vxore sua, eò quòd esset sterilis, qui exaudivit eum, & dedit conceptum Rebeccæ, vnde natus est Jacob, ex quo descendit Christus: ergo preces supernaturales influxerunt in Christum.

Tertiò. Rahab meretrix, & proavia Christi, fuit conservata dependenter à fide supernaturali, ex quâ excepit exploratores. Quartò Enachias oratione supernaturali impetravit propagationem vitæ, & postea genuit Manassen, progenitorem Christi. Quintò Abraham suâ obedientiâ meruit esse progenitor Genes. 22. Quia facit

feciſti hanc rem, benedicentur in ſemine tuo &c. Sextò, Progenitores Chriſti vtique ex aliquo actu Supernaturali potuerunt operam dare generationi & copulæ, ex qua Chriſtus deſcendit.

Septimò, Chriſtus in primo inſtanti ſuæ exiſtentiæ vtique ſuppoſuit pro priori naturæ ſuos progenitores, vt habentes Signaculum Fidei, vt genitos ex Legitimo Matrimonio, ſecundùm Legem Moyſis.

347. Hæc omnia, & ſimilia plura, quæ moleſtiæ vitandæ gratiâ prætermitto, meritò objiciuntur huic ſententiæ, & mirantur multi, ea fuiſſe ab hujus ſententiæ patronis diſſimulata. Cæterùm quod olim dixi nunc iterum dico, poſſe his omnibus reſponſionem adhiberi, ſi ſemel concedatur, vt hactenus communiter in hoc puncto ſupponebatur, nempe, aliquid tempore & executione poſterius, poſſe à Deo ita decerni & ordinari, vt ſit Naturâ prius illo, quod eſt tempore prius. Hoc, inquam, poſſibili ſuppoſito (quod ego infrà negabo eſſe poſſibile) poteſt ad omnia allata reſponſio adhiberi, non aliter impugnabilis, quàm tribus verbis: *Hoc durum eſt; Repugnat communi ſenſui.* Vt proinde tandem inter Authores tota quæſtio eò recideret, quodnam præ altero ſit magis durum, v. g. an magis durum ſit, Deum pro priori Naturæ conſervâſſe organa Iſaaci, & pro poſteriori Naturæ inhibuiſſe ictum Abrahami, quàm durum ſit, pro priori Naturæ Chriſtum fuiſſe virum anno Tiberij decimo ſeptimo, & pro poſteriori Naturæ, ſed triginta tribus annis priùs fuiſſe infantem, vt vult ſententia illorum RR. qui hanc impugnârunt, & paulò pòſt referetur.

348. Aliud argumentum proponi ſolet contra relatam ſententiam, cui dicuntur aliquando adeo ceſſiſſe illius patroni, vt mutuam cauſſalitatem admiſerint. Deſumitur argumentum ex verbis Mariæ ad Angelum: *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum.* quibus verbis B. Virgo ex communi Patrum & fidelium ſenſu præbuit conſenſum vt fieret Mater; Conſenſus autem vtique fuit prior effectu in quem conſenſit, & qui futurus non fuiſſet, ſi B. V. non conſenſiſſet. Vnde S. Bernardus dixit, quòd ſicut per primum *Fiat*, factus eſt mundus, ita per ſecundum *Fiat*, ſit reparatus. Ad hoc argumentum reſponderi poſſet, negando quòd ille conſenſus fuerit prior Naturâ ad Incarnationem. Et quidem quod attinet ad auctoritatem S. Bernardi, ea potiùs ſtat pro nobis; nam teſte Maldonato S. Bernardus, ſecutus S. Hieronymum, fuit in ea ſententia, quòd B. Virgo conceperit, antequam ſalutaretur ab Angelo: ergo ex mente S. Bernardi non exſpectabatur conſenſus. Deinde, Angelus non conditionatè, ſed abſolutè affirmavit futuram conceptionem, dicens: *Inveniſti enim gratiam &c. Ecce concipies.* Et B. Virgo credidit Angelo, teſte S. Eliſabetha; *Beata quæ credidiſti.* credidit autem abſolutè futurum, & non ſub conditione: ſi ipſa conſentiret. Porrò illa fides præceſſit verba B. Virginis, *Ecce! ancilla.* vt tradit S. Ambroſius lib. 2. in Lucam: *Hodie*, inquit, *primùm auditur & creditur: deinde:* ecce! ancilla. Dici ergo poteſt conſenſum illum fuiſſe potiùs conformitatem cum voluntate divina.

§. III.

Refertur ſententia conſtituens Chriſtum in Statu independente à ſuis Progenitoribus.

349. CArd. de Lugo, quem ſequitur Arriaga, vt defenderet in Progenitoribus Meritum Impetratorium Stirpis, hoc eſt, tale Meritum, quod cum vera prioritate Naturæ præcederet generationem Chriſti, ſic philoſophatur. [Faciliùs, inquit, dici poteſt, Chriſtum præviſum fuiſſe tempore paſſionis cum ſuo Merito, ſaltem cum aliquo actu efficaci, acceptante ex ſe Mortem à Patre injunctam, ſi à Judæis inferatur, & per hoc Meruiſſe Gratiam progenitoribus & Virgini. poſtea verò Patres & B. V. prævidentur mereri fieri Chriſti progenitores: non enim repugnat id quod nunc eſt cauſſa, eſſe poſtea pro alio tempore effectum reſpectu ejusdem, dummodo non detur mutua dependentia pro eodem inſtanti.] Hæc Lugo. Alij hanc ſententiam paulò diſtinctiùs ſic proponunt. Ponitur Chriſtus inſtanti aliquo circa tempus mortis, prorſus independens ab omnibus cauſſis ſecundis, tantùm præſuppoſito peccato Adami, & illis quæ in iſtud influxerunt: vt proinde Chriſtus in eo ſtatu exſtiterit dependenter à ſolo Deo, inſtar Adami in paradiſo formati. Chriſto ſic conſtituto proponitur mors ſubeunda cum omni ſua arduitate quam Chriſtus liberè acceptat. & per eam acceptationem meretur, vt Deus intuitu illius ſtatim retrogrediendo ordinet omnes gratias poſt lapſum Adami, atque illas etiam ſingulariter, quæ influxerunt in ejusmodi Incarnationem in vtero Virginis ponendam: atque ita poſitus vt Vir meretur vt ſit infans, puer, juvenis.

Hanc ſententiam impugnârunt Succeſſores Lugonis in Theologica Cathedra Collegij Romani, & imprimis eam impugnavit Cardin. Pallavicinus n. 7. [Ex hac doctrina, inquit, ſequeretur, Virginem & antiquos Patres nullum habuiſſe influxum in redemptionem generis humani, quippe quæ facta eſt in Cruce, ſolvendo pretium peccati pro omnibus ſimul.]

Ad hoc reſponderet Card. de Lugo, ſatis eſſe, quòd influxerint in aliqua merita Chriſti, quæ præceſſerunt illum ſtatum miraculoſum.

350. Contra hoc tamen vrgeri & inſtaurari poteſt argumentum hoc modo. B. Virgo ſecundùm hujus ſententiæ patronos, non fuit redempta (eo modo quo redempta eſt, nempe præſervativè, collatâ Gratiâ Sanctificante in primo inſtanti conceptionis) non, inquam, fuit redempta ex meritis Chriſti pendentibus ab ipſa Virgine, ſed tantùm ex merito illius ſtatûs independentis:

ergo B. Virgo saltem non fuit Instrumentum Redemptionis propriæ, nec etiam Redemptionis omnium progenitorum Christi. ergo non rectè dicitur instrumentum redemptionis generis humani, quod tamen dicendum est: cùm in Symbolo Nicæno dicatur Christus propter homines incarnatus esse ex Maria Virgine: & Ecclesia canat: *Quod Eva tristis abstulit, tu reddis almo germine. vitam datam per Virginem gentes redemptæ plaudite.* Præterea, si vnum opus Christi defacto acceptatum est pro redemptione progenitorum & B. Virginis, non est Ratio, quare non etiam, præcisis reliquis meritis, fuerit acceptatum pro toto genere humano: ergo in illo statu miraculoso jam intelligetur sufficienter redemptum genus humanum: ergo influxus B. Virginis in reliqua merita tempore quidem priora, sed naturâ posteriora (vt isti AA. volunt) non aliter poterit dici serviisse ad redimendum genus humanum, quàm si quis post extinctum sufficienter incendium, vellet affundere aquam pro abundantia.

Vlteriùs vrget Lugonem Pallavicinus hoc modo. Sequeretur, Christum non potuisse tempore passionis nisi valde impropriè dicere: *Mulier ecce! filius tuus.* quia secundùm vitam & durationem quam habebat tunc, non erat filius illius, sed independens ab illa, & ipsa non poterat nisi ex errore lugere mortem illius tanquam proprij filij, quoniam pro eo instanti non intelligebatur illius filius, sed potiùs dabat operam, vt evaderet ejus filius respectu temporis antecedentis. Ex quo rursus fit, totam existentiam quam Christus habuit postea, & quam habet nunc in cælo, esse etiam mediatè independentem à Virgine, siquidem existentia posterior non pendet à priore mediata, nisi per mediatam. Hæc Pallavicinus, quæ non vacat discutere quàm efficacia sint, cùm fiat quæstio de modo loquendi & compellandi *filium.* Et facilè aliquis responderet, Christum non appellâsse se pro tunc *filium* B. Virginis, sed designâsse S. Joannem, nec B. Virginem vocâsse *Matrem* sed *Mulierem.*

357. P. Martinus Esparza paulò concitatiùs in sententiam Lugonis invehitur q. 19. his verbis. [Hæc nihilominus tota dispositio rationis nostræ & qualiscunque præcisionis tota evanescit, cùm ventum est ad realitatem objectivam, hoc est, cùm jam consideratur Christus eliciens actum, quo meruit auxilia Gratiæ Patribus antiquis. Quia tunc pro priori Naturæ, antequam mereatur, & velit inducere tale præmium, præsupponitur jam habens determinatam durationem, determinatum *vbi*, & stirpem determinatam. Nec potest nisi absurdissimè admitti, Christum cogitantem de eliciendo opere meritorio non advertisse pro priori naturæ, Vbinam gentium esset, quo sæculo viveret, quam Matrem haberet, quos avos, atque de his expressè cogitâsse, vt obtinendis per suum meritum, nec tamen eam cogitationem pervenisse vsque ad individuationes rerum, quas nemo est tam stultus & hebes, vt non discernat in individuo. Deinde addit, hinc clarè apparere, Miraculum fingi deforme ac indecens hominem Deum.

§. IV.

Præcedentium Sententiarum fundamentum seu suppositum, falsum esse monstratur.

VTraque Sententia hactenus relata supponit posse aliquid tempore posterius, esse prius naturâ illo, quod est tempore prius. Contra hoc

352. DICO, prioritatem temporis cum posterioritate naturæ, vel econtra, prioritatem naturæ cum posterioritate temporis, repugnare. Hanc Conclusionem supponit S. Thomas 3. p. q. 62. a. 6. in C. vbi assignans rationem, quare Sacramenta antiquæ legis non potuerint causare gratiam ex virtute passionis Christi, sicut eam caussant sacramenta novæ legis, ita discurrit. [Illud quod nondum est in rerum natura, non movet secundùm vsum exteriorum rerum: (nempe Sacramentorum) vnde caussa efficiens non potest esse posterior in esse, ordine durationis, sicut caussa finalis: sic ergo manifestum est, quòd à Passione Christi, quæ est caussa humanæ justificationis, convenienter derivatur virtus justificativa ad Sacramenta novæ legis, non autem ad Sacramenta veteris legis.] Legatur totus articulus, & approbabit, quòd secundùm S. Thomam Christus non habuerit, nec habere potuerit aliam prioritatem respectu donorum præcedentium tempore, quam prioritatem finis, objectivè existentis in fine antiquorum.

Probo Conclusionem 1. Quandocunque ex duabus durationibus diversæ classis, vna est prior naturâ alterâ, tunc illa (& aliter esse non potest) est prior naturâ, quæ est tempore essentialiter prior. atqui duratio Christi in ætate virili, & duratio ejusdem in ætate infantili, sunt diversæ classis: & defacto vna earum est naturâ prior alterâ: ergo duratio infantilis est prior naturâ durationem ætatis virilis. Subsumo, sed non potest dari mutua prioritas: ergo duratio virilis ætatis non potest esse prior duratione ætatis infantilis. Applicetur argumentum etiam ad durationem meritorum Christi & Progenitorum, & concludetur, merita Christi non potuisse habere prioritatem naturæ respectu meritorum antiquorum seu Progenitorum. Sola major est probanda. Omne quod est prius naturâ altero, ordinatur ad alterum ponendum tanquam medium ad finem, sive proximum, sive remotum, sive vltimum, sive intermedium: sed ex durationibus diversæ classis sola illa potest esse medium ad alteram, quæ sola illa potest esse naturâ prior: ergo sola illa potest esse naturâ prior, quæ est tempore prior. Major est communis. Minor probatur: suppono autem illud esse axioma philosophicum certissimum: finis est primum in intentione, & vltimum in executione. Sentio est, quòd si inter finem & media sit necessaria in-

cessio

cessio temporis, finis ponetur in executione post medium, & medium ponetur tempore priùs. Jam sic. Illa duratio quæ est finis respectu alterius, erit tempore posterior: sed illa duratio quæ est Naturâ posterior, est finis respectu illius quæ est naturâ prior, & hæc est medium ad illam: ergo illa erit etiam naturâ posterior, quæ est posterior tempore, & illa erit tempore prior, quæ est naturâ prior. Ergo à primo ad vltimum, impossibile est, durationem tempore priorem esse posteriorem Naturâ illâ duratione, quæ est tempore posterior.

353. Argumentor 2. Quandocunque aliquis effectus existit, tunc est verum dicere: *Existit extra omnes suas causſas.* ergo etiam est verum dicere: *Exstiterunt omnes illius causſæ.* hoc enim significat illud: *Extra.* Non potest enim effectus exire ex aliquo non existente, vel in se, vel in aliquo sui: ergo omnes causſæ, exceptâ semper finali, debent exstitisse, quando verum est dicere: *Effectus existit:* & hoc est de conceptu causſæ & effectûs. Jam sic: atqui tempore infantiæ Christi non poterat cum veritate dici; *Exstitit statura virilis septem pedes longa, habens barbam &c.* ergo hæc non poterat esse causſa infantiæ. quis enim non risisset dicentem de Christo in cunis jacente: *hic infans fuit vir.* Neque dicas in sensu morali illas propositiones fuisse veras: hæc enim est nugatio vocabularia. quid intelligis per τὸ *Moraliter existere virum?* an exstitisse intentionaliter, & in decreto? atqui hoc modo fateor exstitisse virilitatem, sed nego hoc sufficere ad prioritatem Naturæ illius quod existit intentionaliter: alioquin si hoc sufficeret, omnis finis esset prior Naturâ Medijs, & sic daretur Mutua prioritas. An fortassis intelligis per τὸ *moraliter*, quòd ipsa futuritio seu forma denominans *futurum*, jam exstiterit, nempe Decretum Dei? atqui hac ratione non solùm omnis finis, sed quidquid deinceps futurum est, esset prius Naturâ rebus nunc existentibus: quia pro priori naturæ existit eorum futuritio. Vides ergo quòd in nullo sensu possit statura virilis Christi dici exstitisse tunc, quando Christus fuit infans, tali inquam existentiâ, quæ sufficiat ad prioritatem Naturæ & Causſæ non Finalis.

354. Argumentor 3. Existere priùs Naturâ, & existere priùs tempore, conveniunt in hoc prædicato generico; *Existere prius.* item: existere posteriùs tempore, & posteriùs naturâ, conveniunt in τὸ *existere posterius.* Jam sic. illud quod est tempore posterius, non potest simpliciter dici *existere prius altero:* ergo non potest esse prius naturâ ad aliquid tempore prius: cui enim non convenit genus, non potest convenire species. Antecedens probatur. Quod est tempore posterius, rectissimè & simpliciter dicitur esse posterius; ergo non potest simpliciter dici prius. implicat enim duo prædicata opposita simpliciter eidem convenire: atqui esse simpliciter prius, & simpliciter posterius, sunt prædicata opposita. ergo non possunt eidem convenire: convenirent autem, si id quod est tempore posterius, esset naturâ prius. Ergo &c. Tradideram hæc anno 1665. quæ deinde aliquot Philosophiæ Professores continuâ serie amplexi sunt, magisque illustrârunt, neque hactenus audivi aliquid objici quod speciali solutione indigeret.

355. Quæret aliquis. Si Christus non habet prioritatem Naturæ, quomodo ergo intelligendus est Apostolus ad Hebr. 1. dicens de Christo: *Per quem fecit & sæcula.* &c. Ex hoc loco nihil probari, etiamsi intelligendus esset de humanitate Christi: alioquin ego pariter probabo, B. Virginem fuisse priorem Naturâ productione Mundi: Nam Ecclesia applicat B. Virgini illud Eccles. 24. *Ab initio & ante sæcula creata sum.* sicut ergo hoc non potest intelligi de prioritate naturæ, sed solùm de prioritate finis, ita & ad Hebr. 1. alioquin Christus fuisset prior naturâ Adamo, quod negant adversarij. Itaque dicendum est cum Cornelio à Lapide, locum illum intelligendum esse de ipso Verbo æterno, per quod tanquam per Idæam omnes rerum gradus & species continentem, & quasi per Sapientiam architectonicam, increatam, omniscium, & omnipotentem, in qua sunt & vivunt sempiternæ rerum omnium rationes, fecit, id est, creavit & produxit sæcula,

§. V.

Facilior modus expediendi præsentem difficultatem.

356. Dicamus ergo, quod vnicum supereſt, non solùm exiſtentiam Christi pro omni duratione quam habuit, & per totam æternitatem habiturus est, sed etiam omnia ejus merita fuisse posteriora Naturâ omnibus meritis Progenitorum, quibus aliquo modo influxerunt in ipsam assumptionem humanæ naturæ, & in ipsam Naturam assumptam: nihilominus tamen illa omnia anteriora merita cum auxilijs supernaturalibus fuisse data in præmium Meritorum Christi, anticipatâ præmiatione, & Christum ea promeritum esse Merito compensativo, jam superiùs explicato, auctoritate firmato, & nunc magis explicando solutione Objectionum. & quidem post hæc scripta invenio hoc meritum compensativum approbari etiam à Recentissimo & doctissimo scriptore Didaco Avendanno n. 1514. tribuente eandem S. Thomæ 1. 2. q. 114. a. 5. in arg. 3,

Nostram hanc sententiam quidam RR. ideo solùm deseruerunt, quòd putârint, solùm connaturaliter, non item supernaturaliter repugnare, quòd id quod est tempore posterius, sit naturâ prius. Sed hæc non erat causſa rejiciendi. 1. esto hoc solùm probaret nostrum argumentum, id satis esset ad eam tenendam, & præferendam alijs recurrentibus ad monstrosa miracula, cujusmodi est: quòd nullus actus supernaturalis influxerit in generationem Christi. Imò sufficeret, quòd

nostra sententia glorioſior sit meritis Christi, tribuens illis præmium anticipatum ob eorum infinitatem, vt ostensum est. 2. Falsum est, non probari omnimodam repugnantiam illius prioritatis naturæ. Nam de essentia Intentionis est, ferri primò in finem, & de essentia executionis est, priùs ponere media; & chymæricum est, adhibere medium fine jam existente. His ergo nihil attentis, alias objectiones referam.

Objicies primò. Meritum compensativum est apud Patres inauditum, & non nisi impropriè dictum meritum: ergo hoc genus meriti non rectè, nec satis Theologicè tribuitur Meritis Christi. Pro solutione

Advertendum est, Auxilia Supernaturalia, quæ ante adventum Christi collata sunt humano generi, non habere rationem præmij adæquati aut principalis meritorum Christi, sed solùm inadæquati, minúsque principalis, & quasi præparatorij ad præmium principale. Sicut si Princeps adolescenti nobili, spe obsequiorum quibus aliquando in aula est meriturus, dat stipendium ad studia prosequenda, hoc stipendium dici potest præmium futurorum obsequiorum, saltem inadæquatum, ita quidem vt adolescens dicere posset Principi (vt multi dicere solent) *tametsi necdum promeritus sim, promerebor tamen suo tempore.* Vnde etiam Princeps posset illi postmodum exhibitis meritis dare minus præmij, quod tamen si computaretur cum stipendio accepto, esset præmium adæquatè condignum. Ita sanè præmium adæquatum meritorum Christi, non erant illa auxilia collata antiquis Patribus, quibus poterant de congruo mereri esse progenitores Christi, sed erant præparationes ad merita Christi ponenda, vt deinde Christo conferretur præmium principale, nempe Exaltatio Nominis & maxima Gratiarum copia, quæ in Lege nova, hoc est lege Gratiæ, longè affluentiùs conferuntur, propter actualem existentiam Christi. Et quia gaudium quod Christus ex suis meritis consequitur, & est naturâ posterius ipsis meritis, versatur specialiter circa hoc objectum, quòd videat omnium omnino hominum salutem & Beatitudinem sibi deberi, ideo necesse fuit, vt anticipatè & præparatoriè etiam in præmium cederet salus antiquorum, & quidquid ad illorum salutem conferebat. Hinc patet, quòd merita Christi nec debeant nec possint absolutè vocari, *Merita Compensativa*, sed tantùm respectivè ad certam minúsque principalem partem præmij: absolutè autem debeant vocari & revera sint merita attractiva seu impetratoria, hoc est habentia prioritatem naturæ quoad præmium principale, ad quod obtinendum ordinabantur tanquam Media: nam à principaliore fit denominatio. Nunc ergo ad objectionem.

357. Responderi imprimis posset, negando, quòd Meritum compensativum sit impropriè dictum meritum. Aliud enim est, quòd non soleat regulariter fieri talis præmiatio anticipata, & aliud, quòd sit impropriè præmium aut meritum: sicut, licet regulariter Merces sequatur laborem, non est tamen impropriè merces, quæ datur ante laborem.

Responderi potest 2. hoc genus meriti non esse inauditum apud Patres. Nam teste Ramirez, Patres eodem modo sine vllo discrimine loquuti sunt, primam gratiam Angelorum & primorum parentum fuisse ex meritis Christi, & tamen, etiam adversarijs consentientibus illa prima Gratia non supposuit merita Christi pro prioti natura: ergo erat præmium anticipatum.

358. R. 3. Meritò Patres nullam speciem mentionem fecisse Meriti compensativi, quamvis merita Christi non sunt merita compensativa absolutè loquendo, vt ostensum est. Cæterùm, si Patres voluissent negare, Merita Christi ne quidem respectivè esse merita compensativa, debuissent agnoscere miraculosum statum (imò chimericum vt ego existimo) quem excogitavit Lugo, aut miracula alia, quæ ne quidem suspicati sunt, aut minùs populo aliquid hujusmodi proponere. Denique SS. PP. illud senserunt, quod S. Thomas suprà relatus & explicatus sensit, circa prioritatem Meritorum Christi comparatorum cum Gratijs collatis antiquis Patribus. Quin imò, si metaphysicari lubet, defendi posset, nullum penitus meritum dari apud Deum, quod non respectu alicujus partis constitutivæ præmij in ratione præmij, sit compensativum, hoc est supponens petitem præmij. Probo autem hoc ex hypothesi intentiæ jam satis communis, & in primo libro traditæ, Deum non moveri ab vllo actu meritorio tanquam præviso vt existente ad decernendum præmium, sed decreto prædefinitivo & simplicissimo decernere Meritum & Præmium, ordinando meritum ad præmium propter proportionem quam habet cum illo, dicendo: *Volo meritum propter præmium.* Hoc posito, dici potest, quòd hic ipse actus divinus, qui est essentialiter prior naturâ Merito, sit pars præmij adæquati, adeoque ipsi præmium anticipatum. Probo. Affectus præmiantis est pars præmij: illud decretum est affectus præmiantis: ergo est pars præmij. Minor probatur: quia omne illud est pars præmij, quo quis propter meritum dignus est: & quod enim habet suam æstimabilitatem specialem: sed merens propter meritum est dignus affectu præmiativo; & talis affectus est specialiter æstimabilis: vnde idem nummus aureus quoad valorem intrinsecum, si sit acceptus in præmium à Rege, pluris sit in affectu accipientis, quàm si sit acceptus in præmium à Mercatore. Breviùs. Quo meretur præmium, meretur illius dependentiam à Merito, meretur enim præmium non præcisè in ratione *doni*, sed in ratione *Remunerationis*: atqui hæc dependentia præmij à merito est ipsum decretum Dei benevolum; ergo etiam hoc meremur: atqui meritum est illo decreto posterius tempore & naturâ: ergo tantùm meremur illud merito compensativo.

359. Ob-

359. Objicies 2. Præmium quod daretur propter meritum compensativum, daretur propter meritum merè conditionatum: sed hoc de Deo dici non potest. hoc enim faveret errori Massilienſium, seu semipelagianorum, qui dixerunt, Deum præmiare merita merè conditionatè futura. R. 1. Nostram sententiam tam procul abesse ab errore Massilienſium, quàm procul abest sententia Suarezij, Amici, Pallavicini, à quibus solùm differimus reiptâ in hoc, quòd illi assignent duplex decretum virtualiter distinctum, Intentionis & Executionis, nos vnum simplex.

R. 2. Errorem Massilienſium fuisse, quòd Deus præmiet merita conditionata nunquam absolutè exstitura, quod nos non asserimus.

360. Objicies 3. In hac nostra sententia falsificatur principium communiter receptum post S. Thomam. Principium meriti non cadit sub meritum. cujus sensus est, quòd id quod est causa meriti, non possit esse præmium illius: atqui in nostra sententia Maternitas B. Virginis esset causa saltem mediata meritorum Christi, & esset etiam præmium illorum: ergo principium Meriti caderet sub meritum. R. Illud principium esse verissimum in sensu quo S. Thomas vsus est contra illos, qui admittunt mutuam causalitatem inter meritum & præmium, v. g. inter actum Contritionis quo peccator justificatur, & inter gratiam sanctificantem quam meretur: hoc nos etiam negamus. Cæterùm concedimus, posse principium aliquod meriti compensativi cadere sub meritum compensativum tanquam præmium illius, sed absque prioritate Naturæ. Dixi, *Principium aliquod.* non enim de omni principio hoc concedimus: nam suprà excepimus principium dignificans formaliter ipsum meritum, & paulò pòst aliam exceptionem faciemus.

361. Objicies 4. Ex nostra sententia sequitur, posse aliquem mereri primam Gratiam prævenientem, seu primam illuminationem: hoc autem est absurdum: quia hoc ipso non haberet rationem Gratiæ: quod enim datur ob merita, jam non est Gratia. P. Coninck de possibili concedit sequelam, neque tamen hinc sequitur, quòd defacto detur in præmium, quia defacto Deus præmiat actus bonos præmio subsequente, adæquante valorem meriti. Ego autem existimo, nec de possibili hoc fieri posse, vt prima gratia præveniens sit præmium meriti subsequentis compensativi. Ratio mea est, quia de ratione Præmij est, vt merenti conferat aliquid boni vltra totam bonitatem quam in se continet tota bonitas meriti. atqui illuminatio præveniens actum meritorium est vnicè amabilis propter meriti bonitatem, vtpote cognitio practica: nec est amabilis nisi in ratione medij: ergo non videtur posse habere rationem præmij.

362. Objicies 5. De ratione præmij est, vt reddat ditiorem illum qui meretur: ergo debet esse aliquid vltra omne id, quod merens affert de suo: atqui omne quod præsupponitur ad meritum, affert merens de suo: ergo nihil eorum, quæ supponuntur ad meritum, potest habere rationem præmij. R. Argumentum habere instantiam in mercede anticipatè soluta. Sicut ergo hic distinguendum est, nempe quòd nihil possit habere rationem mercedis quod laborans affert de suo, & non accepit credito, seu intuitu futuri laboris, bene tamen quod accepit credito, & intuitu futuri laboris, ita etiam de præmio dicendum, & distinguendum est.

363. Objicies 6. Si potest aliquod meritum præmiari pro priori naturæ, tunc dici poterit, quòd Gratia sanctificans, quam quis meretur de condigno, semper detur pro priori naturæ: consequens est absurdum. ergo &c. Minor probatur. Nam talis anticipatio esset miraculosa, & contra Naturam Gratiæ sanctificantis, quæ quando præcedit pro priori naturæ, ex natura sua dignificat actum ad vlterius præmium, si ipsa jam est data in præmium. R. facilè. Si verum est, quod in probatione minoris assumitur, hoc ipso jam patet ratio negandi sequelam, quia actus nostri merentur quidem Gratiam sanctificantem, sed non merentur miraculum.

Hinc autem potest reddi ratio disparitatis inter merita Christi, & nostra merita. Nam etiamsi nostri actus supernaturales non possent vnquam præmiari anticipativè, inde tamen non valeret consequentia & paritas ad merita Christi. Nam quæcunque implicantia afferretur in nostris meritis, illa vtique petenda esset ex eo, quòd talis modus præmiandi excederet valorem operis, nec haberet debitam proportionem cum illis, quia esset miraculosus. atqui hæc non procedunt in meritis Christi. Nam merita Christi sunt valoris infiniti, & nullum præmium quantumvis miraculosum, & miraculoso modo datum, excederet valorem meritorum Christi. Imò merita Christi digna sunt, quæ omni modo possibili præmientur. Cùm ergo nulla sit implicantia generalis in modo præmiandi anticipativè, hic modus etiam decebat merita Christi, vt aliquid præmij acciperet anticipatâ præmiatione. Et ad hoc videntur mihi Patres respexisse, quando meritis Christi tribuerunt dona supernaturalia antiquæ legi concessa; neque vnquam inducar, vt credam Patres respexisse ad circulationem illam signorum naturæ contrariantium signis temporum, quæ sine vertiginis periculo vix concipi potest.

364. Objicies 7. Non possunt duo esse sibi mutuò fructus: atqui præmium est fructus meriti: ergo meritum non potest esse fructus præmij: atqui in nostra Sententia etiam meritum esset fructus præmij anticipati, quia esset effectus illius. R. Omnis effectus eo modo & genere causandi est fructus suæ causæ, quo genere est effectus. hinc autem sequitur, quòd tam medium respectu finis, quàm finis respectu medij sit fructus, adeoque semper sint sibi mutuò fructus. Nam medium est effectus finis in genere causæ finalis,

finalis, & finis est, effectus medij ingenere caussæ efficientis vel materialis. Est ergo neganda major propositio objectionis. Sed claritatis gratiâ distingui potest. in eodem genere effectuum, conceditur: in diverso genere effectuum, negatur major, & distinguitur minor. Præmium semper & vniversaliter est fructus meriti tanquam caussæ efficientis, negatur min. vel tanquam caussæ efficientis, vel tanquam causlæ finalis, conceditur minor. Et negatur consequentia, vel etiam distinguitur: ergo meritum non potest esse fructus præmij in eodem genere effectuum, conceditur, in diverso genere, negatur consequentia. Et hæc sunt quæ mihi contra nostram sententiam opponi posse videntur.

365. Placet Coronidis loco apponere argumentum pro nostrâ sententiâ, quod saltem ad hominem potest vim habere, nempe contra illos, qui concedunt B. Virginem non solùm non incurrisse peccatum originale, sed nec debitum illius: & concedunt præterea, Christum non fuisse venturum si Adam non peccâsset, adeoque nullum Christi meritum fuisse prius naturâ peccatum Adami, aut pacto inito cum Adamo. His suppositis

Argumentor hoc modo. Exemptio B. Virginis à communi pacto facta tunc est, quando cæteri homines fuerunt illo pacto cum Adamo inito comprehensi & inclusi: & quidem hæc exemptio respexit determinatam personam & individuum B. Virginis, alioquin essent in Deo ponenda decreta disjunctiva vnà cum determinato, quod nos non admittimus: atqui respectu illius temporis quo facta est hæc exemptio & pactum, non habuerunt merita Christi prioritatem naturæ: ergo illam exemptionem non promeruit Christus merito attractivo seu impetratorio: atqui illam aliquo modo promeruit, quia hoc modo B. Virginem redemit: ergo non nisi merito compensativo, quatenus Deus omnia vno individuo decreto ordinavit tandem ad gloriam Christi, eo modo quo in primo libro tract. de Prædest. explicatum est.

CAPVT VIII.

DE SCIENTIA CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

Quænam objecta cognoverit Christus per Visionem Beatam.

SUpponendum est in Christo fuisse Visionem Beatam etiam ante resurrectionem. Colligitur ex Jo. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur.* testabatur autem ibi de Baptismo qui confertur in nomine Sanctissimæ Trinitatis. Jo. 1. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Quibus verbis excipit Joannes Christum à communi conditione hominum, quibus non est datum videre Deum. Ratio autem est, quia Visio Dei non fuit Christo collata in præmium, sed illi data est tanquam debita Filio naturali: item debebatur illi hæreditatis possessio, quia mors Patris non erat exspectanda, sicut exspectanda est in humana successione. Denique Visio Beata non pendet vllatenus ab organis, nec à speciebus impressis, ac proinde nec impeditur, nec promovetur ab aliqua corporis dispositione: ergo danda erat statim ab initio, vt etiam in hoc Christus excederet Angelos, qui non nisi brevissimo tempore eâ caruerunt, quia eam promeruerunt. Nunc

Quæritur, Vtrum Christus per Visionem Beatam cognoverit omnia futura? Negant Richardus, Bonavent. Scotus, Gabriel, apud Scotum d. 26. q. 3. contra quos

366. Dicendum est 1. Christus videt in Verbo per Visionem beatam futura omnia, in quibus non est specialis repugnantia. Conclusio procedit de illa visione, quæ est essentialiter beatificans, hoc est, ostendens omnia primaria attributa Dei. procedit item ex suppositione sententiæ, quòd Scientia Visionis sit Deo adæquate intrinseca.

Probatur Conclusio. Alijs beatis hoc tribuitur, quòd videant in Verbo omnia quæ ad bonum suum pertinent: ergo idem Christo concedendum est: atqui visio futurorum pertinet ad statum Christi, vtpote qui erat constituendus Caput, Dominus, Judex & Gubernator omnium: ergo &c.

367. DICO 2. Repugnat, omnia futura videri in Verbo per illam ipsam individuam visionem Beatam, quâ videt primaria Dei attributa. Probatur, supponendo, hanc Visionem esse in Christo directivam actuum moralium, eò quòd sanctissimo directivam actuum moralium, eò quòd sanctissimo moveat ad amorem Dei aliarúmque Virtutum actus perfectos exercendos, quamvis diversi actus

tione: nam ad amorem Dei necessitat, ad actus aliarum virtutum non necessitat. Hoc posito probatur Conclusio. Si Visio beata videret pro priori naturæ actus liberos à Christo exercendos, & omnia inde secutura, jam hoc ipso illi actus non essent liberi, sed necessarij necessitate antecedente: quia illa Visio esset infallibilis, inimpedibilis, determinata ad vnum ex contradictorijs: atqui in Christo dabantur actus liberi: ergo aliqua objecta futura non videntur à visione Beata indivisibili, & quæ terminatur ad primaria Dei attributa.

DICO 3. Videt tamen Christus etiam hæc objecta futura per aliam visionem, non directivam actuum liberorum, & impedibilem per actus oppositos. Ratio est, quia etiam horum visio ad statum illius pertinet. Dubitatur tamen, qualis sit hæc visio, an videat actus liberos directè & in seipsis, vel etiam in Verbo. Censeo videri in Verbo, & in ipsa Scientia Visionis divinæ: quæ cùm in mea sententia ne quidem virtualiter intrinsecè distinguatur à Decreto Prædeliniente, possunt videri in decreto Prædeliniente, quod etiam docuit P. Ant. Perez.

CONTROVERSIA II.

An in Christo fuerit Scientia per se infusa.

368. PRæmittendum est 1. quid per Scientiam infusam intelligatur. Scientia infusa in genere, prout abstrahit ab infusa per se, & infusa per accidens, est habitus cognoscitivus, absque ministerio actuum præcedentium à Deo collatus. Dividitur autem in Scientiam infusam per se, & Scientiam infusam per accidens. Illa dicitur Scientia per se infusa, quæ ex sua, & ipsius etiam subjecti natura petit infundi, sine omni ministerio actuum præviorum. Sic Angeli petunt habere species per se infusas, quæ illis debentur absque actibus prævijs, modò magis, modò minùs vniversales, secundùm diversam perfectionem Angelorum. Scientia per accidens infusa est, quæ connaturali cursu rerum servato, solet & potest comparari per actus frequentatos, & independenter ab his prævijs non debetur subjecto, sed tamen hîc & nunc miraculosè infunditur. Sic Adamus creditur à principio suæ creationis habuisse omnes Artes & Scientias in gradu excellenti sibi infusas, quas nos in gradu multùm inferiore, non nisi magno labore comparamus.

Præmittendum 2. Scientiam per se infusam differre à Visione Beata in hoc, quòd per suos actus tendat directè in ipsas creaturas: Visio autem beata tendat immediatè & directè in Deum tanquam objectum formale motivum, & medium in quo cognoscantur creaturæ tanquam termini.

Præmittendum 3: Eandem Scientiam infusam differre à nostris scientijs acquisitis per hoc, quòd illa tendat in suum objectum, sine vlla necessaria conversione ad phantasmata & imaginationes, adeoque independenter ab his operetur. Est igitur modus illius cognoscendi similis modo cognoscendi Angelorum & animæ separatæ.

Præmittendum 4. Scientiam infusam aliam esse naturalem, aliam supernaturalem. Naturalis est in Angelis & animabus separatis, in ordine ad cognoscenda illa objecta, quorum cognitio illis debetur naturaliter. Supernaturalis est, cujus virtute eliciuntur actus Supernaturales immediatè circa creaturas, sine dependentia à phantasmate. His suppositis

369. Dicendum est, animam Christi statim ab initio conceptionis habuisse Scientiam infusam per se, tam Naturalem quàm Supernaturalem, & cognovisse ea objecta, quæ ad statum Christi pertinebant, & per talem Scientiam cognoscibilia erant. Quæ autem illa fuerint, examinare huc non pertinet. Probatur Conclusio. Quia Christo tribuenda est plenitudo Sapientiæ & Scientiæ, Is. 11. *Flos de radice ejus ascendet, & requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ & Intellectûs, Spiritus Consilij, Spiritus Scientiæ:* quæ verba intelligunt Patres de donis intellectualibus Spiritûs Sancti.

370. Objicies 1. Conjunctio animæ cum corpore repugnat modo cognoscendi, qui proprius est Scientiæ per se infusæ: ergo non potuit Christus eam habere in statu Viæ. Antecedens probatur. Nam anima vnita corpori dependet in operando à phantasmate: atqui scientia per se infusa operatur independenter à phantasmate; ergo repugnat. R. Distinguendo antecedens. Conjunctio cum corpore eo modo disposito, quo sunt disposita nostra corpora, repugnat modo operandi Scientiæ per se infusæ, concedo antecedens; aliter disposito, nego antecedens & consequent. Posset etiam primum membrum distinctionis subdistingui; repugnat connaturaliter, concedo: de potentia absoluta, nego. Connaturaliter quidem repugnat: quia connaturaliter anima prius erumpit in operationes phantasticas, tanquam faciliores, & circa objecta vehementius & immediatius applicata; à quibus deinde determinatur, vt se ad illa phantasmata convertat operando spiritualiter: supernaturaliter autem potest illa præventio impediri. Cæterùm licet Christus non habuerit in via corpus gloriosum, habuit tamen, (opinione multorum) corpus ita dispositum & temperatum, vt non impediret cognitionem Scientiæ per se infusæ, vtpote quæ non exigebat aliam objectorum applicationem, mediantibus sensibus faciendam. Nihilominus cum hac ipsa Scientiæ infusæ cognitione poterant consistere sensationes, nec erat opus extasibus, & raptibus, seu alienatione à sensibus. Videtur hoc sibi voluisse P. Antonius Perez, quando docuit, originalem causam quare nostra anima in corpore pendeat in operationibus suis à phantasmate, hanc esse, quòd nostrorum corporum dispositio

positio & temperamentum trahat post se rebellionem corporis adversus spiritum, & partis sensitivæ adversus partem rationalem, & quòd anima suâ imbecillitate non possit plenè subjicere corpus, illúdque vincere: jam verò Christus non fuit affectus tali rebellione, & sic cessabat caussa impeditiva operationum Scientiæ infusæ, hoc est non pendentis à corpore, tanquam à caussa cooperante,

371. Objicies 2. In præsentia Visionis Beatæ est superflua Scientia infusa, quia per Visionem Beatam cognoscit Christus eadem objecta melius quàm per Scientiam infusam: ergo non est quare ponatur in Christo. R. Simpliciter loquendo non esse superfluam: nam licet sine illa cognosceretur objectum cum tanta sufficientia & satietate, vt abesset omnis sollicitudo anxia ampliùs cognoscendi, nihilominus habet diversum modum cognoscendi eadem objecta, nempe directè tendendo in creaturas. & hoc sufficit, vt non sit superflua: alioquin post resurrectionem futuræ essent superfluæ sensationes in beatorum corporibus, quia illa ipsa objecta cognoscentur per visionem Dei.

CONTROVERSIA III.

An in Christo fuerit Scientia Naturalis per accidens infusa, vel an fuerit Successivè, & modo naturali acquisita.

DIxi suprà, Scientiam per accidens infusam dici illam, quæ connaturaliter & per se deberet acquiri beneficio sensuum & phantasiæ, determinantium nostrum intellectum ad producendas in se species impressas, cum quibus deinde eliciat cognitiones ænigmaticas, cognoscendo res spirituales instar corporearum, componendo, dividendo &c.

Ad hanc scientiam reducitur alia, quæ vocatur Experimentalis, nempe quæ pro suo objecto formali habet ipsam experientiam præsentem vel præteritam, sensibus externis haustam, adeoque circa ea sola versans, quæ sub experientiam sensuum cadunt. Et hanc quidem experimentalem notitiam nemo in dubium vocat quominus fuerit à Christo successivè acquisita, quia Christus vsus est sensibus, & hæ sensationes reliquerunt post se species rememorativas: & sensus internus eas reflexè cognoscebat: hujusque beneficio ipse etiam intellectus cognovit reflexè actus sensationum, sicut in nobis contingit, & quo ordine in nobis acquiritur scientia experimentalis, eo ordine fuit in Christo acquisita, de qua videtur omnino locutus esse Apostolus ad Hebr. 5. *Didicit ex iis quæ passus est obedientiam.*

Controversum est, vtrum Scientia illa quæ est similis nostræ acquisitæ fuerit etiam à Christo successivè acquisita, vel statim à principio per accidens infusa, sicut fuit infusa Adamo. Positio infusam docet Suarez, Præpositus, & probabiliter judicat Ant. Perez. Negat S. Thomas 3. p. q. 9. a. 4. & q. 12. a. 2. retractans oppositam quam docuerat *in* 3. d. 14. & q. 20. *de Verit.* a. 2. item Vasquez, Alvarez, Raguſa, Raynaudus, Mendoza, Lugo, Arriaga.

372. DICO 1. Probabilius est, Christum non habuisse omnes hujusmodi scientias statim à principio infusas, sed aliquas successivè medijs actibus comparâsse, sicut nos comparamus. Hanc Conclusionem expressit S. Ambrosius lib. de *Incarn. Dom. Sacram.* c. 7. explicans in hunc sensum illud Lucæ: *Proficiebat ætate & sapientiâ*, [Profectus inquit, ætatis & profectus Sapientiæ, sic humanæ est, ideo ætatem antè præmisit, vt secundùm hominem crederes dictum: Ætas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat Sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sensu Sapientia.]

Probari solet 1. à paritate ex alijs operationibus humanitatis, quæ ex sua natura requirunt certam organizationem: v. g. Christus non ambulabat, antequam haberet perfecta organa in cruribus, & nervos ac musculos debito modo extensos ac roboratos: non loquebatur in infantia, nec comedebat masticando priusquam haberet dentes: ergo nec habuit operationem humanam & connaturalem intellectûs, quia hæc non minus pendet à phantasmatè, quàm phantasma ab organo dispositio. Ita post alios Lugo.

Ad hanc tamen probationem respondetur negando paritatem. Nam operationes in probatione allatæ fuissent quodammodo monstrosæ, & quoad apparentiam exteriorem fuissent indecoræ: quapropter sicut Christus voluit revera crescere quoad molem corporis, ita etiam voluit operari operationes exteriores cum ea decentia, sine qua displicuisset hominibus, & nihil promovisset finem officij, sed potiùs impedivisset, quatenus suam humanitatem suspectam reddidisset, vt putaretur corpus phantasticum potiùs quam verum assumpsisse. Econtra actus interni intellectuales, nullam hujusmodi indecentiam admixissent, quia latuissent: non valet ergo consequentia, & paritas non tenet.

373. Meliùs ergo probatur Conclusio. Sicut Visio Beata & Scientiæ per se infusæ fuerunt Christo collatæ non contra naturam ipsam Scientiarum, nec contra Naturam ipsius suppositi, sed juxta exigentiam vtriusque, nam suppositum habuit jus ad illas, & illæ vtpote independentes à corporea dispositione & organizatione non debebant differri vlteriùs, quia nulla erat caussa differendi, ita econtra scientiæ dependentes in operando ab organorum certa perfectione, non petebant conferri antequam essent organa præparata, nec etiam vi Vnionis hypostaticæ debebant statim conferri, hocipso quòd non fuerit Christus statim productus in virili statura & perfectione.

fectione. Ergo has Scientias non accepit Christus statim ab initio, sed successivè, & suo tempore.

Restat tamen vlterior quæstio, vtrum Christus eas omnes Scientias simul acceperit, postquam organa fuerunt sufficienter præparata, etiam antequam objecta applicarentur.

374. Cardinalis de Lugo docet, quòd licet Christus non acceperit ejusmodi species & scientias, antequam organum esset sufficienter præparatum, & hac ratione acceperit cum aliqua successione, eò quòd organum etiam successivè fiat capax plurium & plurium scientiarum, nempe priùs sensibilium, deinde minùs sensibilium, nihilominus tamen existimat, omnes has species fuisse Christo per accidens infusas, hac ratione, nempe non exspectatâ occurrentiâ rerum, & inde desumptis speciebus. Probat hoc Cardinalis à paritate. Nam sicut Deus noluit Christum generari nisi ex materia priùs dispositâ, voluit tamen ipse Deus virtutis suæ obumbratione supplere officium viri, quia scilicet non decebat Christum generari ope viri: ita noluit quidem Christo infundere tales species, nisi præparatis priùs organis receptivis, ne Christus haberet infantiam simulatam, & tantùm specie tenus, si ante perfectam ætatem habuisset perfectum vsum hujus Scientiæ, sicut in ætate virili, voluit tamen eas infundere independenter à concursu objectorum externorum mediis sensibus, quia non decebat Christum aliquid discere ab homine vel Angelo, vel alia creatura, prout videntur loqui aliqui Patres apud Suarez. Porrò fatetur Lugo, has species non fuisse infusas antequam objecta cognoscenda existerent in rerum natura. esto fuerint infusæ absque applicatione & concursu objectorum. Fatetur insuper, Christum per quotidianam rerum experientiam profecisse etiam realiter in Scientia acquisita, accipiendo novas species objectorum, quæ sensibus experiebatur. Sed hæc scientia est potiùs experimentalis, de qua jam egimus; nunc autem quærimus de Abstractiva, vt advertit ipse Lugo, qui denique Num. 23. iterum limitat suam doctrinam, & docet, ea quæ Christus per auditum percipiebat, jam antè cognovisse independenter ab hoc sensu: quæ verò per reliquos sensus percipiebat, non cognovisse priùs per scientiam per accidens infusam. Rationem dat, quia non decebat hominem respectu Christi habere rationem Magistri, quam tamen habuisset, si mediante auditu Christum instruxisset circa aliquod objectum.

375. DICO 2. Probabilius mihi est, nullius objecti aliquando occursuri speciem fuisse Christo ante ipsum actualem objecti occursum infusam, sed fuisse naturaliter acceptam ab objectis, sicut nos accipimus. Probatur 1. ex Scriptura ad Hebr. 5. *Didicit ex iis quæ passus est obedientiam*, hoc autem gratis ad certos sensus restringitur: quidni enim etiam ex blasphemijs, obtrectationibus, didicit obedientiam, atque ex flagellatione & crucifixione? Neque hoc est priùs habere hominem pro Magistro, aut ab illo discere in eo sensu, quo hæc videntur importare imperfectionem: quasi præsupponerent illorum objectorum ignorantiam: omnia enim illa Christus cognovit per Visionem beatam, & Scientiam per se infusam. Sanè Christus Dominus ipse ad hanc qualemcunque apparentiam Magisterij non semel homines invitavit: vt, quando ex cæco quæsivit: *quid tibi vis faciam?* ex paralytico, *Vis sanus fieri?* ex Apostolis, *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* vtique Christus non simulavit aliquem defectum qui ipsum dedecebat: ergo his interrogationibus voluit sibi communicari aliquam notitiam humanam, quam priùs non habuisset. Hinc

376. Probo Conclusionem 2. Quemadmodum non decebat Christum habere infantiam simulatam hoc sensu, vt ante perfecta organa haberet species scientificas infusas, ità non decuit Christum habere cum hominibus conversationem simulatam, simulando se ab illis humanam notitiam exquirere & acquirere, quando eorum sermonibus auscultabat & interrogabat: v. g. quando suscitaturus Lazarum interrogavit: *vbi posuistis eum?* Neque legitur Christus vnquam correxisse illos, qui ipsi absenti per alios voluerunt aliquid referri: v. g. quando sorores Lazari miserunt ad illum, qui significaret morbum Lazari: quando Centurio nuntiavit morbum sui famuli: cùm tamen isti crederent, posse absentem sanare: & tamen existimabant absentem non cognoscere morbos illâ notitiâ quæ inter homines requiritur & intercedere solet.

377. Confirmatur 1. In Christo fuit vera & non simulata admiratio, vt tradit S. Thomas: admiratio autem, vt habet idem D. supponit aliquid insolitum ex parte objecti, & priùs non cognitum. Jam verò Christus admiratus est fidem Centurionis, quam accepit per auditum, quæ scilicet tanta fuit, vt excesserit longè gradum illum, quem Christus potuisset colligere & exspectare spectatis illis, quæ priùs experimento didicerat. ergo etiam per auditum Christus aliquam notitiam accepit, qualem homines accipiunt, quando aliquid admirantur.

Confirmatur 2. Quia sic commodè satis intelligitur, quâ ratione Christus in agone constitutus potuerit ab Angelo confortari: quæ confortatio consistebat in quadam animatione & consolatione, nec videtur aliud fuisse, quàm propositio motivorum allicientium ad passionem libenter sustinendam: vnde dicunt Interpretes, quòd Angelus illi proposuerit necessitatem generis humani, & Voluntatem Patris Cœlestis, & exaltationem proprij nominis &c. non quasi Christus hæc non priùs sciverit Scientiâ Beatâ, aut per se infusâ, sed ad ostendendam proprietatem naturæ humanæ (vt loquitur S. Thomas q. 12. a. 4.) voluit etiam ab Angelo consolatoria verba admittere. Postquam ergo Christus sponte admisit vehementissimam tristitiam & mortis horrorem, voluit de-

inde humano modo & medio temperari, prout amicus ab amico consolante levamen accipere solet: quo nobis etiam exemplum dedit, illúdque imitati sunt sanctissimi Patres in primitiva Ecclesia, animantes per Epistolam illos, qui propter fidem erant in vincula conjecti, aut in exilium missi.

378. Non ignoro, illam Angeli confortationem aliter ab alijs explicari, quos non reprehendo. Primò ergo dicunt alij, quòd Angelus Christum non quoad animum, sed quoad corpus præcisè confortaverit, objiciendo oculis tam amænum & gratum aspectum, vt inde lætitia redundaverit in corpus. Alij dicunt, quòd Angelus ita moverit & distribuerit sanguinem & alios humores corporis tristitiâ turbatos, & cor aggravantes, vt inde Christus magnum levamen acceperit. Denique P. Esparza putat, Christum fuisse ab Angelo confortatum hac ratione, quòd Angelus Christum suppliciter rogaverit, vt desisteret à miraculosa admissione tristitiæ, quam Christus contra Jus Visionis Beatæ in se permittebat excitari ex apprehensione & vivacissima imaginatione passionis imminentis. ab hoc ergo miraculo, & sic à tristitia conatus est Angelus suis precibus Christum liberare, & fuit exauditus, & sic eum confortavit.

379. Probabilior mihi videtur expositio P. Vasquez qui negat per vocem: *Confortans eum* significari levamen aliquod Mœroris & Tristitiæ: & hoc existimat colligi ex ipso Evangelij contextu, sequitur enim: *Et factus in Agonia prolixius orabat. & factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* quibus significatur, post Angeli colloquium potiùs crevisse, quàm mitigatum fuisse dolorem: cùm agonia sit extrema perturbationis & afflictionis species, quam Latini trepidationem appellant. Itaque secundùm P. Vasquez confortatio facta ab Angelo aliud non fuit, quàm quædam laudatio seu congratulatio, quòd Christus tanto animi robore & generositate se resignaverit & acceptaverit mortem. Hanc explicationem insinuat S. Thomas *in 2. dist. 11. q. 1. a. 3. ad 3.* & est S. Chrysostomi, Theophilacti, & omnium clarissimè S. Epiphanij hæresi 69. vbi de confortatione Angeli hæc habet: [Ecce! enim invenimus impleri dictum magni Cantici à Moyse conscripti, vbi dicit: Exspectetur velut pluvia sententia mea, & paulò pòst rursus dicit: Adorent eum omnes filij Dei, & confortent ipsum omnes Angeli Dei, non vt dent ipsi robur Angeli, non enim indigebat Angelorum confortatione, sed confortent ipsum, hoc est, confitendo proprium ipsius robur ipsi attribuant.]

380. Cæterùm plures Patres volunt Christum aliquod levamen & doloris mitigationem seu consolationem accepisse: & ita sentit imprimis S. Thomas q. 12. a. 4. ex Patribus verò S. Hieronymus, Cyrillus, Damascenus, Bernardus, Beda & alij apud Vasquez.

Dubitatur hîc vlteriùs, an saltem eorum objectorum species per accidens infusas acceperit Christus, quæ Christo per totam vitam nunquam fuerunt applicata, vt possent suas species per infusis Christo communicare. Affirmant Mendoza & Arriaga. Nihilominus

381. DICO 3. Probabilius mihi est, hujusmodi species non fuisse Christo infusas. Probatur ex suppositione prioris Conclusionis, quam nobiscum Mendoza & Arriaga defendunt. Dicto Christus aliquas hujusmodi scientias acquisivit liberè, hoc est, liberè sibi objecta applicare, cùm potuisset nolle applicare: ergo potuit liberè carere velle aliquâ hujusmodi scientiâ, quam de facto acquisivit: atqui non potuisset liberè illa carere, si hoc ipso, quòd Christo aliquod objectum non fuisset applicatum, fuisset illius scientia per accidens infusa. ergo non fuerunt Christo infusæ illæ scientiæ, quarum objectum non fuit illi applicatum. Probo minorem. Quia per adversarios, hoc ipso quòd objectum aliquod non erat Christo applicandum, jam erat infusa Scientia, quæ alioquin erat per applicationem objecti acquirenda: ergo dum Christus voluisset nil Scientiâ carere, hocipso non caruisset. Cæterùm non immoror huic conclusioni.

Contra priorem Conclusionem solùm objici potest, quod jam suprà de primo parente Adamo insinuatum est. Non enim videtur Christo denegandum aliquod genus Scientiæ, quod Adamo concessum est. ex. in Adamo fuisse speciem caussam illas infundendi, quia statim post suam creationem in ætate virili debuit præsse vsu rationis, & quàm optimè providere posteris, quod non potuisset facere sine hujusmodi Scientia, quam non habuit Visionem Beatam, aut Scientias per se infusas, sicut habuit Christus.

Illud tamen vltrò concessero, Christum ex Dei providentia habuisse objecta sibi occurrentia tali ordine & dispositione, vt commodissimè potuerit speciebus inde acceptis ad generandas alias & alias species magis & magis vniversales abstractivas & scientificas vti, & ita feliciter vltra esse, vt acquisiverit tandem scientias in perfectiore gradu, quàm vnquam habuerit Adamus. Nam rum ad has acquirendas non est opus perceptu sensuum externorum vsu, & omnium sensibilium perceptione ac applicatione: quotidie enim videmus aliquos, qui sensibus pauca percapiunt, assiduâ tamen rerum consideratione longè perfectiores scientias comparare, quàm alij qui libris per omnia vagantur, cum impedimento potiùs, quàm incremento scientiarum.

CAPVT

CAPVT IX.

DE QVIBVSDAM PROPOSITIONIBVS, MODISQVE LOQVENDI CIRCA MYSTERIVM INCARNATIONIS.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Christus cum Addito : in quantùm homo : *vel etiam Absolutè & sine addito possit dici Creatura.*

QUoad primum S. Thomas distinguit q. 16. a. 10. & docet, hanc propositionem : *Christus in quantùm homo est creatura* ; esse veram : quia propriè loquendo reduplicatio illa cadit supra Naturam. Si verò diceretur : *in quantùm hic homo*, fore falsam, quia tò *hic*, reduplicaret Suppositum, quod non est creatura.

381. DICO tamen, vtramque propositionem habere verum sensum. De priore probatur. Quia reduplicatio in eum finem additur, vt denotetur discrimen inter duas Naturas, quæ sunt in Christo : ergo perinde est ex intentione loquentium, acsi diceres : Christus secundùm Naturam humanam est creatura, quæ est vtique vera : sicut nemo reprehenderet dicentem : *Homo secundùm Corpus est subjectum sustentans accidentia materialia.* Secunda verò propositio, probatur esse vera ex fundamento contrario illi quod assumpsit S. Thomas. Nam particula *Hic*, addita concretis Naturæ, determinat seu designat hanc determinatam in individuo Naturam. Sic dicitur : *Hic Deus est Pater, est Filius, est Spiritus Sanctus.* Vnde si tres Personalitates assumerent eandem naturam, de qualibet Persona esset verum dicere ; quòd sit hic homo : ergo in hac reduplicatione : *in quantùm hic homo* ; reduplicatur potiùs Natura quàm Verbum, quia sensus est : *in quantùm habens hanc naturam.* Imò vt bene notavit Vasquez, in hac propositione : *Christus in quantùm Homo*, non continetur reduplicatio propriè dicta, sed potiùs specificatio. Reduplicatio enim tunc propriè continetur, quando repetitur idem terminus : v. g. *Homo in quantùm homo.* quando verò est alius terminus : vt : *Christus in quantùm Homo* ; specificatur vna pars vt contradistincta ab altera. Et hæc circa primam partem tituli.

Quoad secundam partem, an Christus absolutè, & sine addito possit dici *Creatura* : negant S. Thomas 4. con. gen. c. 48. Ferrariensis, Richardus & alij Thomistæ communiter.

Conveniunt autem Theologi, ab hoc loquendi modo esse abstinendum, propter hæresin Arianam, quæ negat Christum esse Deum, & hoc sensu dixerunt esse creaturam. Secluso tamen Scandalo, & attentâ solâ verborum proprietate, affirmant illam propositionem habere verum sensum S. Bonaventura, Cajetanus, VValdensis, quos sequitur Vasquez. Et sanè videtur denique etiam fuisse sententia S. Thomæ, qui art. 8. solùm vult abstinendum esse ab illa propositione, ne detur occasio erroris Ariani, sicut non est dicendus Christus incorporeus, ne videamur sentire cum Manichæis, licet proprijsimè possit Christus dici *Incorporeus*, sicut *Immortalis.*

383. Ego distinguerem æquivocationem vocis *Creatura.* quæ potest habere sensum *abstracti*, & sensum *Concreti.* In sensu *Abstracti* ; propositio est falsa : quia sic rectum subjecti & rectum prædicati non sunt idem. In sensu *Concreti*, quatenus significat suppositum habens Naturam creatam, est manifestè vera. Quòd autem in hoc sensu vsurpata sit à SS. PP. facilè constat ex eorum verbis, quæ ad longum refert Vasquez : & sic videntur conciliari cum alijs, qui eandem propositionem videntur disertis verbis improbare.

Hinc etiam colligitur, quo sensu vsurpanda sit hæc propositio : *Christus in quantùm homo, incepit esse* : vel absolutè : *Hic homo cœpit esse.* non enim alio sensu quàm specificante ipsam naturam humanam, ejúsque cum Verbo conjunctionem, quia non habet alium sensum quàm habeat ista : *Deus factus est homo in tempore* : sicut hæc propositio : *Hæc domus cœpit esse hoc anno*, non minùs vera est quàm hæc : *hi lapides cœperunt hoc anno esse hæc domus.*

CONTROVERSIA II.

Vtrum Christus dici possit Vnus, an Plures, Vnum, an Plura.

DUrandus docuit, non posse rectè dici, *Christus est Vnum*: sed debere dici: *Christus est Vnus*. Verùm ipse Christus dixit: *Ego & Pater Vnum sumus*: S. Bonaventura videtur sensisse, Christum posse dici *Plura*, neutraliter, non verò *Plures*. dicit enim, Christum esse aliud de Matre, & aliud de Patre, non tamen alium & alium.

384. Dicendum est 1. Christum nec posse dici Plures, nec Duos. Ratio est, quia Pluralitas masculinè prolata cadit supra Personas: atqui in Christo non est pluralitas Personarum: ergo non potest dici: *Plures*.

Dicendum 2. Neque posse Christum neutraliter dici: *Plura*, aut *Duo*. Ratio est, quia licet neutrale cadat supra Naturam, & in Christo sint duæ naturæ, cadit tamen simul etiam supra Personalitates, & ideo plus requiritur ad verificandam pluralitatem neutraliter, quàm masculinè prolatam. Quia ad hoc quod est; *esse plures*, requiritur illa non esse vnum: atqui vna est vnum, idémque suppositum, etiamsi sint duæ naturæ, simpliciter est vnum, quia naturæ illæ conveniunt in vnum, & physicè conjunguntur in vno supposito, vt faciant vnum: quæ autem simpliciter & absolutè dicuntur & sunt vnum, non possunt rectè simpliciter & absolutè dici plura, vnum enim & plura opponuntur.

DICES. Aliqui SS. PP. dixerunt, Christum esse aliud & aliud: sed hoc idem est, ac esse plura. R. Ex mente S. Thomæ, Sanctos Patres non fuisse locutos secundùm proprietatem sermonis, sed ad hominem ita locutos esse contra Euthychianos, qui negabant dualitatem naturæ: hæc autem simpliciter non sufficit, vt Christus dicatur propriè aliud & aliud, sicut etiam Christus non dicitur Humanitas & Divinitas, sed Deus & Homo.

CAPVT X.

DE SACERDOTIO CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

Secundùm quam Naturam Christus sit Mediator & Sacerdos.

CHristum esse Mediatorem, habetur in SS. Litteris ad Gal. 3. & alibi. Diversimodè autem hoc à SS. PP. intelligitur. Primò, quatenus in Christo copulantur duæ Naturæ, vt sit vna Persona. Sed hic sensus est minùs proprius: sic enim Christus rectiùs diceretur Medius inter Deum & Hominem, quàm Mediator. Alio igitur sensu Mediator est nomen Officij, prout etiam hodie dicuntur Mediatores illi, qui ad Pacificationes Principium adhibentur.

Officium Mediatoris tribus modis exerceri potest ac solet; vt observavit Vasquez. Primò enim accipitur pro Judice seu arbitro dijudicante causas partium. Et in hoc sensu ratio Mediatoris non convenit Christo in omni rigore. Arbitri enim consensu partium constituuntur: Christus non est constitutus nisi à Patre: arbitri judicant secundùm merita causæ, & reum condemnant: Christus cùm hominem condemnare deberet, in se reatum expiandum suscepit.

Secundò Officium Mediatoris idem est quod Proxenetæ, qui inter partes defert ab vna ad alteram pacta & conventiones, quo sensu Moyses de seipso dicit Deutr. 5. *Ego sequester & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba ejus.* & de eodem dicitur ad Galat. 3. *Data est lex per Angelos in manu Mediatoris.* quo sensu dicitur Christus Mediator *Malach.* 3. & Angelus (hoc est nuntius) Testamenti. Eodem sensu Chrysostomus dicit, Christum Mediatorem factum esse, quia sermones detulit, & attulit ea quæ à Patre mittebantur perferens ad nos.

Tertiò dicitur esse Mediator, qui pro vna parte apud alteram preces interponit, & supplicando conciliare nititur, vel denique etiam satisfacit pro culpa alterius; & hoc sensu clarum est, Christum esse Mediatorem, dicitúrque Mediator Novi Testamenti ad Hebr. 12.

385. Quæritur 1. Secundùm quam Naturam Christus exercuerit officium Mediatoris & Sacerdotis. Primus error fuit Calvini, asserentis, secundùm vtramque Naturam, tam divinam quam humanam, hoc officium Christo convenisse, & ab eo exercitum fuisse. ita docuit in duabus epistolis datis ad Polonos, & Petrus Martyr ejusdem affectus itidem in duabus epist. ad eosdem Polonos.

Secundò

Secundus error est Stancarianorum, qui docuerunt, humanam naturam ita fuisse adæquatum principium mediationis, vt opera Christi nullam dignitatem acceperint à Divinitate, neque hanc aliter concurrisse, quàm tribuendo vires humanæ naturæ, sustinendo graves dolores passionis. Catholica veritas est, opera Christi fuisse quidem dignificata à Verbo (quod suprà declaratum est) sed solam naturam humanam fuisse Principium vitale illarū operationum, per quas Christus officium Mediatoris & Sacerdotis exercuit; & hoc sensu secundùm solā naturam humanam fuisse mediatorem: vel clariùs. Operationes Mediatoris fuerunt solæ operationes humanæ, & nulla operatio divina, quà talis. Colligitur ex 1. ad Timoth. 2. *Vnus Deus, Vnus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus.* vbi Apostolus per vnum Deum totam Trinitatem intelligit. Ratio est clara: nam mediator quà talis debet destingui ab illis inter quos exercet officium Mediatoris: atqui secundùm suam naturam humanam distinguitur à Deo & peccatore, inter quos exercebat officium mediatoris: ergo solius naturæ humanæ operationes sunt operationes Mediatoris quà talis.

Confirmatur 1. Sacerdos debet offerre Deo sacrificium: sed offerens debet inferior esse illo cui offert Sacrificium: ergo & Sacerdos: sed Christus per easdem operationes fuit Mediator & Sacerdos; ergo solæ illa operationes sunt propriæ Mediatoris, quæ procedunt à Natura inferiore, id est humana.

Confirmatur. 2. Christus fuit Mediator per opera satisfactoria & meritoria: atqui operationes divinæ non possunt esse tales, benè autem operationes humanæ: ergo, &c.

386. Objicit Calvinus 1. Et argutatur ex illis Christi verbis: *Ego pono animam meam.* quæ verba vult esse intelligenda de Deo, quasi dixisset: Ego quà Deus pono animam. quia solius Dei erat eam ponere, & pro libitu resumere. Verùm Calvinus vel non legit, vel dissimulavit ea quæ statim adduntur: *Propterea diligit me Pater, quia ego pono animam meam.* atqui Verbum non diligitur à Patre, propterea quòd quà Deus posuerit animam. Itaque licet Verbum dicatur posuisse animam per denominationem suppositi, hoc tamen factum est per actum Voluntatis procedentem ab Humanitate, & liberè acceptantem mortem, vt suprà declaratum est: sicut etiam eadem humanitas ex potestate sibi facta à Verbo, eam reassumpsit per vnionem cum corpore. Itaque Scripturæ testimonia quæ affert Calvinus, intelliguntur & tribuuntur Verbo per Communicationem Idiomatum. Aliqua etiam intelligenda sunt de Virtute meritoria, non de physica principali. quo sensu dicitur Christus dare Spiritum S. renovare corda, &c.

387. Objicit Calvinus 2. SS. PP. docent, quòd Christus fuerit mediator per operationes theandricas, seu Dei viriles: atqui hæ sunt operationes vtriusque Naturæ, divinæ scilicet & humanæ, ergo &c. R. Patres per operationes Dei viriles intellexisse operationes Naturæ humanæ Deificatæ, & deificatas à Deitate participata per physicam vnionem: propter quam communicationem dicuntur & denominantur operationes Verbi, & Dei per communicationem idiomatum.

DICES 1. In Concilio Lateranensi sub Martino I. definitum est, Theandricam operationem in Christo non esse vnam tantùm, sed duas operationes, alteram divinam & alteram humanam. R. Sensum illius definitionis colligi ex Scopo illius, qui fuit, damnare errorem Monothelitarum, docentium operationem Theandricam esse tantùm divinam, nempe Decretum divinæ voluntatis: vult ergo illa definitio, præter & vltra illud decretum, requiri etiam operationem naturæ & voluntatis humanæ, quâ Christus miracula est operatus, ad quæ quidem requirebatur Decretum Dei, sed voluntas humana vltimò determinavit divinam, cujus erat instrumentum animatum & rationale.

DICES 2. De ratione Sacerdotis est, mactare hostiam, quæ in sacrificium offertur: atqui Christus fuit hostia, nec tamen seipsum occidit: ergo non fuit Sacerdos. R. Ad rationem Sacerdotis sufficere, vt moraliter hostiam mactet, hoc autem fecit Christus offerendo se sponte ad mortem.

DICES 3. Si hoc sufficit ad rationem Sacerdotis, tunc etiam Martyres, qui se sponte offerunt ad necem, erunt Sacerdotes & Victima. R. Negando sequelam; deficiunt enim à ratione Sacerdotis ex alio capite, quia non sunt constituti publicâ auctoritate ad talem Religionis cultum Deo exhibendum, pro testificatione supremi Dominij in hominis vitam. Christus autem fuit à Patre sic constitutus, & etiam in hostiam electus ad Hebr. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur; neque quisquam sibi sumit honorem, sed qui vocatur tanquam Aaron.* ad Ephes. 5. *Tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam.*

CONTROVERSIA II.

Quis fuerit Effectus Sacrificij à Christo oblati.

PRincipalis effectus hujus cruenti sacrificij, est, satisfactio & expiatio omnium peccatorum, pro quibus applicabitur, eo modo, & ijs medijs, quæ Christus Dominus instituit in sua Ecclesia. Et hæc est illa prærogativa, quâ hoc sacrificium superat omnia sacrificia antiquæ legis, distributivè & collectivè sumpta, prout testatur S. Paulus ad Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum per singulos annos eisdem ipsis hostijs quas offerunt indesinenter, nunquam potest accedentes perfectos facere, alioquin cessassent offerri, ideo quòd nullam haberent vltra conscientiam peccati cultores semel mundati; sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit: impossibile enim est san-*

guine taurorum & hircorum auferri peccata, &c. Et omnis quidem Sacerdos præsto est quotidie ministrans, & easdem sæpè offerens hostias, quæ nunquam possunt auferre peccata. hic autem vnam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum, sedet in dextera Dei, &c. vnâ enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Hæc S. Paulus.

Ex quibus verbis non nulla nascitur difficultas contra Sacrificium incruentum, quod in Ecclesia quotidie offertur pro peccatis de novo commissis, sicut in antiqua lege repetebantur Sacrificia pro peccatis de novo commissis. Non apparet ergo, quomodo sacrificium cruentum consummaverit in æternum sanctificationem omnium hominum, vt asserit Apostolus, si sacrificia incruenta quotidie repetenda sunt: aut, si consummavit, quomodo hæc rectè repetantur, & quomodo subsistat discrimen inter sacrificia antiquæ legis, & hoc cruentum sacrificium quoad hoc, quòd illa debebant repeti propter peccata de novo commissa, non item sacrificium Christi.

388. R. Discrimen in hoc consistere, quòd Sacrificium cruentum fuerit sufficiens expiatio pro omnibus peccatis quantùm est ex parte sacrificij, ita tamen vt per Sacramenta & Sacrificium incruentum sæpiùs repetendum, applicaretur virtus illius; & sic ipsum sacrificium cruentum non habet opus repetitione: hoc autem nulli sacrificio antiquæ legis conveniebat, quia singula pro particularibus delictis offerebantur, & nullum habuit virtutem vniversalem applicabilem per alia sacrificia commemorativa illius, & ejusdem hostiæ oblativa, sicut sunt sacrificia incruenta Christi.

389. Ad pleniorem tamen intelligentiam illius loci, duo valde notanda inculcat Vasquez. primum est circa illa Pauli verba: *nullam vltra haberent conscientiam peccati.* [nullam, inquit, habere conscientiam peccati, hoc loco apud Paulum non est idem, quod, actu remissum esse peccatum quacunque viâ: nam sæpè offerentes sacrificia in antiqua lege manebant hoc modo sine conscientia peccati, eò quòd existimarent, sibi peccata esse remissa; & econtra in nova lege non cessat conscientia peccati per sacrificium cruentum. Est ergo hoc loco, conscientiam peccatorum non habere, idem quod habere meritum & pretium sufficiens redemptionis ad obtinendam gratiam amissam.]

Alterum notatu dignum est, repetitionem Sacrificiorum in antiqua lege, non fuisse primariò institutam, quòd esset actus Religionis, sed quia in nullo illorum inveniebatur vniversale illud meritum & pretium condignum pro peccatorum remissione & gratia obtinenda, siquidem offerentes manebant cum conscientia peccati, hoc est sine illo remedio vniversali. Jussit ergo Deus illa toties repeti, vt illi populo indicaret, in nullo illorum inveniri remedium illud, quo totum genus humanum indigebat. Hinc oblato sacrificio cruento Christi, cessare debebant illa animalium sacrificia, quæ tamen non debuissent cessare, si præcisè fuissent instituta, vt essent cultus Dei & actus Religionis.

390. Quæritur, vtrum Christo possit tribui suum sacrificium in ratione sacrificij. Dico *in ratione sacrificij*: nam quatenus habet rationem orationis aut meriti, certum est illi profuisse, & inde consecutus est suam gloriam, & nominis altationem. In ratione autem sacrificij an profuerit, potest esse aliqua quæstio: ad quam breviter; R. Non profuisse quoad præcipuum & primarium effectum Sacrificij propter quem est institutum, nempe placationis & reconciliationis: hoc sensu locutum est Concilium Alexandrinum in sua epistola, quæ est decima apud Cyrillum [Si quis, inquit, Christum etiam pro seipso non magis pro nobis obtulisse dicit (nonnullus habuit oblatione, qui peccatum non novit) anathema sit] Et in epist. ad Nestorium [Quemobrem si quis dixerit, non pro nobis solum ipsum obtulisse, sed simul etiam pro seipso, impietatis crimen vitare nullâ ratione potest. constat enim nihil vnquam deliquisse, nec vllum quam peccatum designâsse: qua igitur oblabat oblatione, cùm peccatum, cujus hostia meritóque offertur, nullum admisisset?

CONTROVERSIA III.

Quo sensu Christus sit & dicatur Sacerdos in æternum.

391. PRima Interpretatio est, quòd Sacerdotium Christi non sit æternum in se, sed tantum in effectu qui per illud obtentus est. Quæ interpretatio tanquam insufficiens communiter rejicitur, præsertim quòd eam etiam amplectantur hæretici, vt negent sacrificium Missæ.

Secunda Interpretatio est quorundam Theologorum, Sacerdotium Christi non dici æternum intelligendo de æternitate physicè sumpta, sed sumpta pro duratione vsque ad finem mundi, qui usque durabit Sacrificium incruentum Missæ. Huic tamen interpretationi obstare videtur locus ad Hebr. 7. vbi de Christo Sacerdote dicitur: *hic autem eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium, vnde & salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum, semper vivens ad interpellandum pro nobis*: quibus verbis æternitas Sacerdotij infertur ex æternitate ipsius duraturæ existentiæ Christi.

Tertia Interpretatio est, & supponit, æternitatem Sacerdotij non requirere perpetuitatem Sacrificij, adeoque etiam Sacrificia cessabunt ante extremum Judicij diem, adhuc tamen durabit in Christo ratio Sacerdotij, nempe quia Christus ratione Sacerdotis constituitur per Vnionem hypostaticam, per quam vnctus & divinitate imbutus est, vt suprà dictum. hæc autem vnctio durabit in æternum: ergo & Sacerdotium, hoc est potestas sacrificandi substantialis, non accidentalis

ria, qualis convenit alijs Sacerdotibus. Itaque sicut Christus ratione vnionis hypostaticæ redditur Substantialiter dignus qui sit caput Ecclesiæ, & populi Deo specialiter grati, ita etiam per eandem vnionem habet substantialem potestatem offerendi sacrificium: quæ potestas manet æternùm, licèt actus ipsius non sit semper exercendus, quia cessat finis illius. Hæc est reipsâ interpretatio Vasquezij, qui eam confirmat ex Cyrillo lib. posteriore de recta fide ad Reginas, vbi declarat differentiam inter Aaron & Christum his verbis. [Assumitur quidem sicut & Aaron, sed non æquali modo; nam ille inungitur ad ministerium, & erat servus: at ille tanquam Filius vocatus secundùm ordinem Melchisedech ministrat Patri. Ministerij autem modum divinus Paulus sic enarrat scribens de Christo ad Hebr. 7. *Qui non secundùm legem carnalis mandati factus est, sed secundùm virtutem indissolubilis vitæ.*] Idem tradit Elias Cretensis. [Christus, inquit, vocatus est propterea, quòd Humanitatem Deitati junxerit, atque etiam vt Rex & Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Denique clarissimis verbis S. Damascenus, quæ brevitatis gratiâ non refero, sed videri possunt apud eundem auctorem.

392. Cæterùm negare non possum, secundæ Interpretationi plurimùm favere Concilium Tridentinum sess. 22. c. 1. cujus hæc verba sunt. [Quia tamen per mortem Sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, quâ nocte tradebatur, vt dilectæ Sponsæ suæ visibile relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud repræsentaretur, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech se in æternum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini Deo Patri obtulit, Successoribus, vt offerrent, præcepit.] Neque mihi satisfaciunt Responsiones P. Vasquez. Illud autem quod secundæ huic interpretationi diximus objici posse, facilè solvitur. Nempe ex eo quòd Christus maneat in æternum, rectè intulit S. Paulus, Christum habere sempiternum, hoc est, indefinitum Sacerdotium, durans tamdiu, quamdiu opus & locus erit Sacrificio, quod nulli alteri Sacerdoti applicari potest.

CONTROVERSIA IV.

An Christus fuerit Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech.

CHristum non fuisse Sacerdotem Leviticum seu ex Tribu Levi, ex qua sola constituebantur Sacerdotes in antiqua lege, constat ex S. Paulo ad Hebr. 7. *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu est, de qua nullus altari præsto est; manifestum est enim, quod ex Juda ortus sit Dominus noster, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyses locutus est.* Porrò Christus Dominus ps. 109. dicitur Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech, vt exponit S. Paulus ad Hebr. 5. & 7. Supponendum autem est, Melchisedech fuisse verum Sacerdotem, vt habet certa sententia, tametsi non fuerit ceremonijs Mosaicis in Sacerdotem electus, qualiter scilicet Sacerdotium ab Aarone initium sumpsit. Sed quia Rex erat, poterat hac auctoritate tanquam publicâ seipsum Sacerdotem constituere.

393. Quæstio autem est, in quonam fuerit potissimùm Sacerdotium Christi assimilatum Sacerdotio Melchisedech. Et imprimis fuit assimilatum in eo, quòd sicut Melchisedech fuit Sacerdos sine Patre, sine Matre, & sine Genealogia, hoc est, sicut ipse nec ab alijs hæreditariâ successione Sacerdotium accepit, nec hæreditariâ successione illud posteris reliquit, ita nec Christus. Nam moderni Sacerdotes non sunt successores Christi in officio, sed tantùm in exercitio: in Officio autem sunt Vicarij illius. Deinde assimilabatur in eo, quòd sicut Sacerdotium Melchisedech fuit præstantius Aaronico & Levitico, ita & Sacerdotium Christi. Verùm cum hæreticis lis est, an Sacerdotium Christi fuerit etiam assimilatum Sacerdotio Melchisedech in re oblata, hoc est, in oblatione Panis & Vini, quod hæretici negant.

Sancti Patres, quos Catholici DD. sequuntur, vnanimi consensu affirmant, idque colligunt satis clarè ex Gen. 14. *At verò Melchisedech Rex Salem, proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altissimi, benedixit ei.* Ex quibus verbis colligitur intentum multipliciter. Primò, quia pro caussali, quare produxerit panem & vinum, ponitur: quòd fuerit Sacerdos altissimi. Secundò, quia non est credibile, quòd panem & vinum obtulerit Abrahamo, præcisè vt cum suis militibus reficeretur, cùm jam fuerint antè refecti. Abraham enim nihil voluit accipere in compensationem præstiti obsequij, exceptis cibarijs quæ jam comederant ejus milites. Tertiò. Quia si Melchisedech non nisi ad refectionem voluisset offerre panem & vinum, profectò non propriâ manu obtulisset, cùm hoc Regem non deceret, sed obtulisset per suos famulos. Scriptura autem satis clarè indicat, obtulisse proprijs manibus. Quartò, quia dum dicitur panem & vinum benedixisse, videtur significari, quòd consecraverit in sacrificium, præsertim cùm nusquam alibi fiat Mentio alterius sacrificij ab ipso oblati.

394. Quæres: Cur ergo Paulus comparans Sacerdotium Christi cum Sacerdotio Melchisedech, nullam fecit mentionem hujus similitudinis in offerendo pane & vino? R. 1. quia ibi volebat solùm ostendere excellentiam Christi supra Sacerdotium Leviticum, per comparationem cum Melchisedech quoad ea, quibus Melchisedech excellebat: inter hæc autem non erat oblatio panis & vini. R. 2. Imò S. Paulus non obscurè insinuaverat prius cap. 5. se aliqua prætermissurum in explicatione Sacerdotij Christi, dum dicit: *de quo grandis nobis est sermo, & ininterpretabilis ad dicendum.* In quæ verba S. Hieronymus sic commentatur. Non quia Apostolus non potuerit illud interpretari, sed quia illius tempo-

ris

ris non fuerit: Hebræis enim, id est Judæis persuadebat, non jam fidelibus quibus passim proderet Sacramentum. Itaque Apostolus noluit illis tunc aperire altissimum hoc Mysterium Altaris, quia ad eorum conversionem nec expediebat, nec erat necessarium: vnde eodem cap. 5. dixerat, *Et facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo.*

Objiciunt hæretici. Oblatio panis & vini non fuit specialis & propria Sacerdotij Melchisedech, quia etiam Levitici Sacerdotes leguntur panem & vinum obtulisse: ergo Sacerdotium Christi non rectè per hoc assimilatur specialiter Sacerdotio Melchisedech. R. Levitici Sacerdotes obtulerunt quidem panem in sacrificio, sed sine vino; vinum etiam offerebant, sed sine pane, & tanquam condimentum hostiæ cruentæ quam tunc mactârunt, & ideo eorum oblatio non fuit figura Sacrificij Christi, sicut erat oblatio Melchisedech.

CONTROVERSIA V.

Quale Ius & Dominium habuerit Christus Dominus.

NOn est quæstio de Dominio Jurisdictionis Spiritualis, vi cujus tulit Leges in ordine ad finem supernaturalem, v. g. circa Vsum Sacramentorum. Hujus Vsûs Vicarium habet summum Pontificem. Quæstio igitur est de Dominio Temporali & Regimine Politico.

395. Dicendum est 1. contra Marsilium Patavinum, & Joannem de Janduno, quorum sententiam damnavit Jo. 22. Christum non fuisse subditum seu subjectum Regibus & Principibus terrenis. Probatur. Nam Matth. 17. ipse Christus affirmat Petro, se liberum esse à tributo, quod tamen solvere voluit ad cavendum scandalum.

Dicendum 2. Quando Christus in Scriptura S. dicitur Rex Judæorum, Rex Israel &c. non est intelligendus de Regno temporali, quasi illud jure successionis accepisset, vt volebat Armachanus, sed de Regno Spirituali. Probatur. Quia successio Regum ex stirpe David finem accepit in Jechonia. Deinde Christus non descendit ex David per Salomonem, sed per Nathan, per quem ex familia David descendit Beatissima Virgo.

396. Dicendum 3. Etsi admodum probabilis sit plurium DD. opinio, Christum vi Vnionis hypostaticæ, sicut fuit exemptus ab omni potestate humana, ita in actu primo verè habuisse potestatem Regiam in totum orbem, & in omnes Reges ejus, etiam quoad vitam politicam gubernandi, nihilominus Christum hac potestate nunquam vti voluisse, dicente ipsomet, Regnum suum non esse de hoc mundo.

Dicendum 4. Christum non habuisse Dominium proprietatis in omnes Res creatas, quas vis habuerit in aliquas, prout definitum est in duabus Extravagantibus Joannis XXII. nempe Extrav. *Inter nonnullos.* & extr. *Quia quorundam.* Probatur. Quia alioquin dicendum esset, quod alij omnes homines tantùm precariò possiderent res suas, & per ignorantiam existimarent, se rerum Dominos esse, quod sanè per absurdè, atque fundamento diceretur.

Neque obstat Arefactio Ficulneæ, missio demonum in porcos: hæc enim fecit ex speciali voluntate Dei, sicut etiam de alijs Sanctis legimus simillima miracula pro salute aliorum perpetrata.

CAPVT XI.

DE SERVITVTE, ET FILIATIONE.

CONTROVERSIA I.

An Christus secundùm Humanitatem sit & dici possit Servus Dei.

COntroversiæ huic ansam dedit Epistola Adriani Papæ ad Episcopos Hispaniæ, & Synodus Francofurtiensis contra Elipandum Archiepiscopum Toletanum, & Felicem Episcopum Vrgelitanum: hi enim contendebant, Christum verè & propriè esse servum Dei: hos acerrimè reprehendunt Patres adducti Concilij, & vt hæreticos increpant, volúntque, non nisi allegoricè & per tropum ita vocari posse.

Cæterùm, inter Catholicos nulla est quoad rem ipsam dissensio: fatentur enim omnes contra Nestorium, Christum esse vnam Personam Deum & Hominem, verè & realiter habentem duas Naturas eâdem hypostasi subsistentes. Tota igitur tota quæstio de nomine *Servi.* Si enim stat significatum hujus nominis intrinsecè & essentialiter includit negationem æqualitatis in Dignitate & Throno, clarum est, Christum hoc sensu non esse servum. Si verò significatum servi plus non importet,

importat, quàm quòd requirit Aristoteles, scilicet, quòd sit Organum animatum distinctum (saltem secundùm Naturam & Voluntatem) alterius homo existens, seu clariùs: Si *servus* plus non dicit, quàm quòd sit homo efficaciter ordinabilis ab alio ad quidvis ad quod ordinare libuerit, & vt hoc sensu possit pro libitu de eo disponere; sic iterum certum est, Christum posse dici servum quatenus Homo est, sic enim fuit obediens vsque ad mortem.

Tota difficultas est in reddenda ratione, cur Adrianus Pontifex & PP. Concilij, tam acerbè improbaverint hunc loquendi modum, quem tamen alij SS. PP. vt Athanasius, Augustinus, Chrysostomus, vsurpârunt. De hac quæstione, magis ad Historiam quàm ad Scholasticam altercationem pertinente, videri possunt Vasquez, vterque Hurtadus, Lugo, qui hunc loquendi modum simpliciter improbant; item Suarez, Tanner, Raguſa, Arriaga, quorum postremus cæteris accuratiùs perpendit Adriani Epistolam, & ostendit, meritò à Pontifice & Patribus Concilij fuisse reprehensum Elipandum & Felicem, quia tectè & astutè voluerunt resuscitare hæresin Nestorij, & ita asserere Christum servum, vt quà servus esset Persona distincta à Persona Verbi. Et licet Vasquez & Lugo aliter sentiant, illorum tamen rationibus videtur Arriaga sufficienter obviare. Nobis satis sit scire, quòd tum ob scandali periculum, tum etiam ob communiorem acceptionem servi tanquam Personæ distinctæ à Persona Domini, & ob repugnantiam servi cum Filio naturali in eadem Persona, sit ab hoc loquendi modo abstinendum.

CONTROVERSIA II.

Quo sensu Christus sit Filius Naturalis, & non Adoptivus.

397. ADoptio non accipitur hîc secundùm totum rigorem Juris Civilis, quo dividitur in Adoptionem specificè sumptam, & Arrogationem, sed accipitur in sensu habente aliquam similitudinem cum Adoptiva Filiatione, quatenus hæc opponitur Filiationi Naturali. Nam is qui adoptatur in filium, assumitur ex benevolentia adoptantis ad aliquas prærogativas filij naturalis quoad jus succedendi in bonis paternis: & hoc reperitur vtique in adoptione quæ fit per gratiam sanctificantem, vt suo loco declaratum est. Deficit tamen primò in eo, quòd hominibus tantùm liceat adoptare in defectum filij naturalis, vt habeant solatium parentum: Deus autem cùm habeat Filium naturalem non indiget hoc solatio. Deficit 2. quòd homo hominem adoptet, qui sit vel ex descendentibus, vel sit sui juris, Deus autem adoptet homines, qui ratione creationis sunt illius servi: & hoc videtur sibi voluisse S. Augustinus *lib.* 1. *de Sermone Domini in monte* c. 46. Adoptamur, inquit, in regnum Dei, non tanquam alieni, sed tanquam ab illo facti & creati.

Nihilominus vtraque species Adoptionis reperitur etiam cum aliqua similitudine in adoptione per gratiam. Adoptio enim in specie est Adoptio alicujus in patria potestate constituti, & hujus consensus proprius non requiritur: satis est, si non dissentiat. Simile quid contingit in Adoptione parvulorum non habentium vsum rationis, qui sunt quodammodo sub patria potestate Ecclesiæ constituti, quæ illorum loco & nomine consensum præstat. Arrogatio verò est personæ sui Juris, & habentis proprium velle, cujus positivus consensus requiritur; & his comparari possunt adulti qui justificantur interveniente proprio consensu.

398. Qui ergo Gratiam sanctificantem in se habent, vocantur â Scriptura hoc sensu Filij Dei: Jo. 1. *dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui non ex hominibus, sed ex Deo nati sunt.* Matth. 5. *vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est.* ad Rom. 8. *Non accepistis Spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei.* Ad Ephes. 1. *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum Dei.* Ad Rom. 8. *Adoptionem filiorum Dei exspectantes.*

Quæres, vtrum etiam Reprobi, dum sunt in statu Gratiæ, sint filij Adoptivi. Negavit Gabriel, sed est omnino affirmandum. Nam Trident. sess. 6. c. 4. & 7. vocat statum Justitiæ & Sanctitatis statum adoptionis, & in hoc etiam maximè assimilatur adoptioni humanæ: potest enim filius adoptatus ob certa delicta, præsertim ingratitudinis, iterum emancipari & exhæredari, atque sic adoptivâ filiatione privari: sic per peccatum mortale desinit homo esse Filius Adoptivus.

399. Quæstio est, an Christus aliquo vero sensu dici possit Filius Adoptivus, vel dicendus simpliciter sit Filius Naturalis. Huic etiam quæstioni caussam præbuerunt Elipandus & Felix, qui simpliciter voluerunt, Christum vt hominem esse Filium Adoptivum Dei. Quorum quidem doctrina damnata est sicut prior: sed incertum quo sensu; & quia probabile est, solùm damnatam esse, quatenus videbantur in Christo agnovisse dualitatem personarum, vt fecit Nestorius, & de persona humana asseruisse esse Filium Adoptivum, ideo manet adhuc inter Catholicos disputatio, an sicut Christus ratione humanitatis per communicationem Idiomatum potest dici esse mortuus &c. ita etiam possit dici esse filius adoptivus, seu adopratus in filium. Ratio autem dubitandi est, quia Humanitas non nisi ex mera benevolentia & favore Dei habet conjunctionem cum Deo: ergo ad hanc conjunctionem est adoptata. Nam filius Naturalis debet habere Naturalem conjunctionem cum Patre, ejúsque Natura.

Prima Sententia est Durandi, & quorundam sequacium, qui admiserunt hanc propositionem in sensu reduplicante. *Christus in quantùm homo est filius adoptivus Spiritûs sancti.* Non quasi putaverint,

taverint, esse specialiter filium Spiritûs Sancti, & non totius Trinitatis, sed quia opera Gratiæ tribuuntur Spiritui Sancto, cùm tamen sint communia toti Trinitati.

Secunda sententia est Scoti, quem secutus est Bassolis, etiam sine addita reduplicatione veram esse illam propositionem, non tamen vsurpandam, ne videamur vti terminis hæreticorum in sensu eorundem.

400. Dicendum tamen est, ne quidem in sensu reduplicativo veram esse hanc propositionem; *Christus quà homo est filius Adoptivus*: quidquid sit, an hæc propositio sit in Concilio Francofurtiensi, vel etiam priùs, in Concilio Ratisbonensi, (Ratisbonâ tunc *Reginum* seu *Reginopolis* dictâ) damnata, de quo non convenit inter DD. alijs cum Vasq. affirmantibus, alijs cum Suarez negantibus. Probatio conclusionis desumenda est ex ipsa natura seu conceptu formali Filij adoptivi. Filius enim Adoptivus est, qui cùm per naturam, hoc est, per naturalem generationem non sit filius, sed extraneus, Voluntate tamen & affectu optatur esse filius, & pro tali habetur. Sonat ergo τὸ *Filius adoptivus* personam talem, quæ nihil in se habet, ratione cujus sit filius naturalis. Jam verò licet Humanitas Christi in abstracto considerata, nihil includat hujusmodi, quia tamen vt sic considerata non est Persona, ideo vt sic adhuc nec est filius naturalis, nec adoptivus. Porrò Persona Christi, quà homo est, includit ipsum Verbum, ratione cujus non est ampliùs Persona extranea: ergo Christus quà homo non potest esse Filius Adoptivus.

Hac ratione permoti Sancti Patres conformiter nostræ conclusioni locuti sunt. S. August. tr. 1. in Jo. c. 1. [Non enim, inquit, nos nati sumus de Deo, quomodo ille vnigenitus, sed adoptati per Gratiam ipsius.] Gregor. Magnus lib. 1. Moral. Omnes qui in fide Deo nascuntur, superat Redemptor noster, quia non vt cæteros, sed Natura illum divinitatis exaltat, quæ etsi Humanitate cæteris apparuit similis, divinitate tamen mansit super omnia singularis. S. Hilarius 6. de Trinit. Nunquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis est nomen? Solus S. Irenæus videtur minùs propriè, & ad sensum Elipandi locutus esse. Ex Hilario etiam quædam verba objiciuntur, sed videtur textus esse corruptus, & non esse legendum: *adoptatur*. sed *adoratur*. prout in alijs exemplaribus legitur.

401. Quærunt tamen RR. vlteriùs, an æquè certum sit, Christum quà hominem, & cum hac reduplicatione esse Filium Naturalem Dei. Aliqui putârunt etiam hanc esse definitam: negant tamen Suarez & Lugo, sed fatentur, esse omnino retinendam, non quidem in hoc sensu, quasi Humanitas sit ratio filiationis naturalis, sed quòd Christus quà homo includat Personalitatem divinam, ratione cujus totus Christus Homo est Filius Naturalis.

Cæterùm hoc ipsum indiget declaratione, quomodo Christus vt Homo sit Filius Naturalis Dei propter inclusionem Verbi, an scilicet ista filiatio non sit alia Filiatio, quàm illa ipsa æterna Generatio Verbi: vel an hoc totum complexum importet aliquam Filiationem naturalem, aliquo modo distinctam ab illa generatione æterna. Dubitatio dubitandi ex vna parte est, quia non apparet quænam sit alia processio Viventis à Vivente in similitudinem naturæ, præter processionem Verbi. Ex altera parte Adrianus Papa in cit. Epist. dicit, Christum quà hominem esse Filium Naturalem totius Trinitatis: atqui hoc non potest verificari de processione Verbi, Verbum enim non procedit nisi à solo Patre: ergo debet intelligi de alia Filiatione. Hinc invaluit communis multorum opinio, Christum quà hominem esse Filium Naturalem totius Trinitatis: sed in hac propositione defendenda non conveniunt, quia pervarsa principia procedunt.

402. Aliqui existimant, illam posse defendi ex ipsa definitione Generationis Viventis. Dicunt ergo Christum vt hominem procedere à Deo, & quidem tanquam Viventem à Vivente in similitudinem Naturæ, quia homo etiam vt homo habet naturam similem Naturæ divinæ: dicere enim factus ad similitudinem Dei: ac denique procedit à Deo, vt principio conjuncto, quia in Christo reperitur Verbum, quod est aliquid Dei. Ita Hurt. Mendoza post Vasq.

Hanc tamen rationem defendendi tenet Lugo, Arriaga & alij, & quidem præcipuè ex eo capite, quia ad Generationem requiritur, vt ortus à principio conjuncto quà tali, tendat ad similitudinem Naturæ, seu vt conjunctio principii non se habeat merè Materialiter aut concomitanter ad illam actionem, quâ producitur Natus similis principio, sed vt per illam conjunctionem intendatur hæc similitudo: atqui talis non est conjunctio Verbi cum humanitate: nam hæc conjunctio non tendit ad similitudinem Naturæ, quæ inest humanæ Naturæ cum divina, sed priùs hanc præsupponit, & habet se impermixtim, vt pater, quia omnes nostræ naturæ sunt hoc modo similes naturæ divinæ, absque conjunctione cum Verbo.

405. Alij cum Suarez probabilius dicunt, Christum vt hominem esse Filium Dei, & totius Trinitatis, quia Christus quà homo habet vnionis hypostaticæ cum Verbo jus ad patrimonium Dei, & vt sic est hæres illius ad Hebr. 1. Petitur sic non est Filius adoptivus, quia non habet jus per Gratiam merè accidentalem, sed per aliquid sui constitutivum: ergo est Filius Naturalis, quia hoc habet per aliquid Substantiale.

Hanc tamen doctrinam rejicit Lugo post Vasq. quia huic Filiationi non potest accommodari definitio Generationis, quia non desumitur ex Origine Viventis à vivente, sed à Jure ad patrimonium & hæreditatem. 406. Qua-

406. Quapropter ipse Card. de Lugo, secutus Basilium Pontium, docet, Christum quà hominem esse Filium Naturalem Dei, non quidem in sensu quo reduplicatio cadit supra humanitatem, sed quatenus cadit supra suppositum, quia vt *Homo* non solùm dicit Naturam, sed etiam hypostasin, quæ cùm in Christo sit Filiatio æterna, jàm Christus vt Homo includit Filiationem naturalem; & sic vt homo est Filius Naturalis.

407. Cæterùm negat Lugo, Christum quà hominem esse Filium totius Trinitatis, prout dixerat Adrianus Papa, pro quo affert magnam antiquorum auctoritatem. Infert deinde vlteriùs, quòd si Persona Patris vel Spiritûs Sancti assumeret humanitatem, quòd inquam, ille homo non esset filius naturalis Dei, quia non haberet Filiationem Verbi, quæ sola potest verificare denominationem Filij Naturalis Dei. Nihilominus de tali Persona concedit Lugo, quòd esset hæres, quia latiùs patet, esse Hæredem, quàm esse Filium Naturalem.

408. Mihi tamen per hæc vltima videtur aperiri via conciliandi Lugonem cum Suarezio. Si enim illa Persona constans Paternitate, esset hæres Dei (sicut reverà esset) non esset Hæres extraneus, quia, vt concedit ipse Lugo, non esset Persona extranea. Vlteriùs, si est hæres, & non extraneus, hocipso est Filius: omnis enim hæres non Filius, est hæres extraneus. Atqui non esset filius adoptivus, vt patet ex suprà dictis. Ergo à primo ad vltimum esset Filius Naturalis Dei.

Censeo itaque, dicendum esse, quòd τὸ *Filius Naturalis* dupliciter sumi possit. Primò strictissimè, intelligendo nimirum illum solum, qui est genitus in similitudinem Naturæ: & hoc sensu Christus quà homo, non est Filius Naturalis totius Trinitatis; & hoc concedendum est Lugoni, neque id negaret Suarez. Secundo modo, minùs strictè, sed tamen etiam in sensu Theologicè proprio, potest dici filius naturalis ille, qui est hæres non per Gratiam & favorem accidentalem, sed per substantiam suam, & sic erit vera sententia Suarezij, & salvabitur auctoritas Adriani: sed hoc genus filiationis non potest reperiri in humanis.

CAPVT XII.

DE ADORATIONE CHRISTI ET CVLTV IMAGINVM.

CONTROVERSIA I.

Quid sit Adoratio in genere.

409. DEfinitur communiter ex S. Damasceno: animi cedentis, submissi, atque humilis significatio. Vnde infertur primò, adorationem non exhiberi nisi Superiori, quidquid sit, an honor & cultus possit æquali, vel etiam inferiori exhiberi, de quo dicam in tr. 1. de Just.

Infertur 2. Adorationem non tantùm Deo & Sanctis exhiberi posse, sed etiam Personis profanis, vt Imperatori, Regibus, Principibus, quod ex historijs S. Scripturæ frequenter apparet. Verùm omissâ pro nunc adoratione civili & politicâ, sermo deinceps erit de Adoratione Sacra.

410. Dividitur in Latriam, Duliam, & Hyperduliam. Latria, prout nunc à tota Ecclesia sumitur (nam antehàc servitutem in genere significabat) significat specialem adorationem, soli Deo convenientem ratione supremæ & infinitæ Excellentiæ. Dulia verò significat cultum seu adorationem quę exhibetur Sanctis Dei amicis quà talibus. Quia autem inter hos eminet Beatissima Virgo Titulo Maternitatis, ideo illi specialis cultus respondet, & est Hyperdulia.

411. Quæritur 1. An hæ tres species conveniant vnivocè vel æquivocè. ℟. Ex communi contra Vasquez, convenire vnivocè, hoc est, non merè æquivocè, (quidquid sit, an & quomodo Vnivocatio & Analogia opponantur) Ratio est; quia illæ tres species adorationis seu cultûs non conveniunt solo nomine, sed Re, & in aliqua ratione communi abstracta: nimirum; esse Testimonium animi submissi, respectu Excellentiæ alterius, præscindendo, quanta sit illa respectiva submissio, & ille excessus Excellentiæ.

412. Quæritur 2. An illud signum, quo quis testatur Excellentiam illius quem adorat, debeat necessariò esse signum externum & corporeum ac sensibile, vel an possit etiam consistere in actu quodam spirituali & interno. P. Vasquez acerrimè contendit, Adorationem significare tale signum externum: vnde infert, Angelos non posse propriè Deum Adorare. Tota lis hæc est

de nomine Adorationis : certum enim est, quòd ad solum cultum externum significandum imponi potuerit hæc vox *Adoratio*. Certum etiam est, potuisse imponi ad significandum aliquem cultum internum, illum nempe quem Vasquez putat esse solùm impropriam Adorationem. Quæstio ergo supereſt, quam significationem defacto sortita sit.

Dicendum est cum communissima sententia, à qua non est in modo loquendi recedendum, posse Adorationem propriè dictâ consistere in actu interno, seu in signo spirituali. Probatur. Sicut signa externa v. g. Genuflexio, lateris sinistri occupatio, depositio pilei, ex hominum institutione sunt quædam protestationes Submissionis, ita posset Respublica Angelica constituere tale signum spirituale, v. g. vt Inferior accedens ad alterum taliter se collocaret, talem actum gaudij vel gratulationis eliceret. Imò ipsa voluntas manifestativa internæ submissionis, poterit dici adoratio, quia est signum non quidem ad placitum, sed Naturale, liberè tamen productum, internæ submissionis.

413. Quæritur 3. An signum adorationis debeat esse tale, quod non tantùm significet animi demissionem illi quem adoramus, sed etiam alijs, adeoque sit publica approbatione impositum ad talem animum significandum, sicut sacrificium debet esse signum publicâ auctoritate institutum, ad significandum dominium vitæ & mortis. Affirmat Card. de Lugo. Negat Arriaga & VVadingus.

Censeo, esse faciendum discrimen inter Personas quas adoramus, hoc est, inter Deum & creaturas. Discrimen autem fundatur in hoc, quòd Deus intuetur cor & animum nostrum, etiam nobis invitis, adeoque respectu Dei, & in ordine ad illi soli manifestandam animi demissionem, existimo ineptè adhiberi signum aliquod significativum nostræ internæ demissionis : sicut, si inter homines nullum esset possibile secretum cordis, & vnusquisque posset animum alterius etiam ipso invito intueri, vtique ineptum esset velle instituere voces ad significandum animum.

Itaque quando Deum adoramus signis externis, censeo cum Lugone, talem adorationem, vt sit propriè dicta adoratio, debere fieri per signum aptum ad significandum alijs videntibus animi demissionem. Neque refert, quòd defacto sæpè illis vtamur, quando nemo nos videt : quia tunc volumus, quantùm in nobis est, omnibus alijs talem animum testari : sicut etiam vocaliter Deo loquimur etiam nemine alio audiente : ad quam tamen orationem necesse est nos vti vocibus publicâ impositione habentibus vim significandi : nec satis esset, si vellem ipse mihi voces fingere ad hoc ipsum significandum, quod significant voces Breviarij aut Missalis : tunc enim non dicerer vocaliter orare id quod oramus in Breviario. hoc enim si liceret, posset quis sibi fingere voces, quarum vna significaret ferè totum quod significat Oratio Dominica, sicut Chinenses vocabulo exprimunt, quod nos longâ periodo absolvimus, & sic posset quis vti brevissimis Canonicis. hoc inquam est contra sensum communem.

Vnde non malè dixit Lugo, quidquid contranitatur Arriaga, ridiculum esse dicere, quòd libitum nostrum possimus quodcunque signum assumere ad adorandum Deum, v. g. crepitum dentorum, vel risum, vel excreationem, vel nictum : nam ineptè dicerem : *Domine, vola nare tussitum tibi esse signum meæ submissionis.* Adeoque enim serviret tale signum, si etiam absque ullo perspectus Deo est animus noster ? Hinc multi DD. putârunt respectu Dei & Angelorum adorationem posse consummari interiùs per solum voluntatem se in omnibus submittendi, absque ullo signo : & hanc voluntatem fatetur Lugo n. 17. posse vocari Adorationem.

414. Quoad alios verò, quibus animus noster non est apertus sicut Deo, sed occultus potest, censeo posse fieri adorationem signo non significante nisi illi qui adoratur, adeoque non esse necesse, vt sit publicâ auctoritate institutum, sed posse institui privatâ duorum conventione. Ratio est, quia vt fatetur Lugo n. 19. Adoratio potest fieri solo sermone, absque alia cæremonia : atqui possunt duo inter se convenire tam in scriptura quàm in sermone, vt hoc vel illud non proferatur ab alterutro erga alterum, nisi adhibitum significandi hoc vel illud pro quo signo adhibetur : sic videmus Principes habere certos characteres non nisi vni vel alteri notos, ijsque scribunt : ergo etiam ad significandam animi demissionem hoc fieri posset.

415. Quæritur 4. In quonam differat Adoratio ab Humiliatione. R. Differre in hoc, quòd Adorationis virtus, sit virtus ad aliquem, Humilitatis Virtus non item ; & ideo Humilitas reducitur ad Temperantiam, Adoratio ad Iustitiam ; tanquam pars potestativa illius. Itaque Humilitas præcisè attendit honestatem in non tribuendo sibi plus quàm sibi conveniat, & consequenter in non extollendo se supra alios. At verò Adoratio attendit honestatem in tribuendo alijs quod ipsis convenit, agnoscendo illorum supra se excellentiam & eminentiam, & volendo se respectu illorum collocare inferiùs. Vnde plus est adorare, quàm præcisè se humiliare, decet adoratio humilitatem aliquo modo vel presupponat, vel etiam includat, saltem respectivè ad illum quem adoramus.

CONTROVERSIA II.

Vtrum Christus vt Homo Adorari possit cultu Latriæ.

416. DE fide est, hunc hominem, seu hanc Personam, quæ est Christus, adorari cultu Latriæ. Jo. 5. *Vt omnes honorificent Filium, sicut honorificant*

honorificant Patrem. Is. 15. *Mihi curuabitur omne genu:* quem locum exponit de Christo S. Paulus ad Rom. 14. & ad Philipp. 2. & Jo. 20. Thomas adorans dicit: *Dominus meus & Deus meus.*

Controversia restat inter Scholasticos, an & quo sensu Christus vt Homo adorari possit cultu latriæ. Non est autem quæstio, vtrum Humanitas sit ratio & fundamentum, propter quod conveniat Christo talis adoratio, cùm certum sit, solam divinitatem esse hoc fundamentum. sed quæstio est, vtrum Persona Christi ita adoretur Latriâ, vt illa adoratio terminetur etiam ad ipsam Humanitatem, non minùs quàm ad Verbum, adeoque Christus vt Homo non merè adorari dicatur per communicationem Idiomatum, sed ita vt Humanitas sit saltem partialiter illa res & terminus qui adoratur cultu latriæ. Ratio dubitandi est, quia Latria non debetur nisi Deo: Humanitas non est Deus. Ergo &c.

417. Propter hanc dubitandi rationem aliqui antiquiores dixerunt, Humanitatem Christi non coadorari cum Verbo, nisi Latriâ imperfectiore. Recentiorum tamen communis est sententia, eâdem suprema adoratione, quâ adoratur Verbum Incarnatum, ita adorari hunc hominem Christum, vt coadoretur humanitas, & ad hanc etiam illa adoratio terminetur.

Ad hanc Assertionem probandam adduci solent varia SS. PP. Testimonia, circa quæ bene observat P. VVadingus, quòd quidem Patrum mens & intentio non fuerit definire, eandem indivisibilem adorationem æquè immediatè terminari tam ad Verbum quàm ad Humanitatem, & esse vtriusque adorationem absolutam, & non tantùm respectivam Humanitatis, quia illi Patres toti erant intenti refutando errori Nestorij & asserendo, qui ne quidem admittebant per communicationem idiomatum adorari Christum Hominem, quia ponebant duas Personas; Nihilominus tamen ex verbis illorum satis clarè colligitur, eos rem ipsam concepisse, sicut asserit communis sententia. Dabimus aliquorum verba.

S. Augustinus in ps. 98. Nemo, inquit, carnem Christi manducat, nisi priùs adoraverit. S. Damascenus l. 3. c. 8. dicit, nos carnem Christi non adorare vt puram carnem, sed vt vnitam Divinitati. S. Chrysostomus hom. 5. in Ep. ad Hebr. Reverâ, inquit, magnum & admirabile & stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere, & adorari ab Angelis & Archangelis. & hom. 3. exponit de Christo secundùm carnem illa verba: Et adorent eum omnes Angeli ejus.

S. Augustinus iterum serm. 58. de Verbis Domini, cùm sibi pro parte hæreticorum objecisset, quasi creaturam adoremus cultu latriæ; respondet: [Ego dominicam carnem, imò perfectam in Christo Humanitatem propterea adoro, quòd à Divinitate suscepta, atque Deitati vnita est, vt non alium atque alium (sicut volebant Nestoriani) sed vnum, eundemque Deum & hominem Dei Filium confitear.] Ecce! ait, se vnitate seu identitate adorationis confiteri Vnitatem seu Identitatem Personæ.

418. Conclusionem probavit vel declaravit S. Epiphanius exemplo, quo etiam alij deinde vsi sunt. Sicut enim purpura Regis coadoratur, dum ipse Rex adoratur, ita etiam Humanitas coadoratur, dum Persona Christi adoratur. Cæterùm hoc exemplum declarat quidem, Humanitatem aliquo modo adorari, dum adoratur Christus, non tamen probat adorari adoratione absolutâ, sed tantùm respectivâ, sicut vestis Regis, quatenus adoratio Regis virtualiter æquivalet duplici adorationi, vni quâ Rex absolutè adoratur propter suam excellentiam, alteri verò, quâ adoraretur Purpura, si separata à Rege proponeretur, propter respectum ad Regem; quæ tamen adoratio respectiva est longè inferioris ordinis, quàm adoratio absoluta, vt dicetur.

419. Meliori exemplo vsus est S. Cyrillus, scil. Humanitatem adorari in Christo adorato Verbo, sicut adorato homine propter excellentiam animæ, coadoratur adoratione absolutâ etiam Corpus. Hinc autem desumi potest ratio à priori Conclusionis, scilicet, quòd quando adoratur aliquod totum physicum, tunc eâdem adoratione adoratur non solùm id cui inest excellentia, sed etiam cæteræ partes coadorentur: atqui Humanitas est pars Christi. ergo hoc adorato etiam illa coadoratur.

Contra hoc exemplum, ipsámque Rationem, acriter insurgit Arriaga, existimans falli Doctores, qui hucusque de hoc puncto scripserunt, dum sibi persuadent, se hujusmodi exemplo & ratione quæstionem ex integro expedivisse. Nam imprimis ex adoratione externa secundùm se sumpta, non possumus colligere, humanitatem Christi adorari potiùs Latriâ quàm Duliâ, quia genuflexio, osculum &c. sunt signa ex se indifferentia, vt procedant ab interna adoratione Latriæ vel Duliæ; nam & Sanctis, imò & Regibus genua flectimus, vestes osculamur &c. sunt ergo signa æquivoca, significantia internum cultum illum, qui huic personæ debetur, cui exhibentur. Vnde sicut Adoratio Christi habentis vestem, est coadoratio vestis, sed inferioris ordinis, & non absoluta, sed tantùm respectiva, ita dici posset, adorato Verbo Latriâ, coadorari humanitatem Duliâ, & vtriusque adorationis signum esse eandem Genuflexionem.

Quodsi loquamur de Adoratione interna, à qua illa externa accipit denominationem Latriæ, inquit, Arriaga, videri implicantiam in terminis, illam interiorem esse æqualem respectu Humanitatis Christi ac respectu Verbi. Nam judicium interius quo ego judico, humanitatem esse excellentem, non est illud, quo judico Deum esse excellentem, neque possum habere judicium, quo judicem, Humanitatem esse æquè excellentem ac est Deus, sed judico minorem esse excellentiam Humanitatis, etiam post Vnionem ad Verbum, quàm sit Excellentia Verbi: ergo

Adoratio externa in ratione Latriæ, non complebitur respectu humanitatis per judicium interius de humanitate, sed tantùm respectu Verbi.

420. Mihi in hac quæstione breviter dicendum videtur, cultu Latriæ absolutæ solum quidem Deum & Divinitatem simpliciter adorari, coadorari tamen etiam omnes partes physicè vnitas Divinitati, hoc est: sicut per illam vnionem physicam humanitas Deificatur, ita virtute illius vnionis ipsa etiam humanitas meretur cultum, nulli puræ creaturæ, hoc est non vnitæ Deo, convenientem, qui cultus consequenter erit cultus latriæ, & coadoratio rei Deificatæ. Itaque ratione Vnionis Humanitas eam consequitur dignitatem, vt omni puræ creaturæ, quantumvis nobili, ex omnibus possibilibus, sit anteponenda, & præ illa ac supra illam colenda. Porrò cultus Latriæ differt præcipuè à cultu Duliæ per hoc, quòd cultu duliæ præferamus quidem Sanctos nobis, sed non propterea vnum Sanctum alteri. Cultus hyperduliæ præfert B. Virginem omnibus cæteris puris creaturis, non habentibus dignitatem Matris: cultus Latriæ verò ita se submittit Deo & cuicunque per vnionem cum Deo deificato, vt protestetur, illa omnia super omnes creaturas â se efferri: & hocipso est cultus soli Deo debitus, quia est Coadoratio per essentiam suam identificata cum Adoratione Dei.

421. Hinc vlteriùs dicendum est, hanc Coadorationem quantumvis identificatam cum Adoratione Verbi, si tamen formaliter consideretur, esse in modo adorandi inæqualem, vt agnoscit Lugo. Ratio est, quia est Coadoratio, sive, est adoratio Humanitatis, non propter excellentiam illi identificatam, sed propter excellentiam Divinitatis vnitam: Verbum verò adoratur propter excellentiam identificatam: sicut ergo perfectius est, esse Divinum per essentiam, quàm esse Divinum per Vnionem, ita illud meretur modum adorandi formaliter perfectiorem. Et hac ratione conciliantur variæ Patrum locutiones.

422. Quæres. An propter hanc diversitatem in modo adorandi, dicendum sit, Humanitatem Christi adorari per accidens, sicut quando quis movet corpus, dicitur per accidens moveri manus propter vnionem cum reliquo corpore. In hac quæstione de nomine placet dicere, quòd Humanitas adoretur per se. Ratio est, quia illa adoratio ex intentione adorantis terminatur ad totam personam, & ad omnes ejus partes: sicut ergo, qui æqualiter vellet impulsum imprimere omnibus partibus corporis, diceretur manum movere per se, ita & in casu nostro dicetur Humanitas adorari per se.

423. Alia quæstio hic à nonnullis movetur, an Humanitas Christi prout seorsim considerabilis est, possit à nobis orari pro aliquo beneficio, vt in favorem nostrum aliquid faciat. Negat Suarez, ex fundamento satis debili, nempe quia operationes sunt Suppositorum. ergo Humanitas non potest operari independenter à supposito: ergo sicut suppositum debet operari, ita etiam ipsum debet orari.

Respondeo tamen affirmativè, vt habet praxis fidelium. Ad fundamentum oppositum facilis est responsio cum Card. de Lugo & Arriaga, concedendo primam consequentiam, & negando secundam. Nam licet operationes sint suppositorum, quatenus natura operari non potest, nisi habens suppositum, ipsa tamen Natura est, quæ se per suum liberum arbitrium determinat ad operationem: ergo potest natura orari, vt liberè se determinet, esto hoc non possit sine supposito. Ad minimum ergo concedendum est, quòd Humanitas Christi potuerit in hac vita orari ad exercendas hujusmodi liberas actiones hominibus proficuas.

424. Major difficultas est, an defuncta in Cœlo triumphans adhuc sic orari possit humanitas Christi: & hoc etiam affirmo.

Objici posset ex doctrina Vasquezij, minimè contendit, Christi humanitatem defuncta ampliùs pro nobis in Cœlis orare propriè loquendo de Oratione, idque evincere conatur ex illo Christi dicto: *Data est mihi omnis potestas in Cœlo & in Terra.* Non esset autem data omnis potestas, si adhuc per orationem aliqua impetrare deberet. Nemo enim dicitur habere in sua potestate, quod ab alio debet impetrare. Quapropter Vasquez vult, Scripturam & Patres asserentes Christum in Cœlo esse nostrum advocatum, & orare pro nobis, esse intelligendos de oratione impropriè quæ rectiùs vocaretur, *Intercessio* seu *Interpellatio*, quia Christus exhibet Patri Cœlesti sua merita.

R. Transmissâ hac Vasquezij doctrinâ, quam alij non admittunt, nihil, inde concluditur contra nostram assertionem. Quia potest adhuc humanitas Christi orari, vt per sua merita velit nobis hoc illudvè à Deo conferri: itaque poterit orari, vt ostendat suum beneplacitum Matri suæ, aliisque Sanctis, vt pro nobis orent & impetrent à Deo, quod Deus sine intercessione non concederet.

CONTROVERSIA III.

Vtrum Humanitas Christi possit adorare Angelos & Homines.

425. RAtio dubitandi est, quia humanitas Christi potest seipsam considerare cum præstantione illorum donorum, quibus Angelos & homines antecellit: econtra verò potest Angelus & homines considerare vt habentes dona supernaturalia & addita suæ substantiæ: ergo sub hac consideratione potest humanitas Christi venerari Angelos & homines, sicut Rex potest adorare Clericum, & econtra Clericus Regem.

426. Negat Arriaga. Affirmat Lugo, & meo judicio admodum probabiliter. Vt autem probetur, oportet ostendere, ad hoc vt quis cum veritate testetur, se quâ talem esse inferiorem & minorem

minorem, non requiri actualem carentiam illorum bonorum, per quæ simpliciter & absolutè, omnibus consideratis alioquin alterum excedit, sed sufficere illam mentis præcisionem quam exposui. Probat hoc Lugo ex absurdo: quia si requireretur actualis carentia, sequeretur quòd Christus non posset adorare Patrem Cœlestem, quia Christus cùm sit Deus & Homo, est absolutè æqualis Patri.

Hæc tamen ratio non evincit intentum, estque disparitas aperta. Humanitas Christi per vnionem hypostaticam & assumptionem à Verbo, verè facta est superior Angelis, & digna effecta, quæ ab Angelis adoretur, est enim elevata supra omnes puras creaturas: at verò per eandem assumptionem non est facta æqualis, multò minùs superior Patre Cœlesti, sed Humanitas semper manet inferior: & quando Humanitas adorat Patrem Cœlestem, Verbum dicitur adorare duntaxat per Communicationem Idiomatum. Itaque Persona Christi est quidem æqualis Patri Cœlesti, sed Humanitas non est æqualis, & ideo Humanitas semper potest adorare: at verò non solum Persona Christi sed etiam ipsa Humanitas per dona supernaturalia, præcipuè per Vnionem cum Verbo, est facta superior Angelis: ergo jam ex hoc capite posset reddi ratio, cur Humanitas non posset adorare Angelos, si verum esset, quòd inferior non possit adorari à Superiore, sive sit superior per propriam entitatem, sive per formam superadditam.

427. Meliùs probat assertionem idem Cardinalis, quia non videtur posse dubitari, quin Christus coluerit & submissè veneratus sit S. Josephum, & Sanctissimam Matrem suam, cùm Scriptum sit: *Et erat subditus illis.* Deinde circa alios homines, præsertim circa Sacerdotes & Templi Ministros, circa Principes & Nobiles, non videtur dubitandum, quòd Christus in hac vita exercuerit actus reverentiæ, alioquin subijsset notam vel gravis incivilitatis, vel arrogantiæ, præsertim antequam se sufficienter manifestâsset esse Deum: ergo ad talem reverentiam debebat sufficere mentis præcisio ab illis donis, quibus Humanitas Christi præ illis omnibus personis excellebat: alioquin Christus egisset Personam simulatoris & deceptoris, & finxisset, imò falsò affirmâsset illis signis, se carere divinitate.

428. Ratio vlterior à posteriori reddi posset, quia nisi hæc mentis præcisio sufficeret, infinitæ honorationes & adorationes inter homines essent falsæ & deceptoriæ, imò illusoriæ, quæ tamen à nemine pro talibus habentur. præterea nemo posset sine periculo errandi alterum adorare: sæpè enim ille qui ab omnibus censetur rectè, & laudabiliter alterum adorare, est in veritate rei superior altero, spectatis omnibus donis & qualitatibus quibus exornatus est. Nec est opus rem quotidianam exemplificare. est ergo communis sensus, sufficere mentis præcisionem ab excessu dignitatis,

Quodsi loquamur de aliquo qui ignorat sua dona quibus alium excedit, nemo negaverit talem adhuc rectè adorare eum, quem scit esse saltem in aliquo se superiorem: atqui talis adorando non negat se habere dona quibus illum excedat. Ignorare enim non est negare, sed stat cum præcisione, alioquin qui ignoraret se esse prædestinatum, negaret se esse prædestinatum: ergo præcisio mentis sufficit ad honestandam hujusmodi adorationem.

429. Respondebis cum Arriaga, instantias allatas de Christo honorante Matrem & alios, non esse ad rem præsentem, quia ille cultus non erat adoratio, sed honoratio: honor autem potest exhiberi etiam inferiori, quia etiam Deus dicitur honorare sanctos. Sed contra. Quia Christus volebat vtique per illa signa significare, quod alij homines tunc temporis per eadem signa significare volebant, & ad quæ significanda erant assumpta: atqui, vt supponimus, alij per illa signa volebant significare submissionem: ergo etiam Christus eam significare voluit. Ad illud quod addebatur, honorem etiam inferiori exhiberi, dicam in Tr. 2. de Justitia, inferiorem à superiore quà tali non posse honorari nisi caussaliter, & hoc modo Deum honorare Sanctos, nimirum testificando, eos esse dignos, qui ab alijs formaliter, hoc est cum vera submissione honorentur, sic Rex Assuerus honorâsse legitur Mardochæum, quando eum jussit circum duci, & omnibus honorandum proponi.

430. Objicit Arriaga 1. Ex hac doctrina sequitur, Christi Humanitatem potuisse etiam adorare dæmonem, vtpote quoad naturam perfectiorem. R. Ex speciali caussa dæmones & damnatos non esse adorandos aut honorandos, non solùm ab Humanitate Christi, sed nec ab alijs hominibus: imò nec superior dæmon ab inferiore dæmone honorandus est. Adoratio enim vt sit prudenter facta, illi soli exhibenda est, respectu cujus servire potest ad gloriam comparandam vel augendam, sicut & laus. Definitur enim Gloria à S. Ambrosio & S. Augustino: quòd sit, clara cum laude notitia, hoc est, opinio grandis apud alios ingenerata ex laude aliorum. Jam verò Dæmones & Damnati indigni sunt omni gloriâ, omni laude, digni verò omni confusione, & sunt mancipati æternæ miseriæ, incapaces omnis felicitatis veræ, cujus pars est gloria: ergo respectu horum adoratio non est ordinabilis ad illum finem, ad quem est instituta.

431. Objicit Arriaga 2. Ex doctrina Lugonis sequitur, posse Carnificem à Rege adorari, si fortè emineat aliquibus bonis supra Regem. R. Si nullum aliud præjudicium timendum esset, posset Rex laudabilissimè se etiam coram carnifice humiliare, eúmque revereri. Sanè qui se potest laudabiliter alterius servum dicere, potest etiam illum venerari & honorare, & hoc sensu adorare, quia jam adest considerabilis aliqua inferioritas & superioritas. Certè Pontifex dicit se

servum

servum servorum nemine excepto ; quidni id posset dicere Rex ? Quodsi hoc non placet Arriagæ, det ipse specialem rationem, cur Rex non possit deponere pileum Carnifici, id tamen possit alicui ex suis aulicis etiam inferioris ordinis , & tunc erit Carnifex excipiendus sicut suprà excepimus dæmones.

CONTROVERSIA IV.

Quomodo Adoratio Imaginum feratur in Imaginem & Exemplar.

CElebrem fecerunt hanc quæstionem Suarez & Vasquez quorum dissidium priusquam proponam referenda est sententia aliorum.

432. Durandus, Holkot, & quidam alij apud Suarez, dixerunt, Imagines propriè loquendo non adorari, sed exemplar præsente imagine : à qua sententia vix distat Cajetanus 3. *p. q.* 25. *a.* 3. *& seqq.* asserens , Imaginem esse tantùm conditionem adorandi Exemplar (vult dicere, vt opinor, occasionem, sicut alicui gladius Judicis posset esse occasio laudandi justitiam) & honorem non exhiberi conditioni rei adoratæ, sed exemplari ipsi quod est ratio adorandi.

Hanc sententiam aliqui Theologi gravibus censuris afficiunt, imò aliqui etiam à fide alienam existimant ; & licet Vasquez conetur eam ab omni censura vindicare (fortassis in favorem suæ sententiæ) si tamen verba spectentur , videtur mereri censuram : Concilia enim vtuntur contrario loquendi modo. S. Basilius relatus in Concilio Nicæno 2. act. 1. *Honorificè*, inquit, *veneror venerandas imagines*. In eodem Concilio act. 6. Epiphanius Diaconus damnat illos , qui imaginum vsum ad memoriam solam, non verò ad salutem seu venerationem admittunt. atqui non apparet, quid hæc sententia aliud imaginibus tribuat, quàm vim excitandi memoriam exemplaris, & sic occasionandi cultum ejusdem.

Confirmatur. Nam si Patres approbantes cultum imaginum , aliud non voluissent, quàm quod vult hæc sententia , facillimum fuisset instruere hæreticos illos , qui quidem admittunt cultum Sanctorum, vel cultum Dei, non tamen imaginis ejusdem. potuisset , inquam , paucis verbis illis dici, nos tantùm ex occasione imaginum colere ipsum Deum, sicut auditâ voce *Deus*, excitamur ad memoriam Dei. Vnde etiam facilè satisfactum fuisset argumento eorundem præcipuo contra cultum imaginum, quòd scilicet sint res mortuæ, inanimatæ. Neque enim est contra naturam rei inanimatæ excitare memoriam Dei. Ex quibus apparet, SS. Patres alium præterea cultum imaginibus asseruisse. Hac ergo sententiâ rejectâ,

433. Sententia P. Vasquez d. 108. est, post Alphonsum à Castro , non posse adorari imaginem , quin eâdem oratione adoretur in recto ipsum exemplar. Nam licet osculum fiat imagini, & genuflexio ante imaginem, hi tamen solùm sunt actus externi : at verò actus internus totus quantus (vt vult Vasquez) occupatur circa exemplar, nec vllo modo attingit imaginem, sed sola actio externa , per quam vt factam imago affectus internus se submittit exemplari, non autem imagini , vtpote quæ est incapax submissionis, & quia stultum est substantiam rationalem velle se submittere rei inanimatæ.

434. Dicendum est primò , & concedendum sententiæ Vasquezij, quòd quando colimus imaginem , non feramur in imaginem per actum internum eo modo quo ferimur in exemplar. Ratio est. Exemplar adoramus absolutè, & quidem propter excellentiam in illo repertam, imaginem verò non nisi respectivè, & propter excellentiam exemplaris, & quidem vt connotatum, nec vllo modo physicè vniti aut constituentis vnam personam cum imagine. Deinde vtique notat Lugo , exemplar colimus tanquam id cui debetur ille cultus, & cui solvimus debitum, & in ordine ad quod ille cultus habet rationem Justitiæ potestativæ , imaginem verò non nisi limus, sed vt purum terminum illius cultûs, quem alteri debemus, scilicet exemplari, & ideo adoratio imaginis , prout fertur in ipsam, non terminatur à Concilijs Adoratio in Spiritu, quia hæc adorationem non communicamus politicè & civiliter cum imagine, vtpote rationis expers, sed est adoratio & cultus quasi inanimatus & mortalis, quia per genuflexionem nolumus aliquid significare aut testari imagini , sed exemplari. Quapropter voluntas significandi tota fertur in exemplar , non enim potest ferri nisi in id, cui volumus loqui tali signo : non volumus autem loqui nisi intelligenti : solum autem exemplar intelligit, non imago. Quodsi Vasquez hoc tantùm voluisset , vera esset illius sententia. Sed quantùm ex verbis colligi potest, negavit etiam voluntatem submissionis vllo modo tendere in imaginem, & de hoc est controversia. Inquo

435. Dicendum 2. Affectus internus submissionis aliquo modo terminatur & tendit directè in ipsam imaginem, volendo imagini cedere & illi se submittere, propter excellentiam exemplaris , cui talis cessio imagini exhibita debetur. Ita cæteri DD. Probatur 1. Quia nisi hoc daretur , non receditur reipsâ à sententia Durandi, quæ ab omnibus rejicitur. Nam licet Vasquez recedat à Durando in hoc, quòd Vasquez dicat, imaginem verè adorari, esto terminet solum actum externum, & nullo modo internum, hoc tamen est solummodo differre in modo loquendi, non in reipsa. Nam Durandus non negavit osculum imagini rectè figi osculum, caput illi aperiri &c. sed solùm negavit hæc sufficere, vt imago dicatur adorari. Imò, vt notat Arriaga, dum Vasquez affirmat hoc sufficere ad adorationem, loquitur inconsequenter, suprà enim docuerat, adorationem externam sine internâ non sufficere ad adorationem : quomodo ergo verum est adorari imaginem

imaginem, si interna adoratio non versatur circa imaginem?

436. Ratio à priori ex ipsa definitione adorationis sumitur, quam tradit S. Damascenus orat. 1. de Imaginib. & Anastasius relatus in VII. Synodo act. 4. & quam suprà retuli, quòd sit, *Nota submissionis & reverentia*: ergo illud quod adoratur, debet terminare submissionem & reverentiam, est enim nota reverentiæ respectu illius quod dicitur adorari.

437. Confirmatur & declaratur duplici instantiâ. Si enim ad denominationem *Adorati* sufficeret, me coram imagine pileum deposuisse, sequeretur, quòd si in imagine depictus esset Diabolus, aut Judas Iscariot &c. etiam ille diceretur adoratus. Secundò sequeretur, quòd quando coram Eucharistia percutio pectus, adorarem pectus, vt notavit Lugo, vel qui oscularetur terram, adoraret terram, vt notavit Suarez. Verùm quidquid sit de his instantijs, quæ meo judicio eludi possent, dicendo, quòd requireretur vt interna adoratio tenderet in diabolum tanquam exemplar: quidquid sit, inquam, de his

438. Probatur Assertio 2. ex mente Conciliorum & Patrum, approbantium cultum imaginum, quæ planè alia non fuit, quàm quòd non solùm externa Cæremonia, sed etiam internus animus submissionis feratur in ipsam imaginem. Concilia enim & PP. dicunt simpliciter & absolutè, imagines adorari, & hoc contra Iconoclastas definiunt & inculcant, atqui Iconoclastæ illud maximè in cultu imaginum detestabantur, quòd internus affectus externâ cæremoniâ manifestatus tenderet in imaginem: ergo ex mente Patrum talis tendentia est admittenda.

Confirmat hoc bene Arriaga. In Concilio Nicano 2. Act. 4. dicit Leontius: [Imaginem Christi adorans non lignorum aut colorum materiam adorat, sed inanimatum characterem Christi.] Vnde colligitur adorari rationem imaginis, & non lignum aut colorem secundùm se.

439. Probatur 3. à paritate amoris. Si amem Petrum præcisè amore Dei & propter Deum, tunc debeo Petro velle aliquod bonum, quod verè sit bonum Petri, & non præcisè bonum Dei: si enim magis placeret Deo occisio Petri, ego occidendo diligerem quidem Deum, sed non diceret diligere Petrum, si occisio non esset bona Petro, etiamsi exerceretur circa Petrum: ergo pari modo vt dicar adorare imaginem propter excellentiam exemplaris, non est satis cultum externum exerceri coram imagine, sed debet etiam internus affectus submissionem imagini præstare.

440. Probatur 4. Argumento à contrario. Etiamsi coram Cruce fiat Sacrificium, non potest tamen vllo modo dici, sacrificari Cruci: ergo neque ad hoc vt imago dicatur simpliciter & propriè adorari, sufficit externam adorationem coram illa fieri. Ergo à primo ad vltimum non potest defendi, quòd Imago simpliciter colatur, nisi dicatur, affectum internum tendere in imaginem.

441. Rationem à priori reddit Lugo n. 39. & ostendit, repugnare, quòd externus cultus exhibeatur imagini quà tali, quin etiam internus affectus submissionis feratur in imaginem: hoc ipso enim quòd velit flectere coram imagine, & illi reverentiam facere, jam adest affectus quo me volò collocare infra imaginem, illi cedere locum meliorem: qui est ille ipse affectus, quem adoratio requirit.

442. Objicies 1. Adoratio est solutio debiti: atqui imagini non dicimur solvere debitum, sed exemplari. ergo ad adorationem sufficiet nos habere affectum submissionis respectu exemplaris, etiamsi non habeamus respectu imaginis. R. Negando consequentiam, quæ non est legitima. claritatis tamen gratiâ distinguitur major: adoratio est solutio debiti, ita vt debitum debeatur omni illi, cui nos submittimus, nego, ita vt debeatur illi cui nos submittimus propter se, & alijs propter connexionem cum illo, concedo Majorem: & concessâ minore, negatur consequentia: sicut Vasquez debet negare hanc; Adoratio est solutio debiti: sed debitum tantùm solvitur exemplari: ergo tantùm adoratur exemplar: vel sic: Sed debitum tantùm solvitur illi cui nos submittimus (vt vult Vasquez) ergo tantùm adoratur ille cui nos submittimus interiùs: quæ consequentia est contra Vasquez. Sicut ergo Vasquez debet distinguere, dicendo, quòd adoratio sit quidem solutio debiti, sed non debiti omni illi quod adoratur, ita nos dicimus, quòd interna submissio animi sit solutio debiti, sed non omni illi cui fit submissio. Verbo. Sicut externa adoratio fit & imagini & exemplari, sed tantùm debetur exemplari, ita nos dicimus, quòd interna submissio fiat imagini & exemplari, sed tantùm debeatur exemplari. Itaque ad hoc vt imago dicatur rectè adorari, & hanc adorationem deberi exemplari, debet non tantùm genuflexio fieri imagini, sed etiam accedere internus animus se submittendi imagini propter exemplar; quia & genuflexio, & talis animus debetur exemplari. Declaratur à simili. Sicut ad rationem amoris vnius propter alium, non est satis, me velle bonum fini *CVI*, sed debeo velle bonum etiam illi quem amo propter alterum: v. g. vt dicar amare canem propter dominum, debeo cani facere aliquod bonum, tametsi hoc faciendo non solvam debitum cani, sed domino: sic ad hoc vt imago dicatur adorari, non est satis, affectum submissionis ferri ad exemplar, sed debet ferri in imaginem, licet sic me submittendo non solvam debitum imagini, sed exemplari.

443. Objicitur 2. Textus quidam VII. Synodi Act. 4. vbi dicitur, quòd sicut Jacobus osculans vestes Josephi, non ipsam vestem dilexerit aut honoraverit, sed per eam arbitratus est se Josephum osculari, sic nos osculando imagines

animo videmur ipsum Sanctum osculari. Ergo Patres voluerunt, internum affectum tantùm terminari ad exemplar. R. Intentionem illorum Patrum solùm fuisse, declarare, nos imagines non adorare adoratione absolutâ, sed solùm exemplar, alioquin exemplum nimium probaret, nempe quòd sicut Jacob nullo modo amavit vestem, ita nos nullo modo adoremus imaginem.

444. Objicitur 3. Tridentinum sess. 25. vbi videtur definiri, quòd affectus internus feratur in solum exemplar, dum dicitur, quòd honor illis delatus feratur ad prototypa, ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos. R. Imò si Tridentinum attentè legatur, potiùs nobis favet. dicit enim, honorem exhiberi imaginibus, & illum honorem transire in exemplar, & honorari exemplar, dum imagines honorantur: atqui osculum vtique non transit ab imagine ad exemplar: ergo affectus internus transit: atqui non potest transire ab vno ad alterum, nisi fuerit ibi vnde transit: ergo affectus internus [illegible] ad imaginem, à qua deinde transit ad exemplar. Cum hoc autem bene stat, in imagine & per imaginem honorari Sanctum, quia qui honorem [illegible] quid ad me pertinens, & quia ad me pertinet me honorat, & sic Christus dixit; *quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

445. Objicitur 4. Res inanimata non est capax submissionis & reverentiæ, sicut non est capax injuriæ: ergo non potest adorari. Probatur consequentia. Adoratio est quædam protestatio potestativa, quæ debet esse ad alterum: imago autem non est altera, quia non est persona. R. Imagines non esse capaces adorationis absolutæ, seu propter excellentiam propriam, sed non respectivæ, & propter excellentiam exemplaris, & huic solvitur seu exhibetur latria. & hoc est alterum, vt jam suppè sufficienter declaratum est.

CAPVT VLTIMVM.

DE COMMVNICATIONE IDIOMATVM.

HUjus sæpius mentio facta est in hoc Tractatu. Ejus explicationem in vltimum locum rejecimus, éstque quæstio de modo loquendi cum debita cautela, quæ in formandis propositionibus circa Incarnationis Mysterium adhibenda est.

446. Idioma Theologis hìc idem est, quod Prædicatum. Communicatio verò Idiomatum aliud non est, quàm quòd prædicata quæ Christo conveniunt formaliter ratione vnius Naturæ, dicantur de eo vt expresso per concretum alterius Naturæ: v. g. quæ conveniunt illi ratione Naturæ Humanæ, vt, *esse passum*, prædicentur de eo vt significato nomine Dei, ita vt etiam verum sit, Deum esse passum, sicut verum est, Hominem esse passum: & sic econtra verum etiam sit, hunc hominem esse Creatorem & Dominum &c. quæ Christo conveniunt ratione Deitatis.

447. Porrò, omnis hæc vicissitudinaria communicatio fundatur in veritate hujus propositionis: *Deus est homo*: *Homo est Deus*. de cujus proprietate licet minùs rectè senserit Durandus, ab omnibus tamen Catholicis, imò & nostri temporis heterodoxis admittitur, cum omnibus SS. PP. & est definita in Concilio Ephesino adversus Nestorium, negantem B. Virginem esse Deiparam.

Ratio communiter reddi solet à RR. quia vbi rectum concreti est idem, vnum dicitur de alio: sic album dicitur dulce. atqui Rectum *hominis* est, Subsistentia: & rectum Dei est eius Subsistentia: ergo rectè dicitur, *Deus est homo*.

448. Verùm, hoc principium valde controvertitur à Philosophis, & multi cum Vasquez negant, concretum *DEVS*, dicere in recto subsistentiam, sed potiùs Naturam, & multò minùs concretum *Homo*, in Recto dicere Subsistentiam: alioquin esset verum dicere: *Homo est Asinus*, vel in sententia Scoti: Homo est negatio communicationis &c.

449. Hinc motus Card. Pallavicinus, negat Subsistentiam importari solam in recto per nomen, *Homo*; & vult importari esse totale quod continet Humanitatem. [Porrò ait, hoc esse totale in nobis includit etiam ipsam Humanitatem, & per eam constituitur & perficitur. At illud esse totale quod est in Christo, potest sumpi dupliciter. Primò, prout est purum esse divinum, contradistinctum ab Humanitate, & sic ut tale habet totam perfectionem illius compositi constantis ex Verbo & Humanitate: & secundò hanc acceptionem vera est hæc propositio. *Homo est Deus*: *homo est increatus*. Nam illud Homo totale habet verè omnia ista prædicata. Secundò, hoc nomen, *Homo*, potest accipi in Christo vt includens non solùm Verbum, sed etiam Humanitatem intrinsecè, & secundùm hoc ei

totale compositum verificatur : hic homo est creatus, est passibilis; scilicet : in vna sui parte.] Quapropter in hujus Authoris sententia (quam magis declarat n. 193.) aliud importatur in Recto, per τὸ, *Homo*, quando dicitur de puro Homine, aliud, quando dicitur de Christo. Quando dicitur de puro Homine, importatur in Recto ipsa Humanitas, quando verò dicitur de Christo, Humanitas non importatur hoc modo, neque est verum dicere ; *Humanitas est Homo* : & ideo id quod Christus assumpsit, ne quidem post assumptionem est propriè Homo.

450. Rationem discriminis desumit ex illo principio Aristotelis, docentis, id esse aliquid, quod est præcipuum in illo, adeoque illud esse hominem, quod est præcipuum in homine : quâ ratione magis propriè dicitur esse homo anima quàm Corpus, & magis propriè dicitur S. Petrus esse in Cœlo, quàm in sepulchro. Sicut ergo manus separata ab homine, dicitur esse corpus, existens verò in homine, hoc est in aliquo perfectiori, non dicitur Corpus, sed, esse in corpore, ita Humanitas existens separata à Deo, est Persona & est homo, existens autem in Deo, hoc est, in Ente substantiali perfectiori, neutram denominationem habet.

Ex hac ipsa ratione deducit idem Auctor, non posse dici, quòd Christus sit duo viventes, aut duo viventia, licet includat duas Naturas viventes, quia scilicet rectum, in Christo importatum, & significatum per τὸ Vivens, non est duo, sed vnicum, scilicet illud perfectissimum, quod continet cætera.

451. Declarat vlteriùs, quare in Deo multiplicentur Nomina Personalia seu Personæ, & non multiplicetur nomen Naturale, nec dicantur plures esse Dij, sicut dicuntur tres Personæ. Quia cùm in Deo omnia sint Substantialia, & Infinita, ac æquè principalia, illud importatur in Recto ab aliquo nomine, cui formaliter & primariò est impositum illud nomen : hoc autem nomen, *Deus*, sic est impositum, ad significandam Radicem Omnium Bonorum, quod primariò convenit Naturæ Divinæ, ideo per hoc nomen, Deus, importatur in Recto, & Primariò quidem Natura Divina. Idem verò nomen, *Deus*, ratione hujus primarij significati convenit omni ei, quod cum illo identificatur, quódque illud continet : ideo secundariò per idem nomen significatur omne illud totum, quod continet Naturam Divinam, & identificatur cum illa: sed quamvis hæc Tota multiplicentur, tamen semper dicuntur esse Idem Deus, quia semper habent hanc denominationem ab Vno & Eodem, cui primariò & formaliter convenit hoc nomen, *Deus*, hoc est, Natura Divina. Contrà verò hoc nomen, *Persona*, dicit formaliter in Recto totum illud perfectissimum, quod est in aliquo Ente. Et quoniam hoc totum perfectissimum in Deo includit tam Naturam quàm proprietates, ideo pars recti, significati per hoc nomen, *Persona divina*, multiplicatur, ac proinde multiplicantur realiter Personæ ; quoniam ad multiplicationem realem sufficit negatio adæquatæ identitatis inter recta.

452. Hanc doctrinam, quæ mihi valde verisimilis videtur, (quamvis æquè bene res tota expediatur in ea sententia, quæ docet, semper in Recto importari Personalitatem, vt videre licet apud Card. de Lugo) referre placuit in gratiam eorum, quibus libelli hujus Auctoris non sunt ad manus, sicut reverà paucorum sunt. Reliquum est, vt constituantur Regulæ, juxta quas explorari possit, quænam prædicata propria Deitatis possint in Christo prædicari de Homine, & econtra, quænam propria Humanitatis possint prædicari de Deo.

453. Notandum autem est, aliqua prædicata esse propria Naturæ in abstracto quà talis, hoc est, prout excludentis Subsistentiam, seu prout contradistinctæ ab illa : v. g. Assumibilitas est propria Naturæ Humanæ, prout contradistinctæ à subsistentia, communicabilitas est propria Naturæ Divinæ prout contradistinctæ à Personalitatibus. Alia sunt propria Naturæ, sive in concreto, sive in abstracto sumatur, vt, esse mortalem, compositum, passibilem &c. respectu humanæ naturæ : esse immortalem, simplicem, impassibilem, respectu Naturæ divinæ.

454. Regula prima. Prædicata quæ conveniunt Naturæ in abstracto quà tali, non possunt, nec in concreto, nec in abstracto prædicari per communicationem de altero. Non enim potest dici : Verbum est assumibile, aut assumibilitas : Homo est communicabilis Verbo, vel Spiritui S.

Regula 2. Nulla prædicatio seu communicatio prædicatorum quorumcunque, & quomodocunque propriorum vnius Naturæ, fieri potest cum reduplicatione, restringente Suppositum ad alterutram Naturam determinatè. v. g. non licet dicere, nec verè dici potest: *Homo vt Homo, est Deus. Deus vt Deus, est Mortalis.* Ratio est, quia ex communi vsu & impositione, reduplicando significamus prædicatum convenire subjecto vi formæ, seu Naturæ reduplicatæ, sive, vi Naturæ quæ importatur ex parte subjecti. Vnde reipsâ idem esset ac prædicari concretum de abstracto, seu de Natura secundùm se.

Regula 3. Sicut hujusmodi propositiones adjectâ reduplicatione sunt falsæ, & negativæ sunt veræ, ita sine reduplicatione negativæ sunt falsæ. Vnde licet verum sit: *Deus qua Deus non est Mortalis*, omissâ tamen reduplicatione, est falsum dicere : *Deus non est Mortalis.* Ratio est, quia negatio est malignantis naturæ, destruens totum quod sequitur secundùm omnem suam rationem, adeoque negat omnem sensum : cùm ergo in aliquo sensu verum sit, Deum esse mortalem, nempe quatenus est Homo, hinc negativa illa est falsa : quamvis etiam vera sit affirmativa : *Deus est Immortalis.* Hinc hæretica est hæc propositio. *Verbum non est natum ex Virgine.*

Regula 4. Vniversaliter tunc rectè fit communicatio idiomatum, quando Natura, cui prædicatum est proprium, importatur in Obliquo in resolutione prædicati. v. g. prædicatum, *Passus*, resolvitur in, *Habens naturam recipientem in se vulnus aut dolorem.* & ideo potest dici: Verbum est passum.

Regula 5. Quando est dubium, attento communi sensu modóque loquendi, an prædicatum dicto modo resolvatur, tunc non debent hujusmodi prædicationes simpliciter fieri, sed adjectâ reduplicatione, cadente supra Naturam, cui tale prædicatum est proprium: v. g. dubium est, an, *esse creaturam*, sit resolvendum in, *habens dependentiam à primo rerum omnium principio*: ideo non est nudè dicendum: *Verbum est creatura.* quæ propositio præsefert Arianismum. Ex simili caussa non est nudè proferenda hæc alia. *Christus est vbique.* propter Vbiquistas, qui eâ vtuntur ad significandum, Christum esse vbique etiam secundùm humanitatem: nam τὸ *esse vbique* communiter resolvitur, Christum secundùm vtramque naturam esse vbique, quod est falsum.

Regula 6. Illorum Idiomatum communicatio non est vsurpanda sine vlteriore explicatione, quæ vel ex aliqua peculiari hæresi, vel ex alio capite est suspecta de sensu falso, hoc est quasi prolata esset in sensu formali & reduplicativo. Hinc infert Pallavicinus rectè quidem dici Deum esse mortuum, non autem Deum esse mutatum: licet enim *mori* sit *mutari*, nemo tamen hæreticus dixit Deum esse mortuum secundùm divinitatem, sicut aliqui dixerunt, esse mutatum secundùm divinitatem.

Regula 7. sit, quam tradit idem Pallavicinus. Præscindendo à periculo erroris, quicunque nomina solent à nobis tribui suppositione naturæ humanæ vel divinæ, possunt affirmari promiscuè de Deo & de homine.

Et hæc de Mysterio Incarnationis.



TRACTATVS

TRACTATUS II.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

CAPVT I.

DE NATVRA SEV ESSENTIA SACRAMENTI THEOLOGICE ET DOGMATICE SVMPTI.

CONTROVERSIA I.

An ad rationem Sacramenti spectet ratio Signi, Symboli, & Causſæ.

454. NOtandum 1. Hoc nomen *Sacramentum*, non fuisse primitùs institutum ad significandas illas Ecclesiæ Cæremonias, quas hodie Sacramenta vocamus, & de quibus deinceps acturi sumus. Nam apud profanos Scriptores maximè vsurpabatur pro Juramento: aliquando etiam significabat Pignus litigantium apud Pontifices in loco sacro depositum: ac denique significabat rem Secretam & occultam, seu Mysteriosam, propter aliquam excellentiam; qui sensus frequens est tam in veteri quàm Novo Testamento. Tob. 12. *Sacramentum Regis abscondere bonum est.* Ad Ephes. 1. *Vt notum faceret Sacramentum voluntatis suæ.* & c. 3. *Quæ sit dispensatio Sacramenti abscondit à sæculis in Deo.*

455. Notandum 2. Quamvis ea, quæ Theologicè & Dogmaticè Sacramenta vocamus, nuspiam in Scriptura S. hoc nomine vocentur (excepto fortè Matrimonio, quod multi volunt à S. Paulo in hoc sensu vocatum esse ad Ephes. 5.) nihilominus tamen ab antiquis Patribus, ac tandem etiam à Scholasticis Theologis, & Ecclesiæ Doctoribus hanc strictiorem significationem accepit hæc vox *Sacramentum*, vt illas septem species Cæremoniarum Novæ Legis, ac etiam quasdam Cæremonias Antiquæ Legis, quæ Sacramentorum Novæ Legis Vmbræ & Figuræ erant, vt Circumcisionem, Consecrationem Sacerdotum, Esum Agni Paschalis &c. nomine Sacramenti specialiter exprimeremus. Quænam autem fuerint illa prædicata, ad quæ respexerint illi primi vsurpatores hujus restrictæ significationis, in progressu discutiemus. Non enim cogitandum est, temerè & arbitrariè hæc Signa præ alijs, v.g. præ Benedictionibus Aquæ, Cereorum, &c. Sacramenta vocata fuisse, sed ob convenientiam aliquam sive Analogicam sive Vnivocam id factum esse existimandum est: alioquin articulus Fidei de Numero Sacramentorum novæ Legis, non tam esset articulus de Re, quàm de Nomine.

456. Notandum 3. Ex certa Catholicorum doctrina, Sacramenta esse sub ratione & genere Signi significantis veram animæ Sanctitatem. Supponitur hæc veritas à Concilio Tridentino sess. 13. in Decreto de Eucharistia c. 3. initio, vbi ait: Eucharistiæ hoc commune esse cum cæteris Sacramentis, quòd sit Symbolum Rei Sacræ, & invisibilis Gratiæ forma visibilis. Et licet videatur loqui de Sacramentis Novæ Legis, quia tamen Sacramenta Veteris Legis hoc nomen acceperunt intuitu Sacramentorum Novæ Legis, quorum erant figuræ, ideo negari non potest, etiam Sacramenta Veteris Legis significâsse veram Sanctitatem, saltem illis conferendam, qui exstituri essent in Nova Lege, quam lex vetus adumbrabat.

brabat. 2. ad Coloss. 17. *quæ sunt Vmbra futurorum.* & ad Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum.* Eandem veritatem agnovit S. Thomas q. 60. a. 2. ad vltimum, & S. Augustt. 19. contra Faustum c. 16. dicens, Sacramentum esse Donum temporale, significare verò Donum æternum. Præterea eadem veritas tradita est à Conc. Florentino in Decreto Vnionis. vbi dicitur, Sacramenta Veteris legis multùm differre à Sacramentis nostris, quòd non causabant Gratiam, sed eam solùm per Passionem Christi dandam Figurabant. Ratio desumi potest ex ipso nomine *Sacramenti*, quod debet significare aliquod latens & arcanum Mysterium: non potest autem aliud commodius assignari, quod per omnia Sacramenta significetur, quàm Sanctitas Animæ, vtpote Radix futuræ Beatitudinis. Est ergo hoc primum prædicatum, ad quod respexerunt illi, qui primi hoc nomen *Sacramentum*, in hodierno rigore Dogmatico vsurpârunt.

457. Notandum 4. Sacramenta non esse Signa qualiacunque, sed esse Signa Symbolica, hoc est, habentia in se Similitudinem aliquam specialem cum Gratia speciali cujusvis Sacramenti: v. g. *Baptismus*, quatenus est externa ablutio corporis, habet similitudinem quandam cum ablutione interna animæ, quæ fit per Gratiam Baptismalem, quatenus emundat à culpis commissis, & à peccato originali. *Confirmatio*, quatenus fit per Vnctionem, quæ alioquin adhibetur ad roborandum corpus, habet similitudinem cum Gratia Confirmationis, vt roborante hominem ad defendendam fortiter fidem susceptam per Baptismum. *Eucharistia*, quatenus est cibus & potus, significat spiritualem animæ refectionem, & restaurationem fervoris, vel augmentum illius. *Pœnitentia*, quatenus continet externum processum Judicialem, significat Gratiam Remissivam peccati, commissi ab illo qui jam subest Jurisdictioni Ecclesiæ. *Extrema Vnctio*, quatenus solebat adhiberi ab illis, qui ad agonem & luctam se parabant, significat symbolicè Gratiam confortativam in vltimo agone, contra Dæmonis insidias & impugnationes. *Ordo*, quia confertur per certas cæremonias, quales solent adhiberi in collatione alicujus potestatis, Symbolizat Gratiam exercendi illa munera, ad quæ fidelis per hoc Sacramentum destinatur. Denique *Matrimonium*, quia est institutum ad propagandum Genus Humanum, ex mutuo consensu & obligatione conjugum, significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, ejúsque Voluntatem conferendi Gratiam necessariam ad onera Matrimonij rectè sustinenda, ad prolem in fide Christiana rectè educandum &c.

458. Cùm ergo in omnibus Sacramentis aliqua hujusmodi Symbolizatio inveniatur, prudenter dubitari non potest, quin ad hoc etiam prædicatum probabiliter respexerint illi, qui primitùs nomen Sacramenti dogmaticè vsurpârunt. Et hoc non dicitur gratis, sed ab auctoritate confirmatur. Nam imprimis, vt jam suprà retuli, Tridentinum dicit, hoc esse Sacramentis commune, quòd sint Symbolum rei sacræ. S. Augustinus Epist. 23. [Si, inquit, Sacramenta quarumdam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent.] Magister Sententiarum in 4. d. 1. Sacramentum, inquit, ejus rei similitudinem gerit, cujus signum est, si enim Sacramenta non haberent similitudinem rerum, quarum Sacramenta sunt, propriè Sacramenta non dicerentur. Idem expressit Hugo de S. Victore. Quibus nobis vtique noluerunt negare, quòd Christus, si libuisset, potuisset signa Gratiæ instituere, non hujusmodi Symbolicam rationem non habentia, sicut Hedera non habet cum vino vendibili. Nec enim esset in hoc repugnantia aut impedimentum: solùm ergo voluerunt dicere, hoc ita convenienter defacto observatum esse in omnibus, & inde meritò colligi possit, quòd si hæc signa Symbolicam rationem non haberent, non essent data à Christus assumpsisset, & si plura Sacramenta instituere voluisset, etiam in illis simile quid observâsset: & vlteriùs colligi possit, quòd quæ defacto hujusmodi symbolicam rationem non habent, hoc ipso nomine Sacramentorum veritatis non sint.

459. Controversum est, vtrum ad rationem Sacramenti in genere, prout præcisivè novæ & veteris legis Sacramentis, sufficiat habere rationem Signi, hoc est, significare Gratiam habitualem, tanquam veram animæ Sanctitatem, etiamsi nec hanc sanctitatem, neque aliam Sanctitatem legalem causset, vel an insuper requiratur, vt illi Personæ cui Cæremonia Sacramenti applicatur, conferat aliquam Sanctitatem, atque sit signum non merè speculativum, sed etiam practicum alicujus Sanctitatis qualiscunque.

460. Prima sententia est P. Vasquez d. 108. c. 5. n. 54. vbi ait, se quidem non negare, etiam veteris legis Sacramenta legalem quandam munditiem & sanctitatem effecisse, hoc tamen, ut ad rationem & conceptum Sacramenti non pertinere, sicut non pertinet efficientia veræ Sanctitatis. Vnde malè Vasquezium intellexit Arriaga n. 5. quasi tantùm negâsset efficientiam veræ Sanctitatis esse de conceptu Sacramenti. Vasquezium sequitur Gaspar Hurtadus d. 1. difficult. 5. cum quosdam alios.

461. Secunda sententia est P. Arriaga, qui docet, non esse quidem de ratione Sacramenti, vt effectivè causset aliquam Sanctitatem, sive externam sive externam, sed tamen de illius essentia esse, causare aliquam Sanctitatem Formalem. Fundamentum illius est, quia de ratione Sacramenti est, esse Cæremoniam aliquam Sacram. ergo persona illa cui exhibetur & applicatur, ab hac cæremonia tanquam à forma denominatur sacrata, seu aliquo modo consecrata, ac sanctificata. Verùm hæc doctrina non procedit de facto. Verùm hæc doctrina non procedit de facto. Sacramento Eucharistiæ, quod est Sacramentum permanens, & licet includat aliquam Cæremoniam

niam, nempe consecrationem, quæ fit per Verba Christi, per hanc tamen actionem non consecratur aut sanctificatur homo formaliter, quando recipit hoc Sacramentum.

462. DICO, de ratione Sacramenti esse, vt sit collativum, vel effectivè vel formaliter, alicujus sanctitatis, sive internæ, sive Legalis & Externæ; adeoque illos, qui primi hoc nomen *Sacramentum*, imposuerunt & applicârunt Cæremonijs tum antiquæ tum novæ legis, attendisse ad hoc prædicatum, & in quocunque illud non repererunt, illud noluerunt nomine Sacramenti comprehendi; ita vt si Circumcisio non sanctificâsset legaliter, sed fuisset merè institutum vt Signum politicum, vel sicut hodie Turcæ circumcidunt, sed non sanctificantur, non applicâssent illi nomen *Sacramenti*. Conclusio est communis cum S. Thoma 1. 2. q. 102. a. 5. in C. vbi eam declarat inductione per Sacramenta Veteris Legis: primò enim Circumcisio sanctificabat, efficiendo membrum populi specialiter à Deo electi, vt gauderet favoribus illius populi, & admitteretur ad Legalia. 2. Consecratio Sacerdotum eos specialiter reddebat eximios, & conferebat potestatem offerendi victimas, & edendi panes propositionis &c. 3. Purificationes à quibusdam exterioribus immunditiebus, & expiationes à peccatis, removebant ea, quæ impediebant à cultu divino; quò etiam revocat S. Thomas ablutionem manuum & pedum, & rasionem pilorum,

463. Probatur Conclusio 1. Si ad rationem Sacramenti non requireretur Vis aliquo modo Sanctificandi, sed sufficeret præcisè Significare Sanctitatem veram, sequeretur, multa fuisse Sacramenta, quæ tamen à nemine inter Sacramenta numerantur, v. g. transitus maris rubri, comestio Mannæ, & plura similia, quæ significabant in figura Gratiam per Christum conferendam. atqui hæc nemo inter Sacramenta numerat: ergo ad rationem Sacramenti non sufficit, Significare Sanctitatem veram, nisi etiam conferat aliquam Sanctitatem. Ita Lugo, Dicastillo, Pallavicinus.

Respondebis cum Arriaga, hæc omnia ex alio capite excludi à ratione Sacramenti, nempe, quia non sunt Signa Stabilia: aliquam autem stabilitatem requiri ad rationem Sacramenti, dicetur infrà.

Sed contra. Quia etiam illi DD. qui ad rationem Sacramenti nullam requirunt stabilitatem, nihilominus hæc omnia recensita à ratione Sacramenti excludunt: ergo signum est, quòd ex defectu Sanctificationis fuerint semper à ratione Sacramenti exclusa, esto etiam ex alio capite excludi possint.

464. Probatur Conclusio 2. ex Sacrificio novæ legis: hoc enim formaliter quà Sacrificium est, non est Sacramentum, & tamen etiam quà tale formaliter significat Sanctitatem per Christum conferendam vel collatam. ergo solùm ideo non est Sacramentum, quia quà Sacrificium non causat Sanctitatem; neque enim potest ostendi, ex quo alio capite deficiat à ratione Sacramenti.

465. Objicit Vasquez. Si tò *causare sanctitatem*, esset prædicatum substantiale seu Essentiale Sacramenti, & non merè accidentale, tunc Sacramenta antiquæ & novæ legis non convenirent nisi analogicè, adeoque non possent vnâ definitione definiri: consequens est contra communem sensum; communiter enim conantur DD. dare vnam communem definitionem. Sequela probatur. Nam tò causare Sanctitatem legalem, seu impropriam & merè externam, &: causare Sanctitatem propriam & internam, non conveniunt nisi analogicè, sicut sanctitas propria & impropria, non conveniunt nisi analogicè: atqui definitio tradenda est per prædicata essentialia. ergo &c. Respondetur, infrà disputatum iri de veritate sequelæ.

CONTROVERSIA II.

Vtrum de ratione Sacramenti sit, esse Signum seu Cæremoniam Stabilem.

466. DICO 1. Non requiritur ad rationem Sacramenti tanta stabilitas, vt duret toto illo tempore, quo durat Religio in qua Sacramentum est institutum. Probatur. In Lege Naturæ, priusquam existeret Lex Scripta Moysis, dabatur Sacramentum pro Masculis, ad delendum peccatum originale: atqui illud Sacramentum (de quo non constat quale fuerit) cessavit apud populum Israëliticum, quando fuit instituta Circumcisio, & tamen adhuc durabat Lex Naturæ quadringentis ferè annis. Item Circumcisio non incepit cum Lege Naturæ: ergo vera est conclusio.

467. DICO 2. Aliqua tamen stabilitas omnino requiritur ad rationem Sacramenti. Colligitur ex communi DD. consensu, aliquam stabilitatem requirentium: ergo signum est, quòd primi vsurpatores vocis Sacramenti in sensu dogmatico, non minùs ad hoc prædicatum respexerint, quàm ad rationem Symboli.

Confirmatur argumento Scoti. Sacramenta sunt instituta ad consignandum populum Deo, eúmque in exteriore ritu, & cultu ab alijs sectis distinguendum: ergo debet habere aliquam stabilitatem, saltem ad aliquod notabile tempus, vt rem ponderanti facilè innotescet: sed in re non magni momenti non est cur immoremur.

CON-

CONTROVERSIA III.

Vtrum Sacramenta Novæ & Antiquæ Legis conveniant Vnivocè, possintque Vnâ Definitione commodè Definiri.

468. NOtandum est 1. TÒ *Vnivocè*, non accipi hîc in sensu strictissimo, quo multi volunt, *Ens*, non esse vnivocum Deo & creaturis, Substantiæ & accidenti; si enim Sacramenta novæ legis cum antiquæ legis Sacramentis convenirent in conceptu Sacramenti, sicut in ratione & conceptu Entis convenit Substantia & Accidens, sive deinde ratio Entis dicatur imbibi sive non imbibi in differentijs Substantiæ & Accidentis, hoc inquam in præsenti sufficeret, vt omnes dicerent, posse illa vnâ definitione definiri, sicut conceptus Entis habet suam commodam definitionem.

469. Accipitur ergo hîc *Vnivocum*, pro conceptu vniversali, abstrahente ab inferioribus, quæ non discernit ab invicem, & exprimente aliquam rationem, quæ propriè omnibus & solis inferioribus conveniat, & vno nomine significetur. Hinc è contrario illa dicuntur tantùm analogicè convenire, quæ non habent hujusmodi conceptum communem, sed in significato nominis communis partim conveniunt partim differunt, ita quidem, vt quando ipsum nomen applicatur analogatis, formetur alius & alius conceptus, qui exprimat non solùm convenientiam, sed etiam differentiam analogorum; quando autem in genere profertur, soleat de vna tantùm specie analogatorum, & quidem de nobiliore & principaliore intelligi. Hujusmodi analogorum duo sunt genera, nimirum Analoga Proportionis, & Attributionis: prioris generis exemplum est *Risus*: nam hæc vox in genere prolata, intelligitur de Risu Vitali: ad hunc enim significandum est primò impositum: dicitur autem Analogicè de Risu vitali & viriditate seu amænitate pratorum; & quando dicitur; *Prata rident*, exprimitur in conceptu prædicati ipsa Differentia inter vnum & alterum Risum, quo modo non exprimitur differentia accidentis & substantiæ, quando dicitur: *Accidens est Ens*. Hoc genus Analogorum non facit ad præsentem quæstionem. Alterius ergo generis, nempe Analogorum Attributionis exemplum vulgare est *Sanum*, & *Sanitas*. Vox *Sanum* enim non est principaliter imposita ad significandum aliquod prædicatum commune omnibus, quæ quomodocunque dicuntur *Sana*, sed est principaliter imposita ad significandum animal habens sanitatem sibi intrinsecam. Item vox *Sanitas* principaliter significat formam denominantem animal intrinsecè sanum, nempe rectam Temperiem: secundariò verò & minùs principaliter nomen *Sanum* est applicatum Medicinæ, cibo, vrinæ, & alijs hujusmodi: hæc, inquam, dicuntur *Sana* non quidem merè metaphoricè, sicut Viriditas prati dicitur *Risus*, sed propter aliquam habitudinem ad Veram Sanitatem animalis, tanquam illius causa vel effectum. Ergo vox *Sanum*, dicitur esse Analogum, quia analogata partim conveniunt, partim differunt, conveniunt in termino, scilicet Sanitate, differunt in Habitudine seu connexione cum illo: quando Animal dicitur Sanum, concipitur explicitè ipsa differentia, quia concipitur Sanitas vt forma intrinseca animali: quando verò Vrina dicitur sana, concipitur sanitas vt causa talis coloris: & quando cibus dicitur sanus, concipitur sanitas vt effectus cibi. De hoc igitur genere Analogiæ dubitatur, an reperiatur in nomine Sacramenti respectu Veterum & Novorum Sacramentorum. In qua quæstione

Communis Sententia vult convenire Vnivocè, in quem finem plurimæ definitiones excogitatæ sunt, quarum præcipuas referemus.

§. I.

Rejiciuntur Variæ Definitiones Sacramentorum in Genere.

470. PRima definitio refertur ex Magistro sentent. in 4. dist. 1. *Sacramentum est Rei sacræ signum.* Ex dictis constat esse mancam. Non enim exprimit prædicatum *Causæ sanctificantis*, neque etiam satis exprimit rem significandam per Sacramentum, nempe veram sanctitatem: atque hinc multis convenit, quæ non sunt Sacramenta, vt patebit.

471. Secunda definitio colligitur ex Suarez, & amplectitur eam Canus, aliique Rh. Sacramentum est Ritus seu Cæremonia significans veram sanctitatem, & præterea aliquâ sanctitatem sanctificans. Habet hæc definitio contra ea præcedentia instantias: convenit enim Vnctioni Baptismali, vsui salis & salivæ, primæ tonsuræ, abdicationi à censuris, Benedictioni Abbatis &c. nam hæc omnia imprimis veram sanctitatem aliquo modo significant, non minùs quàm Sacramenta veteris legis, & non minùs etiam aliquam eiusmodi sanctitatem conferunt.

Dices: hæc omnia possunt à ratione Sacramenti excludi, si dicatur ad Sacramentum requiri, vt sit à Deo immediatè institutum, & aliquid ab Humana potestate nunquam abrogabile aut mutabile: omnia verò allata sunt immediatè instituta à potestate Humana, nempe ab Ecclesia, & possent vel Abrogari, vel Mutari. Sed hic effugium parùm juvat adversarios, qui in definitione hoc non requirunt, & meritò non requirunt, quia non est adeo certum, quòd hoc requirant, quia non est adeo certum, quòd hoc requirunt, quia non est adeo certum, quòd hoc requirunt, & meritò non requirunt, quia non est adeo certum, quòd hoc requirunt, quia non est adeo certum, quòd hoc requirunt, quia non est adeo certum, quòd hoc

472. Tertia Definitio est P. Dicastillo. *Sacramentum est Signum sacrum, sensibile, practicum rei sacræ, Sanctificantis homines ex Dei institutione.* Rejicitur ex jam dictis. Vel enim per *Rem sanctificantem*, intelligis Sanctificationem qualemcunque, sive propriè sive impropriè talem, vel intelligis tantùm Veram & propriè dictam. Si primum, tunc transmittendo pro nunc (de quo infrà) posse talem conceptum præcisivum fieri (quod tamen negat ipse Dicastillo) hac ratione non exprimitur in definitione præcipuum prædicatum Sacramenti, nempe quòd sit Signum veræ Sanctitatis in specie. Si verò dicas Secundum, jam hæc definitio non convenit Sacramentis antiquæ legis; nam ipse Dicastillo contra Card. de Lugo docet, Sacramenta antiquæ legis nullo modo fuisse causas seu Signa practica veræ Sanctitatis.

473. Quarta definitio est Card. Pallavicini: *Sacramentum est Signum continens humanas Cæremonias, à Deo per hominem exhibitum, veræ sanctitatis alicui conferendæ & ad veram sanctificationem suo vsu saltem disponens.* Explicat auctor definitionem, & docet, Sacramentum debere imprimis infallibiliter Significare, saltem speculativè, veram Sanctitatem alicui (sive suscipienti, sive alteri) conferendam; & hoc habebant etiam Sacramenta Veteris Legis; Significabant enim tanquam locutiones & promissiones Dei, veram Sanctitatem, conferendam ijs quibus merita Christi applicarentur. Vlteriùs debet Sacramentum suo vsu saltem disponere (non tamen infallibiliter) ad veram sanctitatem, quod faciebant etiam Sacramenta veteris legis per sanctitatem legalem.

474. Contra hanc definitionem occurrit primò. Aliqua Sacramenta antiquæ legis adeo remotè disponebant ad sanctificationem suscipientis, vt non mererentur nomen dispositionis: v. g. Ratio pilorum, Lotio manuum & pedum: imò hæc potiùs præsupponebant dispositionem, nempe Actum Fidei ex quo procedebant; quomodo autem ipsæ Cæremoniæ vlteriùs disposuerint ad justificationem, ego non video, nec auctor explicat hunc modum disponendi, quod tamen esset necessarium, vt Sacramentum à non Sacramento discerni posset.

Contra 2. Non apparet, per quam particulam excludantur illa exempla, quæ contra definitionem Suarezij objiciuntur: nam & illa Significant Sanctitatem alicui conferendam, & ad sanctificationem multò meliùs disponunt, quàm Sacramenta veteris legis.

Contra 3. & fortiùs vrget instantia, quam ipse Pallavicinus advertit, & solvere conatur. Sacrificium Novæ Legis, quà tale, non est Sacramentum, & tamen videtur illi etiam quà tali competere tota definitio.

475. Respondet Auctor n. 103. Sacrificium excludi à ratione Sacramenti, quia non significat infallibiliter Sanctitatem *Conferendam*, sed *Collatam*. posset enim, inquit, offerri in fine Mundi, quo tempore Deus nullam esset sanctitatem ampliùs collaturus. Sed contra hanc responsionem est primò. Quia non requiritur ad rationem Saaramenti, vt simpliciter & absolutè infallibiliter significet Gratiam conferendam in posteriore tempore, sed solùm conditionatè, si nempe pro posteriori tempore alicui applicentur merita Christi. Ponamus enim in vltimo instanti Mundi absolvi formam Consecrationis, ita vt à nemine sit sumenda illa hostia, nunquid esset Sacramentum? & tamen non significaret absolutè infallibiliter Gratiam in posteriore tempore, imò ne quidem pro posteriori Naturæ conferendam, sed tantùm conditionatè: *Si ab aliquo ritè acciperetur:* ergo hoc sufficit ad rationem Sacramenti: atqui hoc modo etiam significaret Sacrificium in fine Mundi oblatum: ergo etiam tali Sacrificio conveniret definitio Pallavicini.

476. Confirmatur 1. Sacrificium completum includit ipsam Sumptionem Specierum consecratarum, tanquam partem constitutivam, vt habet verior sententia: si ergo ille Sacerdos consecrans in fine Mundi, esset in gratia Dei, acciperet Gratiæ augmentum, non quidem quæ causaretur ab illo sacrificio vt sacrificum est, sed tamen quæ ab illo sacrificio vt sacrificio Significaretur: significaret enim omnem Gratiam quæ vnquam collata vel conferenda esset propter meritum Passionis & Sacrificij cruenti: ergo jam Significaret Gratiam conferendam non minùs quàm alia Sacramenta, nam hæc etiam non significant aliter, quàm in subjecto bene dispositio.

Confirmatur 2. Sicut illud vltimum Sacrificium Significaret gratiam collatam, ita econtra Sacrificium quod Christus obtulit in vltima Cœna, ante ipsum Sacrificium cruentum, significavit Gratiam vt conferendam per Passionem & Sacramenta: ergo saltem illud Sacrificium, vt Sacrificium, fuisset Sacramentum. Hinc rectè dixit Card. de Lugo n. 14. Sacrificio Missæ non deesse sufficientem Significationem requisitam ad Sacramentum, sed solùm deesse vim causandi.

477. Contra definitionem argumentor 4. Quando requiris, vt Sacramentum sit ad veram Sanctitatem saltem disponens, quomodo accipis τὸ *saltem disponens?* Nam τὸ *saltem* potest duplicem sensum habere. primò quidem sensum determinatum, ita vt determinatè necesse sit disponere, & non sufficiat causare Gratiam immediatè, si nullam causset præviam dispositionem, sicut si quis diceret: ad hoc vt homo vivat, debet saltem comedere: sensus esset, quòd non sufficeret Bibere, sed requiratur Comestio in specie. si hoc sensu intelligas, est doctrina falsa. Nam Sacramenta novæ legis nullam causant præviam dispositionem ex essentia sua, & per se, sed immediatè causant Gratiam. Secundus sensus potest esse disjunctivus, nimirum, vt vel ipsam Gratiam, vel saltem dispositionem ad illam causset. vt si dicerem: vt quis non nobilis possit fieri Canonicus, debet saltem esse Doctor Canonum: est sensus disjunctivus; vel Theologiæ, vel Canonum.

num. Hoc autem sensu definitio non est Vnivoca & accurata, qualis hìc investigatur an dari possit, quia fit per membra disjunctiva, & hac ratione facilè potest dari definitio Analoga Sacramentorum (qualem infrà dabimus) & præterea hac ratione non excluduntur illa quæ Suarezij definitioni objiciuntur, quia etiam illa disponunt ad Gratiam.

§. II.

Examinatur definitio Cardinalis de Lugo.

478. QVi Sacramentum in genere sic definit. *Est Cæremonia sensibilis, quæ suo vsu sanctificando subjectum, significat Gratiam internam, cujus est causa.* Pro stabilienda definitione supponit 1. TÒ *Sanctificare*, esse conceptum Vnivocum, abstrahentem à sanctitate perfecta & imperfecta, seu interna & externa, quod nos infrà negabimus.

Docet 2. De ratione Sacramenti non solùm esse, vt significet quomodocunque Gratiam sanctificantem, sed insuper requiri, vt eam causet in aliquo supposito, sive in recipiente, sive in alio, sive de præsenti, sive de futuro.

Docet 3. Sacramenta veteris legis verè causâsse Gratiam Sanctificantem, non quidem in susciente, sicut Sacramenta novæ legis, sed tamen in alio, nempe in illis, qui postmodum in nova lege acceperunt, & adhuc accipiunt Gratiam sanctificantem ex meritis Christi. Probat. Sacramenta Veteris Legis fuerunt promissiones, imò Repromissiones Christi & Gratiæ per merita Christi conferendæ: atqui omnis promissio movet objectivè ad præstandum promissum, & sic est causa promissi. Porrò, quando Sacramenta veteris legis vocantur Repromissiones ad Hebr. 6. 8. 11. interpretatur Lugo, quod idem sit, ac: Iteratæ promissiones, toties quoties v. g. fuit infans circumcisus, à quibus omnibus nunc movetur Deus ad conferendam gratiam ijs, quibus applicantur merita Christi. Supponit itaque Lugo, in Deo dari duo Decreta, vnum promissionis, alterum reflexum, cujus motivum sit præcedens promissio; quod cùm alibi rejecerimus, nunc tamen in præsenti possumus ab hoc præscindere, & hanc multiplicationem Decretorum permittere.

479. DICO cum cæteris Theologis, Sacramenta veteris legis non fuisse causas Gratiæ sanctificantis, conferendæ in nova lege. Probatur 1. Auctoritate Concilij Florentini. Nam in Decreto fidei, post sessionem vltimam, expressè definitur, Sacramenta novæ Legis multùm differre à Sacramentis antiquæ legis, hæc enim non caussabant Gratiam, sed solùm NB. per passionem Christi dandam figurabant: nostra verò Sacramenta & continent gratiam, & dignè susciepientibus eam conferunt. Ex quibus verbis, quæ per se satis clara sunt, formatur hoc argumentum. Ex mente Concilij minus est, Figurare Gratiam, quàm caussare: ergo Sacramenta veteris legis Gratiam quam figurabant, non caussabant. Sed figurabant Gratiam dandam in nova lege; ergo tam non caussabant. Prima consequentia probatur. Si Gratiam quam figurabant, caussâssent, falsò dicerentur, *tantùm* figurâsse: qui enim facit id quod est plus, malè dicitur fecisse *tantùm* id quod est minus: atqui Concilium dicit, *tantùm* figurâsse: ergo ex mente Concilij non caussârunt. Econtra ex mente Lugonis caussârunt: ergo ex mente illius non solùm figurârunt, quod tamen dicit Florentinum.

480. Confirmatur. Intentio Concilij fuit declarare præstantiam Sacramentorum novæ Legis, & vilitatem Sacramentorum veteris Legis, si comparentur cum prioribus, quæ vilitas consistit in hoc, quòd non caussaverint Gratiam Sanctificantem. Non potest autem hæc vilitas præcisè in eo consistere, quòd non caussaverint Gratiam in susciepientibus illa Sacramenta, per hoc enim non vilescunt absolutè illa vetera Sacramenta: vilescunt quidem apud illos, qui in veteri lege ea receperunt, quatenus pluris æstimata fuissent, si etiam susciepientibus ex opere operato gratiam contulissent, verùm in æstimatione nostra, qui vivimus in nova lege, non vilescerent, si essent caussa omnium nostrarum Gratiarum, imò, vt vult Lugo, nostrorum Sacramentorum omnium, sicut ex eo, quòd merita Christi sint caussa remota & præterita nostrorum meritorum, quæ demùm in nobis immediatè caussant gratiam sanctificantem, non propterea vilescunt, aut minoris æstimandi debent, quàm nostra merita.

481. Probatur Conclusio 2. Auctoritate Catechismi Romani, jussu Pontificis edit., vbi de Sacramentis antiquis hæc habentur §. *Ex quibus colligitur.* [Quare vt Signa tantùm NB. earum rerum, quæ Mysterijs nostris efficienda erant, restituta sunt.] Ecce! ex communi sensu Ecclesiæ erant tantùm Signa, & non caussa earum rerum & gratiarum, quæ in nova lege conferendæ erant.

482. Probatur Conclusio 3. Ratione & mul, & auctoritate S. Thomæ. In Sententia Lugonis Sacramenta veteris legis habuissent vim caussandi Gratiam ex meritis Christi, pro primo Naturæ præsuppositis: sed hoc negat expressè S. Thomas 3. p. q. 62. a. 6. in C. [Illud, inquit, quod nondum est in rerum natura, non movet secundùm vsum exteriorum rerum. Vnde caussa efficiens non potest esse posterior in esse cum ne durationis, sicut caussa finalis. Sic ergo manifestum est, quòd à Passione Christi, quæ caussa humanæ justificationis, convenienter dicatur virtus justificativa ad Sacramenta novæ legis, non autem ad Sacramenta veteris legis.]

483. Objicitur. Omnis promissio est caussa rei promissæ. Sacramenta antiquæ legis fuerunt promissiones Gratiæ sanctificantis, conferendæ in nova lege. ergo fuerunt, & adhuc sunt caussæ illius. Confirmatur ex S. Augustino de

Cæter

cente sæpiùs, Sacramenta veteris legis fuisse promissiva Christi. R. 1. Negando majorem, quam debet negare ipse Lugo: docet enim, quòd Christus præextiterit pro priori naturæ ad Sacramenta antiquæ legis, quæ per sua merita obtinuit: vnde fateretur, quòd licet illa ipsa Sacramenta fuerint etiam promissio Christi, non minùs quàm Gratiæ, quòd inquam nihilominus non fuerint caussa existentiæ Christi: quia non est necesse, quòd promissio semper sit caussa rei promissæ, sed satis est, quòd, quantùm est ex se, obliget ad præstandum promissum. Neque enim necesse est, vt promissor moveatur à sua promissione, sed satis est, si ponat ipsam rem promissam.

R. 2. Negando minorem. Et sanè Card. de Lugo non rectè interpretatur textus illos, quibus Sacramenta veteris legis vocantur Repromissiones, quasi essent Iteratæ & Repetitæ promissiones. Non enim est hæc significatio illius vocis *Repromissio*. Nam vt in Calepino videre licet, & passim apud Juristas in vsu est, Repromissio significat mutuam & reciprocam promissionem, sicut *Reconventio* significat Reciprocam Conventionem: dicitur autem Reciproca Promissio fieri, non solùm quando alteri promittenti aliquid in vicem repromittimus, sed etiam quando promissio est Antidoralis, seu Remuneratoria alicujus obsequij præstiti, quales fuerunt Promissiones factæ antiquis Patribus. Eodem modo sponsalia vocantur Repromissio *L. 1. ff. de Sponsalibus*. Itaque ex S. Paulo non rectè probatur, singula antiqua Sacramenta fuisse Promissiones, sed ad summum ipsam primam Institutionem illorum fuisse Reciprocam promissionem. Ergo, etiamsi daremus, quòd omnis promissio esset caussa rei promissæ, non propterea sequeretur, omnia & singula Sacramenta antiqua fuisse caussam Gratiæ promissæ.

484. Ad auctoritatem S. Augustini respondetur, Sacramenta antiquæ legis ab eodem Augustino lib. 19. contra Faustum, vocari *Nuntiata*, & rerum nondum impletarum figuras, & à Concilijs vocari *Signa tantum*, hoc est mera Signa. Potrò Signa promissionis factæ, optimè possunt vocari Promissio, licet reipsâ non sint Promissio formalis; sicut imago Cæsaris vocatur Cæsar, & sicut Chyrographum vocatur à Legibus & Jureconsultis, *Obligatio*, licet formaliter non sit Obligatio, sed Signum factæ Obligationis; & sicut, qui exhibet Debitori Chyrographum, dicitur quidem exhibere obligationem, non tamen dicitur de novo obligare, sed tantùm exhibere signum factæ obligationis, ita Deus per Sacramenta tanquam Signa voluit in memoriam revocare Israëlitis factam promissionem mittendi Christum.

Confirmatur hoc ex Epist. ad Galat. 3. vbi S. Paulus contra Judaizantes disputans, ac valde commendans promissiones factas Abrahæ, concludit in hunc modum. Si ex lege hæreditas, jam non ex promissione: atqui (subsumit S. Paulus) hæreditas est ex promissione: ergo non est ex lege. Ex quo sic argumentor. Si lex Mosaica de Sacramentis, & innumeræ illius Cæremoniæ, fuissent promissiones formales venturi Christi, non minùs quàm fuit promissio facta Abrahamo, tunc mala esset consequentia S. Pauli, quòd si hæreditas esset ex lege, hoc est ex observantia legis, jam non esset ex promissione. Potuissent enim Judaizantes respondere, negando consequentiam: adhuc enim esset hæreditas ex promissione, imò ex innumeris iteratis promissionibus, quia ipsa lex, hoc est observatio legis, quoad maximam suam partem esset promissio. Dicendum ergo est, Sacramenta veteris legis non fuisse promissiones formaliter, sed tantùm figuratè & præsuppositivè.

485. Denique ex Tract. præcedente de Incarnatione cap. 1. contr. 4. §. 3. constat, quomodo Promissiones divinæ sint intelligendæ & explicandæ absque eo, quòd objectivè moveant Deum ad volendum præstare rem promissam, hoc enim esse impossibile ostensum est tum loco cit. tum in primo libro de simplicitate Decretorum Divinorum.

486. Ex his quæ contra definitionem Lugonis attulimus, rejicienda etiam est definitio P. Arriagæ quæ sic se habet. *Sacramentum est Cæremonia Sacra, Sensibilis, stabilis, in pignus Gratiæ instituta.* Per *Pignus* ait se nihil aliud intelligere quàm Promissiones, sicut Lugo, nisi quòd nolit semper eas esse caussas rei promissæ.

§. III.

Examinatur Definitio P. Aegidij Conink.

487. EX doctrina & mente P. Conink a. 4. dub. 4. aliquando mihi præ cæteris placuit hæc definitio, (nec credo posse meliorem dari) *Sacramentum est Signum Sacrum, sensibile, ac stabile, ex sui institutione veram sanctitatem significans, & Ecclesiæ ad quam pertinet, ratione suæ perfectionis vel imperfectionis quam illa habet, proportionatam sanctitatem suo vsu conferens.* In hac definitione pro prædicato differentiali ponitur hoc totum: *Caussare sanctitatem statui Ecclesiæ ad quam pertinet, secundum perfectionem aut imperfectionem illius proportionatam.* Hæc enim in eum finem adduntur, vt à ratione Sacramenti excludantur illa, quæ non excludantur per definitionem Suarezij & aliorum. Itaque prima tonsura v. g. ideo non est Sacramentum, quia licet causset aliquam imperfectam Sanctitatem, quatenus destinat ad Sacramentum Ordinis, & constituit Personam Clericalem, hæc tamen Sanctitas non est illa, quæ est proportionata novæ legi, in qua est Tonsura, vtpote quæ est Lex Gratiæ antonomasticè sumptæ, adeoque cui quoad suam perfectionem est proportionata Gratia sanctificans, & nulla alia.

Hanc proportionem Sacramentorum cum statu Ecclesiæ, secundùm perfectionem & imperfectionem ad quam pertinebant, explicui vlteriùs, obser-

observando, inter vtramque Ecclesiam discrimen maximum fuisse, propter quod Lex Vetus dicebabatur & erat Imperfecta, nova verò Perfecta: Lex Vetus plurimùm gravabat suos, & ideo vocatur ab Apostolo Jugum importabile, & comparatur ex Vxoribus Abrahami Ancillæ, vocatúrque Lex Servitutis, abroganda per legem meliorem. Imò quidquid illa Ecclesia habuit donorum supernaturalium, omnia intuitu legis novæ futuræ consecuta est, cujus caput esset futurus Christus, summus Sacerdos, & fons omnium Gratiarum, & ideo Lex nova vocatur Lex Gratiæ, & comparatur Vxori Liberæ. Hinc autem consequitur, veram sanctitatem esse proportionatam novæ legi, vtpotę habenti caput omnis Gratiæ, & potestatem conferendi Gratiam sanctificantem ex sua perfectione, & non Beneficio alterius Ecclesiæ. Econtra sanctitas Legalis erat proportionata Antiquæ Legi, quia sicut ipsa fuit Sanctitas imperfecta, & mera Figura seu Vmbra veræ Sanctitatis, ita potestas hujusmodi Sanctitatem & non majorem conferendi per Sacramenta antiquæ Legis, erat imperfecta, præsertim quatenus erat conjuncta cum durissimis alijs legibus. His obsérvatis

488. DICO 1. Allatam definitionem, eatenus, quatenus possunt Analoga definiri secundùm convenientiam in prædicato Analogo, esse Bonam. Patet ex illius declaratione data, & danda in solutione objectionum.

Objicies ergo 1. Per hanc definitionem non excluduntur à ratione Sacramenti prima Tonsura, Benedictio Abbatis, Absolutio à Censuris &c. quia hæc caussant aliquam Sanctitatem, saltem antiquæ legi proportionatam. R. facilè, negando sequelam. Nam hæc non caussant Sanctitatem proportionatam Ecclesiæ nostræ, ad quam illæ Cæremoniæ pertinent, huic enim Ecclesiæ, ratione suæ perfectionis, non est proportionata sanctitas merè externa, vt paulò antè ostendi, sed sola interna & perfecta, hanc autem Cæremoniæ illæ non caussant. Itaque ad rationem Sacramenti non sufficit, caussare aliquam Sanctitatem alicui Ecclesiæ cuicumque proportionatam, sed: *proportionatam illi, ad quam tales Cæremoniæ spectant.*

Objicies 2. Ergo priusquam aliquis scire possit, vtrum hæc vel illa Cæremonia sit Sacramentum, debet priùs cognoscere, ad quam Ecclesiam spectet, & qualem gratiam causset. R. Concedendo totum, nec video, quid hîc admirabilitatis subsit.

489. Objicies 3. Ex nostra doctrina sequitur, in ratione Sacramenti includi totam legem Mosaicam, tanquam partem constitutivam. Probatur sequela. Nam Lex Mosaica est terminus relationis & pertinentiæ Sacramentorum antiquæ Legis, inclusæ in conceptu Sacramenti. R. 1. Hoc ipsis oppugnatoribus solvendum esse, qui docent, Sacramenta debere esse Cæremonias stabiles, discretivas vnius populi ab alio: ergo vel habent has denominationes ab ipsa Ecclesia ad quam pertinent, vel quidquid ipsi assignaverint, nos quoque assignare poterimus. R. 2. Distinguendo sequelam: includit illam in objecto transeat, in recto, negatur. hoc autem non magis absurdum, quàm quòd denominatio ego denominor, *Pars Vniversi*, includat in objecto totum Vniversum. Responderi posset, negando sequelam: dici enim posset, quòd obliquo includat solum Decretum Dei, instituentis talem Cæremoniam pro tali Ecclesia, quod Decretum essentialiter respicit & est connexum cum tali Ecclesia, & ideo non erit necesse ipsam Ecclesiam includere tanquam partem constitutivam, sed solùm tanquam connotatum.

490. Objicies 4. Non apparet, quomodo per nostram definitionem excludatur à Sacramento Baptismus Joannis. Quæro ex adversarijs, pertinueritne Baptismus Joannis ad antiquam an ad novam legem? Si dicant, pertinuisse ad antiquam legem, tunc iterum quæro, vnde habeant, quòd non fuerit Sacramentum? Cum Magister Sententiarum & multi Scholastici, simul S. Thomas in 4. dist. 2. q. vn. a. 3. diversimode Sacramentum, teste Bellarmino. Sed S. Thomas Sententiam mutavit in 3. p. q. 38. a. 1. ad 1. docens, Baptismum Joannis non fuisse Sacramentum, quia non ad veterem legem, sed ad novam pertinebat, tanquam præparatio ad formam. His suppositò, negatur fuisse Sacramentum, quianon caussabat Sanctitatem proportionatam illi legi & Ecclesiæ ad quam pertinebat.

491. Objecerunt denique aliqui, hanc definitionem esse longiusculam. R. Hoc non esse novum in definitionibus Entium artificialium, quale est Sacramentum. Quodsi quis huc longiorem desideret, eam exhibebit P. Antonius Perez, & est hæc. *Sacramentum est Signum legitimum Reipublicæ sacræ, humanæ, perfectæ an imperfectæ, designativum pro ea persona humana societate sacræ, significans se habere virtutem donandi illam designationem Gratiæ, vel donatione de præsenti ex operato, aut donatione futurâ præfigurativâ præviâ, exhibitum à Deo loquente & pacificante cum homine per hominem humano modo.*

§. IV.

Sacramenta Veteris & Novæ Legis non nisi Analogicè convenire concluditur.

492. [Ita sentit M. Sententiarum, Bonaventura in 4. dist. 1. quibus adhæret S. Thomas ead. dist. q. 1. a. 1. quæstiunc. 3. ad 5. his verbis: Dicendum, quòd Sacramentum non dividitur per Sacramenta veteris & novæ legis, sicut genus per species, sed sicut Analogum in suas partes: sanum in habens sanitatem, & significans sanitatem. Sacramentum autem simpliciter est, quod causat Sanctitatem: quod autem significat tantum, non est Sacramentum nisi secundùm quid, & inquantum esse caussam, potest poni in definitione Sacramentorum, sicut habens sanitatem in definitione sani.] Ecce! quàm clarè docet S. D. definitionem vnivocam per, *Esse caussam veræ Sanctitatis*

non convenire nisi Sacramentis simpliciter dictis, hoc est Novæ Legis : Sacramenta autem veteris legis, quia tantùm eam Sanctitatem Significabant, esse tantùm Sacramenta secundùm quid, seu per attributionem ad Sacramenta simpliciter dicta, hoc est, novæ legis. Idipsum clarissimè tradit hic q. 62. a. 1. ad. 1. dicens [Sacramenta novæ legis simul sunt Caussa & Signa, & ideo est, quòd, sicut communiter dicitur, efficiunt quod Figurant. Ex quo etiam patet, quòd habent perfectè rationem Sacramenti, in quantùm ordinantur ad aliquid sacrum, non solùm per modum Signi, sed etiam per modum caussæ.] Consentit reipsâ Vasquez dum fatetur c. 5. n. 47. quòd si semel statuatur, de conceptu Sacramenti esse, quòd in suscipiente causset aliquam Sanctitatem, necessariò sequatur, Sacramenta novæ & antiquæ legis tantùm analogicè convenire : atqui nos cum cæteris DD. hoc requirimus ad rationem Sacramenti, ergo nobis dicendum, etiam consentiente Vasquez, ea tantùm Analogicè convenire. Eandem sententiam sequitur Becanus q. 3. n. 10. Recentissimè eam defendunt P. Esparza & Comptonus.

493. Probatur Conclusio. Caussare Sanctitatem, est prædicatum essentiale & differentiale Sacramenti à non Sacramentis : sed hoc prædicatum non convenit vnivocè Sacramentis Antiquæ & Novæ legis : ergo non conveniunt vnivocè. Majorem concedunt adversarij, & suprà probata est. Minor est probanda. Sanctitas Legalis, caussata ab antiquis Sacramentis in suscipiente, & vera sanctitas animæ, quæ caussatur à Sacramentis Novæ Legis in suscipiente, non conveniunt vnivocè. ergo esse caussam harum sanctitatum, non est prædicatum vnivocum.

494. Ad hoc Argumentum communiter negant consequentiam probationis, & quidem P. Dicastillo existimat, se in hoc argumento deprehendisse ingentem deceptionem, quæ in hoc consistat, quòd quæratur vnivocatio in Termino, ad quem res aliquæ ordinantur, nempe in *Sanctitate*, ad quam Sacramenta tanquam caussæ ordinantur, vt sit etiam vnivocatio in rebus sic ordinatis, vel in ordine ipsarum ad terminum : hoc, inquam, existimat Dicastillo falsum esse, quia potest terminus esse analogus, & tamen res ordinatæ ad illos terminos analogicos, esse vnivocæ : ergo quamvis verum sit, sanctitatem antiquæ & novæ legis tantùm Analogicè convenire, adhuc vis caussandi illas Analogicas Sanctitates, poterit esse vnivoca. Declarat hoc exemplis. Actio est prædicatum vnivocum, & commune actioni tam substantiali quàm accidentali, tametsi substantia & accidens analogicè conveniant. Item Relatio est prædicatum vnivocum, & commune relationibus, ad terminos etiam genere diversos. Alijs exemplis vtitur P. Conink. Risus plantæ & hominis sunt analogicè Risus, vita tamen, quæ vtriusque Risûs caussa est, est vnivocè vita. Lupus Terrestris & Marinus sunt æquivocè lupi, & tamen Deus est vnivocè creator vtriusque.

495. Verùm hæc omnia sunt abs re, & argumentum non solvunt, vt agnoscunt Lugo & Arriaga. Concedimus vltrò, Sacramenta antiquæ & novæ legis convenire vnivocè in conceptu *Caussæ* Generico, de hoc non est difficultas, & hoc solum probant exempla allata : sed quæstio est, an conveniant vnivocè in conceptu Differentiali Sacramentorum à Non Sacramentis, qui est : *Sanctificare*, seu caussare sanctitatem, sub explicito conceptu Sanctitatis vt termini. Nec enim Essentia Sacramenti consistit adæquatè in qualicunque conceptu generico Signi & Caussæ, sed in conceptu explicito *Sanctificantis* : ergo si prædicatum *Sanctitas* non est vnivocum, impossibile est prædicatum *Sanctificans* esse vnivocum.

496. Vt autem ad exempla allata in specie respondeamus. Ad. 1. Transeat, Ens esse Analogum ad substantiam & accidens, Actio tamen vt sic non respicit rationem Entis vt sic (alioquin etiam respiceret Deum vt terminum producendum) sed respicit rationem *Producibilis*, seu *Creaturæ*, hæc autem est vnivoca Substantiæ & Accidenti, non enim imbibitur Producibilitas in differentia Perfectitatis, sicut ratio Entis. Cæterùm mihi longè verior est sententia, Ens esse Vnivocum, prout Vnivocum opponitur Analogo attributionis, vt suprà declaratum est, de quo Logici.

Ad alterum exemplum de Relatione; R. Terminos relationum quantumvis genere diversos quoad suas Entitates, convenire tamen vnivocè in ratione communi *Termini*, & sub hac ratione definitur Relatio per ordinem ad terminum : non est ergo paritas cum nostro casu. nam vt esset paritas, deberent ipsæ Sanctitates convenire vnivocè in prædicato significato & expresso per nomen *Sanctitas*, quod explicitè respicitur à prædicato, *Caussans Sanctitatem*.

Ad. 3. R. Risum prati & Risum hominis, convenire quidem vnivocè in hoc, quod vterque sit effectus vitalis, seu procedens à substantia vivente : verùm hoc prædicatum : *esse effectum substantiæ viventis* in genere, non exprimitur per vocem : *Risus*. Hæc enim propriè non significat nisi effectum admirationis in homine, & ideo de Risu prati tantùm dicitur analogicè : pati modo vox *Sanctitas*, propriè tantùm significat veram animæ Sanctitatem, & ideo de Sanctitate legali tantùm dicitur Analogicè : Eadem responsio datur ad exemplum de Cane. nam vox *Canis*, non est imposita ad significandum in genere *Effectum creatum à Deo*. Ex quibus apparet, quòd etiamsi vera Sanctitas & Legalis Sanctitas in aliquo prædicato vnivocè conveniant, hoc tamen non sufficiat, vt vox *Sanctitas*, aut *Sacramentum*, sint voces vnivocæ. quia ad vnivocationem requiritur, vt illa ratio communis in qua conveniunt, per tale nomen primariò & ex institutione sua significetur : atqui nullum hujusmodi prædicatum potest assignari, quod per nomen *Sanctitas* significetur. Ergo &c.

CAPVT II.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORVM NOVÆ LEGIS.

CONTROVERSIA I.

An, & quo sensu singula Sacramenta constent Rebus tanquam Materiâ, & Verbis tanquam Formâ.

497. PRocedit hæc Controversia solùm de Sacramentis Novæ Legis, de quibus Eugenius Papa in Decreto Vnionis, quod exstat in Concilio Florentino, enumeratis septem Sacramentis, ita decernit. [Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet Rebus tanquam Materiâ, Verbis tanquam Formâ, & Personâ Ministri, conferentis Sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; horum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.] Deinde singulorum Sacramentorum (excepto Matrimonio) enumerat Materiam & Formam: in qua tamen enumeratione non observat Pontifex eandem vsurpationem Materiæ, prout jam in scholis distinctiùs accipitur: alia enim est apud Theologos Materia ex qua constat Sacramentum, & alia circa quam versatur actio Sacramentalis, & ideo illa prior vocatur Materia *Ex qua*, hæc verò Materia *Circa quam*. sic Panis & Vinum secundùm substantiam est in Sacramento Eucharistiæ Materia *circa quam*, non item *ex qua*, quia cùm per consecrationem destruatur substantia panis & vini, non potest secundùm actualem existentiam esse Materia ex qua constet Sacramentum. Dixi: *secundùm actualem existentiam*: quia dubium est, an saltem sit pars constitutiva Sacramenti in alio sensu, nempe, secundùm statum præteritum, de quo suo loco. Idem dicendum de peccatis respectu Sacramenti Pœnitentiæ.

498. Materia *ex qua*, subdividitur in Remotam, & Proximam. v. g. in Sacramento Baptismi Materia Remota est Aqua, proxima est Ablutio. Eugenius Papa quandoque facit mentionem Materiæ remotæ & non proximæ, vt in Baptismo assignat Aquam, in Confirmatione Chrisma, in Extrema Vnctione Oleum, in Sacramento Ordinis Calicem cum Vino & Patenam cum pane &c. In Sacramento Pœnitentiæ verò solùm refert Materiam proximam, eámque vocat, *Quasi Materiam*, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem. in Eucharistia solam Materiam Remotam *circa quam*, Panem & Vinum. Ratio & assignandi legitima hæc fuisse mihi videtur. Quæ illas solùm materias oportebat referre, circa quas vel defacto errabant hæretici aut Schismatici, vel saltem poterat esse periculum errandi: atqui in Baptismo & Confirmatione non erat periculum errandi circa Materiam proximam: ad quid enim aqua adhiberetur nisi ad abluendum? ad quid chrisma nisi ad vngendum? In Eucharistia verò quod attinet ad materiam proximam, nempe species seu accidentia panis, & ipsum corpus Christi, hanc inquam statim infra explicuit Pontifex, quamvis non vocaverit Materiam. Denique aliorum Sacramentorum Materia proxima satis supérque exprimitur indirectè in ipsa forma verborum, (quam vbique Pontifex recitat) licet etiam Materia Remota Sacramenti Pœnitentiæ, nempe peccata. Accusatio enim & Dolor, ponunt culpam. Ergo omnem Materiam Pontifex sufficienter indicavit quoad sex Sacramenta. Quando verò venit ad Matrimonium, nullam prorsus facit mentionem vllius Materiæ aut formæ, sed hoc solum dicit: Causa efficiens Matrimonij regulariter est Mutuus Consensus, per verba de præsenti expressus.] Quæ verba, existimat Vasquez non posse intelligi de ipso formali contractu Matrimonij, nam iste est ipse consensus mutuus, nihil autem est causa efficiens sui ipsius: vult ergo esse intelligenda de vinculo subsequente, seu de obligatione quam inducit contractus Matrimonialis, quæ durat consensu transacto. Cæterùm, illa verba possunt etiam sine absurdo de ipso formali contractu intelligi, non quod consensus contrahentium sit causa efficiens omnium eorum, quæ formaliter constituunt contractum, sed quòd sit causa efficiens alicuius partis contractûs, nempe manifestationis exterioris, quâ sponsi sibi mutuò consensum interioris communicant & aperiunt: sicut etiam in alijs Sacramentis Intentio potest dici causa efficiens Sacramenti, cùm tamen sit etiam pars constitutiva, vt dicemus in loco.

499. Ex

499. Ex his vltimis Pontificis verbis colligunt DD. Matrimonium regulariter quidem per verba formalia contrahi & effici Sacramentum, de Essentia tamen ejusdem Sacramenti non esse verba formalia, sicut sunt de Essentia caterorum Sacramentorum. Ratio autem specialis, quare Christus in hoc Sacramento noluerit essentialiter requirere verba formalia, sed voluerit sufficere quæcunque externa Signa verbis æquivalentia, qualia sunt nutus, Scriptura &c. hæc est, quia Christus elevando contractum Matrimonij, qui secundùm se erat contractus civilis, ad rationem Sacramenti, noluit immutare Naturam ipsius contractûs: atqui ex Natura rei poterat Matrimonium in ratione contractûs celebrari per nutus, Scripturam &c. alioquin muti & surdi non possent contrahere Matrimonium: ergo conveniens simum erat, vt etiam sine verbis formalibus posset fieri Sacramentum.

Quando ergo Pontifex in prioribus verbis dixerat, omnia Sacramenta verbis perfici, locutus est, sicut solent loqui qui Regulas generales constituunt, quibus deinde subjungunt exceptiones vel limitationes; ita Pontifex statim subjecit exceptionem Matrimonij.

500. Vltra hanc exceptionem ausus est Durandus in 4. dist. 1. q. 3. n. 8. aliam facere, docens Sacramentum Pœnitentiæ solis verbis perfici, & non rebus: existimat enim, illius partes solùm esse Confessionem & Absolutionem. Sed lapsus est Durandus primò, quia etiam Dolor Internus & Satisfactio, imò & peccata præterita quà talia, sunt partes constitutivæ hujus Sacramenti, vt suo loco demonstrabimus. Secundò, quia non est de Essentia hujus Sacramenti, vt Confessio fiat per Verba formalia. quando ergo fit per Verba, hæc se habent vt Res, prout à Pontifice accipiebantur.

Digressio ad Materiam & Formam Matrimonij.

501. COntroversia est, & magna dissensio inter DD. an in Sacramento Matrimonij, & quænam Materia ac Forma assignanda sit. Et quidem esse aliquam assignandam conveniunt contra Durandum. Conveniunt itidem omnes in hoc, quòd Corpora Contrahentium, circa quæ in ordine ad copulam conjugalem versatur contractus Matrimonij, quatenus reciprocè traditur potestas & jus exigendi illam, quòd inquam sint ad minimùm Materia Remota Sacramenti Matrimonij: tota ergo quæstio est, vtrum præter hanc Materiam, assignanda sit, aut assignari possit alia Materia proximior.

502. DICO 1. Ad satisfaciendum Concilio Florentino, requirenti Materiam ad omnia Sacramenta, nullam tamen pro Matrimonio assignanti, satis est, si pro Materia Matrimonij assignentur corpora contrahentium habilia ad copulam, & immunia ab alijs impedimentis dirimentibus. Ita reipsâ sentiunt Vasquez, Basilius Pontius, Gaspar Hurtadus, & apud hunc Adrianus & Covarruvias: Item Præpositus, Bellarminus & Sanchez, ac denique acriter eam defendit P. Dicastillo contra Card. de Lugo.

Probatur Conclusio. Eugenius Papa in allegato decreto non requirit nec assignat pro singulis & omnibus Sacramentis certum & determinatum genus Materiæ, v. g. Materiam proximam *ex qua*, sed aliquando sistit in assignanda Materia *circa quam* vt vidimus. atqui Corpora contrahentium sunt ad minimùm Materiâ *circa quam*, vt fatetur Lugo: ergo ad verificanda verba Concilij satis est assignâsse Corpora Contrahentium pro Materia, quidquid sit, an etiam alia possit assignari.

503. DICO 2. Corpora contrahentium non solùm sunt Materia circa quam versatur ipse contractus, sed etiam sunt Materia ex qua, tanquam parte constitutiva constat ipsum Sacramentum Matrimonij. Probatur ex Regula partium. Ablatâ enim Habilitate Corporum, cæteris omnibus positis, contractus & Matrimonium est nullum: ergo est materia *ex qua*, seu pars. Antecedens declaratur in casu & hypothesi reali, vbi omnes recipiunt Regulam, illud esse partem constitutivam, quo realiter non posito, omnibus alijs positis, non est positum totum. Ponamus ergo quod Petrus contrahat cum Maria, sua consanguinea in quarto gradu, absque dispensatione (quod est impedimentum auctoritate Ecclesiasticâ introductum) vel cum habente impotentiam ad copulam (quod est impedimentum juris naturalis) in hoc casu si vterque ignarus sit impedimenti, habent consensum & intentionem contrahendi Matrimonium, eúmque manifestant in facie Ecclesiæ &c. Ecce! hic omnia interveniunt, quæ desiderantur ad valorem Matrimonij, exceptâ habilitate corporum; ergo habilitate non positâ, omnibus cæteris positis non ponitur Sacramentum Matrimonij. est ergo pars constitutiva: atqui non est Forma Matrimonij: ergo tenet se ex parte Materiæ, ex qua constat Matrimonium.

504. Objicit Card. de Lugo 1. In alijs Sacramentis non est Materia id, quod tradi intenditur, sed id per quod significatur illa traditio, v. g. in Ordinatione Episcopi, quæ est quoddam Matrimonium Spirituale inter Episcopum & suam Ecclesiam, traditur Episcopo potestas supra suam sponsam, & supra fideles illius Ecclesiæ, nemo tamen dixit, Ecclesiam seu fideles illius esse Materiam illius Sacramenti, sed potiùs Vnctionem vel Librum. R. Negando paritatem, vnde potiùs confirmabitur nostra Conclusio. Ideo Ecclesia quæ designatur Episcopo consecrato, non est Materia illius Sacramenti ordinis, quia Spirituale Matrimonium inter Episcopum & Ecclesiam, ne quidem est pars constitutiva illius Ordinis, sed est prorsus extra illius essentiam: Nam etiamsi nulla Ecclesia subjiceretur Episcopo, modò consecraretur, haberet Sacramentum Ordinis, &

posset

posset validè alios ordinare, confirmare &c. Deinde Matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam per solam Electionem & Electionis Confirmationem sæpè contahitur, ante omne Sacramentum Ordinis. Procedit ergo argumentum ex falso principio, quasi traditio potestatis in Ecclesiam, sit de Essentia Ordinationis, sicut de Essentia Matrimonij est traditio potestatis in corpus. Illud etiam in argumento Lugonis non assequor, quòd Auctor supponat, Materiam Ordinis Episcopi esse Vnctionem vel Librum, cùm tamen cummunissima sententia Theologorum sit, quòd Impositio manuum Episcoporum sit Materia hujus Sacramenti: solus enim, quod sciam, Fornarius requirit Vnctionem capitis, & Sylvius Vnctionem manuum, quos refutat Dicastillo.

505. Posset tamen contra nostram Conclusionem afferri alia instantia, desumpta ex Sacramento Ostiariatûs. Nam per traditionem traditur potestas aperiendi & claudendi Ecclesiam, & hæc traditio est de essentia Ostiariatûs, & tamen non Ecclesia aut janua, sed claves sunt Materia ostiariatûs *ex qua*, Ergo non id, in quod traditur potestas, sed id per quod traditio exercetur, & significatur, est Materia Sacramenti. Respondetur iterum negando paritatem. Nam quando traduntur claves, & potestas aperiendi Ecclesiam, non traditur hæc potestas absoluta in aliquam determinatam in individuo Ecclesiam, sed indeterminatè, & quasi conditionatè, videlicet, si aliquando alicui Ecclesiæ præficiatur, & ad illius ministerium deputetur: sicut in Sacramento Præsbyteratûs datur potestas absolvendi à peccatis, nec tamen vlla peccata sunt Materia ex qua Præsbyteratûs. Ratio vtriusque est, quia etiamsi nulla peccata existerent, & nulla janua, adhuc conferrentur illi ordines, quia adhuc daretur potestas, licet per accidens nunquam esset exercenda. In Matrimonio verò traditur potestas in corpus determinatum, & quidem absoluta, & potestas illa nulla esset, si corpus conjugis non existeret, aut non esset ab omnibus impedimentis absolutum.

506. Confirmatur. Quando impedimentũ adest ante contractum, contractus est nullus: quando autem post Matrimonium contractum supervenit, perseverat Matrimonium. Atqui Sacramentum solùm perficitur quando celebratur contractus: deinde manet solus effectus, nempe reciproca obligatio, quæ non est Sacramentum. Ergo licet habilitas corporum non sit Materia constitutiva Matrimonij vt sic, & vt præscindit à statu *in fieri*, & *in facto esse*, est tamen Materia illius *in fieri*. Sicut Patena cum Pane, & Calix cum Vino est Materia non tantùm *circa quam*, sed etiam *ex qua*, Sacramenti Ordinis *in fieri*, non tamen est pars constitutiva potestatis acceptæ in facto esse.

507. Objicit Lugo 2. In omnibus alijs Sacramentis intervenit realiter ipsa Materia, vt Ablutio, Vnctio &c. atqui corpora contrahentia possunt non intervenire tunc temporis, quando conficitur Sacramentum Matrimonij: v.g. quando celebratur per Procuratorem: ergo non [illegible] Materia. R. 1. Majorem non esse [illegible] veram. Nam etiam in Sacramento Pœnitentiæ Dolor & Confessio possunt non esse realiter presentes ibi, vbi conficitur Sacramentum, putà enim præcessisse in loco & tempore distante. Sic enim aliquem nave vehi, & imminente naufragio dolere de peccatis & petere Sacerdotem, perrit is post plures horas, imò dies, & post plurimas leucas jam confectas, si fortè interim mentis ops fiat, virtute illius præteritæ & imperfectæ Confessionis, absolvi à Sacerdote post [illegible] superveniente, vt ex communi docet ipse Lugo, & tamen tunc Dolor & Confessio erunt Materia lius Sacramenti: ergo etiam corpora contrahentium ab invicem distantia poterunt esse Materia Sacramenti. R. 2. Transeat major & [illegible] negatur consequentia, & paritas cum Sacramento Matrimonij, in quo est specialis ratio: quia Christus voluit in illo servare Naturam contrahi, qui potest per procuratorem celebrari: licet eandem causam, licet in alijs Sacramentis debeat Minister esse præsens, in hoc tamen Sacramento hoc non est necesse, nam ipsi contrahentes sunt Ministri, & tamen non sunt in persona præsens. Porrò, quòd in alijs Sacramentis Materia debeat esse præsens, non provenit ex Natura Sacramenti in genere, sed ex Natura talis actionis qua in cætera Sacramenta, v.g. Ablutionis, Vnctionis &c. quæ non possunt exerceri sine aqua, oleo præsente.

508. Objicit Lugo 3. n. 16. In alijs contractibus v. g. Contractu Emptionis, venditionis non est idem id quod per contractum traditur & tenditur, & id per quod tanquam per materiam celebratur. Nam in contractu emptionis mercis, v. g. Domus, est id quod tradi intenditur, scilicet tem per quod significatur & celebratur ipsi traditio, sunt Claves vel Scriptura &c. per quarum traditionem celebratur contractus: quare claves vel Scriptura sunt materia ex qua propriè constat ille contractus, Domus verò est tantùm materia circa quam, seu objectum quod intenditur venire & transferri, non verò materia ex qua constat contractus, de qua sola materia hîc quæritur.

509. Respondeo 1. & quæro ex Lugone, an existimet, posse contractum emptionis celebrari circa materiam nondum in rerum natura existentem, necne? Si negat? Dico, existentiam mercis esse materiam *ex qua* illius contractus, ob argumentum desumptum ex Regula Patronus, cujus auctor est ipse Lugo, quando probat intentionem esse partem Sacramenti. Si verò affirmat (quod tamen negandum est, vt mox juris est) tunc nego paritatem inter Emptionem & Matrimonium: nam sine existentia mercis non possunt habilium, non potest contrahi Matrimonium. Porrò existentiam Mercis non esse de essentia Venditionis in genere, potest dici, quatenus vendi potest id quod tantùm [illegible] fore.

spe, nunquam fortassis exstiturum in re, v. g. partus ancillæ, fœtura gregis, jactus retis, fructus agrorum futuri. Eodem modo existentia pretij non est de essentia emptionis: Et hæc sit prima responsio.

510. Respondeo 2. Falsum esse, quòd Claves vel Scriptura sint materia essentialis ex qua constet contractus Emptionis: in quo sanè nescio quomodo lapsus sit Lugo, supponens in suo argumento, Contractum Emptionis non aliter quàm per traditionem veram vel fictam posse celebrari. Nam apertè Juris est, & habetur Titulo 23. libri 3. Instit. Contractum Emptionis non esse ex illo genere Contractuum, qui Re, hoc est, actuali traditione, perficiuntur, vt sunt contractus Commodati, Depositi, Mutui, sed est ex illo genere Contractuum, qui solo Consensu perficiuntur, & absque vlla traditione stat tota essentia contractûs, tametsi dominium mercis non transferatur nisi per traditionem, & hoc quidem Juris dispositione introductum est. Ergo nec Claves, nec Scriptura, sunt materia horum contractuum, vtpote de quorum essentia non est traditio.

511. Objicit 4. n. 19. Si omne illud esset Materia *ex qua* Contractûs, circa quod versatur ipse Contractus, sequeretur, quòd si quis stipularetur sibi scribendum librum à Petro, liber scribendus esset Materia contractûs stipulationis, quod est apertè falsum, quia contractus stipulationis verè subsistit, etiamsi Petrus postea non stet promissis, & librum non scribat. R. Hoc argumentum optimè formari contra illos, qui vnicè probant, Corpora contrahentium esse Materiam *ex qua*, quia sunt Materia *Circa quam*. Hac probatione ego non sum vsus, & ideo argumentum non est contra me. Sanè ex antè dictis constat, posse aliquid esse Materiam *circa quam*, quin sit Materia *ex qua*. Itaque non omnis Materia circa quam, sed illa sola est simul etiam Materia *ex qua*, de qua verificatur Regula partium, hoc est, quâ non positâ, cæteris omnibus positis, non valet Contractus: hæc autem Regula non procedit in libro scribendo, vt ipsa objectio rectè supponit; verificatur autem in Corporibus contrahentium, vt ostensum est: ergo ex contractu stipulationis ad Contractum Matrimonij non valet consequentia.

Dixi, librum scribendum non esse Materiam *ex qua*. Si enim consideretur liber non vt scribendus, sed vt scribibilis, seu possibilis scribi à Petro, seu ipsa potentia scribendi, potest dici esse Materia *ex qua*, quia vt sic est pars constitutiva stipulationis validæ, vt habetur §. 1. Inst. de Inutilib. stipulat. his verbis. [Si quis rem, quæ in rerum natura non est, aut esse non potest, dari stipulatus fuerit, inutilis erit stipulatio.]

Hactenus ostendimus, Corpora contrahentium esse Materiam *ex qua*. Restat videndum, an sint meta materia remota, possitque alia proximior assignari.

512. DICO 3. Non videtur posse assignari proximior Materia, quæ semper & vniversaliter ad Matrimonium requiratur & interveniat. Dixi: *quæ semper &c.* Concedo enim, quòd casu quo Matrimonium contraheretur per ipsam actualem copulam, animo maritali exteriùs manifestato præstitam, pro materia proxima assignari posset ipsa actualis copula, seu traditio corporum. Sed hanc non requiri clarum est. Quærimus ergo hîc Materiam proximè substantem verbis, quibus celebratur contractus Matrimonij, quæ sit distincta & à Corporibus contrahentium, & à verbis, sicut in Baptismo ablutio est materia proxima, aqua verò est Materia remota; & hanc ego nego posse assignari, quod probabo, impugnando aliorum sententias.

Primò ergo ab aliquibus assignatur Consensus internus, qui semper realiter distinguitur ab externa sui manifestatione. Ita sentit S. Thomas tam in primo quàm in secundo scripto, & vt probabilem defendunt Dicastillo & Arriaga.

513. DICO 4. Consensus internus non potest commodè & ad mentem Concilij Florentini assignari pro materia Matrimonij. Omissis aliorum probationibus, Probo 1. Concilium requirit talem Materiam, quæ sit distincta ab Intentione Ministri, quia requirit Intentionem Ministri talem, quæ determinet ipsam Materiam ex se indifferentem ad esse Sacramenti: requirit enim Intentionem faciendi quod facit Ecclesia: atqui Intentio contrahentium est ipsissima intentio Ministri, seu Ministrorum Sacramenti Matrimonij, nam vt habet certa sententia contra Canum, Ministri hujus Sacramenti sunt ipsi contrahentes, Parochus autem quando adhibetur ex constitutione Tridentini, tantùm fungitur officio Testis & Benedicentis Sponsos: ergo intentio contrahentium non rectè assignatur pro Materia hujus Sacramenti.

Dices: Concilium etiam designavit Rem, seu Materiam distinctam à Persona Ministri: atqui corpora contrahentium non distinguuntur à Persona Ministri: ergo neque corpora contrahentium deberent pro Materia assignari. R. Sufficere, quòd distinguantur Corpora à Ministro formaliter & reduplicativè sumpto, hoc est, à forma constituente Ministrum, quæ est intentio Ministri, neque plus requisivit Concilium.

Probatur Conclusio 2. In omnibus alijs Sacramentis assignatur Materia, quæ saltem secundùm aliquid est sensibilis, & quidem secundùm aliquid distinctum à Verbis tanquam forma: atqui Intentio contrahentium non fit sensibilis nisi per Verba, ergo non videtur commodè assignari pro Materia. Sanè Pontifex per Rem seu Materiam, videtur aliquid secundùm se sensibile intellexisse.

514. Secunda quorundam opinio est, Verba, quæ priùs proferuntur ab vno conjugum, esse Materiam, & Verba quæ proferuntur ab altero conjugum, esse formam. Ita Richardus, Ange-

lus, Victoria, Ledesma, Vega, apud Sanchez & Vasquez.

DICO 5. Neque hanc Materiam rectè assignari. Probatur 1. Quia non est Materia vniversalis pro omni casu possibili, vt, pro casu, quo ambo sponsi simul absolverent Verba, vel quo per actualem copulam contraherent, vel quo per Litteras simul scriptas, & notificatas. Sed meliùs

Probatur 2. Vterque conjunx est Minister: ergo vtriusque conjugis verba sunt forma. Probatur conseq. Forma debet proferri à Ministro: ergo vtriusque propria verba sunt forma, & sicut sunt duo Ministri constituentes vnum Ministrum completum, ita sunt duæ formæ constituentes vnam formam completam.

515. Tertia sententia est Card. Pallavicini, Verba seu Syllabas præcedentes vltimum instans terminativum totius propositionis, esse Materiam, existentiam autem vltimi indivisibilis esse formam.

DICO 6. Hanc esse subtilitatem Metaphysicam, alienam à mente PP. & DD. & præterea insufficientem, nec ad mentem Concilij. Probatur 1. Concilium dicit, Sacramenta constare verbis tanquam formâ: atqui vltimum instans seu indivisibile soni, non est Verbum, nedum Verba, sed potiùs Syllabæ præcedentes sunt verba: ergo malè assignantur pro Materia & indivisibile pro Forma. Probatur 2. Quia hac ratione in omnibus reliquis Sacramentis pro proxima materia assignandæ essent pariter præcedentes Syllabæ, & instans terminativum pro forma, quod hactenus nulli Theologorum, quod ego sciam, in mentem venit. Probatur 3. Quia verior sententia, quam sequitur ipse Pallavicinus, non admittit instantia terminativa distincta à partibus.

516. Et hæ sunt opiniones hactenus excogitatæ pro invenienda materia physica Matrimonij. Cæteri Theologi, vt Sanchez, Suarez, Bellarm. Conink, Bonacina, Perez, Lugo, & obiter P. Esparza, & Comptonus, recurrunt ad Materiam Logicam: nimirum in ipsis verbis, sive ea sint verba formalia sive æquivalentia, duas considerant formalitates, quarum vna sit respectu alterius forma. Jam dixi, & fatetur in terminis Pallavicinus, Mentem Pontificis & Concilij non se extendisse ad hanc materiam Logicam, nec vllam esse necessitatem Theologicam, assignandi talem materiam. Nihilominus in hac quæstione,

517 DICO 7. Potest admitti, quòd verba vtriusque Conjugis gerant simul officium Materiæ & officium formæ secundùm diversam considerationem. Declaratur. Possunt verba contrahentium considerari diverso respectu: primo quidem, quatenus habent rationem oblationis, nam ab oblatione incipit regulariter contractus, v.g. Mercator offert m ercem venalem pro pretio. Sic qui vult contrahere Matrimonium, offert se alteri in conjugem, & hæc oblatio præcisè sub conceptu oblationis, est adhuc indifferens vt determinetur vel non determinetur ab altero conjuge, quæ determinatio fit per acceptationem: itaque verba considerantur secundò sub conceptu acceptationis: ergo sub conceptu oblationis possunt dici habere rationem Materiæ, & sub conceptu acceptationis habere rationem formæ. Quia verò eadem verba ita habent rationem oblationis, vt simul etiam sint acceptatio reciproca oblationis (est enim contractus mutuus, & reciproca obligatio) ideo vniuscujusque contrahentium verba sub conceptu oblationis, sunt solùm materia Logica, & sub conceptu acceptationis, forma Logica.

518. Contra omnia hactenus dicta obiici posset. In omnibus Sacramentis materia prima & indifferens ad esse Sacramenti, est ipse sonus verborum, qui ad esse Sacramenti determinatur per significationem quam ille sonus habet ex prima institutione vocum: ergo ipsa significatio, seu vis significandi, erit forma. R. In ipsis quidem vocibus sonus rectè dicitur esse Materia, & vis significandi forma, sed respectu Sacramenti non item. Nam respectu Sacramenti illud dicitur forma, quod procedit ab intentione Ministri: atqui solus sonus, & non impositio significationis, procedit à Ministro, & sonus prout hic & nunc adhibetur ad Sacramentum, supervenit impositioni vocum, quæ pridem præcesserat: ergo rectè assignantur verba pro forma, non quidem sonus purus, sed sonus habens talem significationem.

519. Objici etiam posset auctoritas S. Augustini, qui videtur pro forma Sacramentorum assignare actum fidei, quo creditur ipsum mysterium. sic habet tr. 80. in Jo. [Vnde ista unda virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat nisi fiat verbum, non quia dicitur, NB. sed quia creditur. nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus manens, hoc est verbum fidei quod prædicamus.] His Augustini verbis abutuntur hæretici, ad probandum, quòd in administratione Sacramentorum debeat intervenire quædam concio, seu explicatio Mysterij quod agitur. R. Cùm actus fidei sit quid transiens, non potest S. Augustinus intelligi de actu fidei, quia dicit, virtutem verborum esse permanentem, & præterea Sacramentum Baptismi administratur parvulis sine vllo actu fidei eorum proprio. Itaque S. Augustinus per verbum, *Creditur*, vult significare ipsam institutionem Sacramenti, seu Mysterium quod est objectum fidei. Vnde in eodem Tract. in fine sic loquitur. [Hoc verbum fidei tantum valet in Ecclesia Dei, vt per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem etiam tantillum, mundet infantem, quamvis nondum valentem corde credere ad justitiam.

CON-

CONTROVERSIA II.

An, & quo sensu Materia & Forma Sacramentorum sit determinata à Christo.

520. CAtholica doctrina est, Materiam & Formam Sacramentorum aliquo modo à Christo ita esse determinatas, vt nec licitè nec validè possit ab Ecclesia in aliam mutari. Constat autem hæc veritas ex constanti traditione Ecclesiæ, & satis exprimitur in Tridentino sess. 21. c. 2. dicente, hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, vt in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, vel mutaret, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret. vbi per verba: *Salvâ eorum substantiâ*, innuit, substantialia esse à se immutabilia. In hac veritate propugnanda triplex est removenda Objectio, & prius

521. Advertendum est primò, quòd Christus Dominus in instituendis Materijs Sacramentorum, designaverit certa quædam prædicata rerum, v. g. prædicatum aquæ naturalis in Baptismo, Panis & Vini in Eucharistia, &c. secundùm quæ prædicata aliquid tamdiu voluit esse Materiam aptam, quamdiu illud prædicatum perseveraret, eo verò destructo noluit ampliùs esse Materiam aptam. Porrò destruere hujusmodi prædicatum, non est mutare materiam Sacramenti, in eo sensu, quo hîc negamus posse materiam mutari: est enim tantùm mutare materialiter & remotè, non formaliter. Vt ergo Ecclesia haberet potestatem mutandi materiam formaliter, deberet efficere posse, vt aliquid habens prædicatum à Christo designatum, non ampliùs esset idonea materia talis Sacramenti, v. g. vt aqua elementaris non esset ampliùs materia baptismi, vel econtra, vt aliquid non habens tale prædicatum, esset materia apta, v. g. vt aqua esset Materia Eucharistiæ, & hoc negamus posse ab Ecclesia fieri.

522. Advertendum 2. Christum pro quibusdam Sacramentis assumpsisse & designasse prædicatum purè physicum, vt pro baptismo aquam Elementarem fluidam: in Eucharistia panem triticeum, & vinum de vite, &c. pro alijs verò prædicatum aliquod morale, vt pro Sacramento Confirmationis voluit materiam esse Chrisma benedictum ab Episcopo consecrato; pro Sacramento Pœnitentiæ voluit esse materiam *circa quam* peccata, non quæcunque, sed hominis subditi, in quem à Pontifice esset collata Jurisdictio huic vel illi Sacerdoti: in extrema Vnctione voluit materiam esse oleum benedictum: in Sacramento Ordinis assumpsit ritum externum in genere, qui esset idoneus ad significandam collationem alicujus potestatis: in Matrimonio denique, corpora non impedita ad talem contractum ineundum, ex dispositione legis naturalis vel positivæ &c. Nunc ergo,

523. Objici solet 1. Ecclesia videtur mutare Materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Materia enim prout à Christo instituta est, sunt peccata hominis baptizati: atqui Ecclesia reservat aliqua peccata, quod nihil aliud est, quàm mutare materiam; non enim aufert Ecclesia prædicatum Peccati, sed relicto hoc prædicato, subtrahit quorundam Sacerdotum potestati certas species peccatorum, vt non possint ab illis absolvere. R. Ecclesiam in hoc puncto tantùm materialiter & remotè mutare materiam Sacramenti. aufert enim priùs prædicatum illud, quod à Christo est assumptum, sicut si quis vinum priùs converteret in aquam vel acetum, vt desineret esse materia Eucharistiæ. Ratio est, quia prædicatum à Christo attentum in peccato, non fuit prædicatum *Peccati* vt sic, alioquin etiam hominis non baptizati peccata essent materia, sed erat prædicatum *Peccati hominis subditi* respectivè ad talem vel talem Sacerdotem. Jam verò dedit Christus Ecclesiæ potestatem ligandi, hoc est, faciendi, vt hic vel ille Sacerdos non habeat Jurisdictionem in illos, qui talem speciem peccati commiserunt, quia non expediebat Ecclesiæ, vt omnium Sacerdotum Jurisdictio esset æqualis, hoc est æquè latè patens & vniversalis, sed potiùs vt esset quædam subordinatio, sicut videmus esse etiam in Jurisdictione civili: sunt enim quædam delicta, quæ non possunt inferiores magistratus judicare & punire, sed sunt reservata Principi. Cùm ergo actus hujus Sacramenti sit actus Jurisdictionis, & non purè actus ordinis, consequenter materia illius prout est à Christo taxata, semper est accipienda respectivè ad Jurisdictionem quam præsupponit: hoc autem prædicatum; *contineri sub Jurisdictione hujus & non illius Ministri*, est prædicatum separabile à peccato vt sic, & illud aufert Ecclesia per reservationem talis speciei; & per consequens non nisi remotè mutat materiam, sicut mutaret materiam Eucharistiæ ille, qui vino admisceret tantum aquæ, vt amitteret denominationem *vini vsualis*, quod est prædicatum à Christo taxatum pro Sacramento Eucharistiæ.

524. Hanc doctrinam verissimam malè applicans quidam Archiepiscopus, abusus est potestate suâ, existimans, se posse hoc modo reddere irrita Matrimonia contracta sine prævijs Denuntiationibus: quem casum sibi propositum resolvit Card. de Lugo lib. 1. Resolut. Moral. dub. 45. existimabat, inquam, ille præsul, se hac ratione denique post alia tentata media, posse in sua Diœcesi tollere abusum, quo multi per fraudem procurabant præsentiam parochi & aliorum testium, & in eorum præsentia sine prævijs denuntiationibus contrahebant. Statuit ergo ille Præsul, & declaravit, se pro omni tali casu suspendere potestatem Parochorum, perinde acsi non essent Parochi. Verùm hanc potestatem suspendendi negat Card. de Lugo competere Episcopis; hoc enim aliud

non esset, quàm inducere in sua Diœcesi impedimentum dirimens, vltra impedimenta jure communi introducta, quam potestatem, vtpote versantem in re gravissima, nunquam concessit Ecclesia Romana inferioribus Episcopis. Quæ resolutio est conformis decisioni Congregationis Cardinalium Interpretum Tridentini, quæ videri potest apud Sanchez *lib. 3. de Matr. disp. 21. n. 12.*

525. Objici potest 2. Materia Matrimonij prout à Christo assignata, alia non erat, quàm illa ipsa quæ priùs erat & semper est Materia ipsius Contractûs Matrimonialis, nempe Corpora Habilia ad copulam. Atqui Concilium Tridentinum videtur hanc materiam mutâsse, quando annullavit Matrimonia clandestina, quæ priùs valebant, & quando ipsum vel Ecclesia per alios præcedentes Canones introduxit alia impedimenta dirimentia: sicut enim diceretur mutare Materiam Baptismi, si vltra aquam naturalem requireret ad valorem Baptismi Oleum Aquæ admiscendum, & certas Benedictiones, cùm Christus solam Aquam Naturalem voluerit sufficere, ita censebitur mutâsse Materiam Matrimonij, si vltra corpora secundùm se apta ad copulam, ex jure divino & naturali, requirit præsentiam parochi & testium.

Respondetur eodem modo sicut ad priorem casum. Materia à Christo instituta pro Sacramento Matrimonij est eadem quæ est Materia hujus Contractûs. Materia autem hujus contractûs non sunt quæcunque corpora physicè considerata, & physicè idonea ad copulam, sed Corpora Personarum quarum consensus à legitimo Magistratu non sit reprobatus. Sicut enim irritantur contractus Pupillorum, Minorennium, Conjugum, Prodigorum &c. celebrati sine requisitis à Lege Solennitatibus, ita & Contractus Matrimonij poterat irritari, nisi intervenirent solennitates requisitæ à legitimo Magistratu, hic autem Magistratus est Ecclesiasticus apud Christianos, quia Contractus Matrimonij est elevatus ad rationem Sacramenti. Itaque Ecclesia irritando consensum contrahentium sine parocho & testibus, aufert prædicatum *Consensûs legitimi*, seu legi conformis, sicut etiam aufert habilitatem à personis sanguine aut affinitate in certo gradu conjunctis.

526. Objici potest 3. ex Sacramento Ordinis. Constat enim ex historijs, quòd olim fuerit collatus ordo Præsbyteratûs & Diaconatûs per impositionem manûs tanquam per materiam, & hodiéque Græci hac solâ materiâ vtuntur, ac temerarium esset dicere (teste Dicastillo) Græcos non consecrare validè, nec esse ordinatos: atqui hodie in Ecclesia Latina Materia Præsbyteratûs est Calix & Patena cum Vino & Pane, & Materia Diaconatûs est Liber Evangelij, vt ex Florentino suprà recitavimus: ergo Ecclesia assumpsit aliquid in Materiam Sacramenti, quod non erat à Christo institutum.

527. In hoc puncto P. Adamus Tannerus post alios quosdam *disp. 7. q. 2. dub. 3. n. 59. & 60.* sequentia docet. Primò, Traditionem Evangelij esse à Christo determinatè institutam pro materia saltem partiali Diaconatûs, adeo vt eâ omissâ non possit vnquam esse valida ordinatio. Docet 2. Materiam Præsbyteratûs à Christo institutam fuisse tem partialem esse traditionem Calicis & Patenæ. Docet 3. n. 102. Se existimare, Græcos eam tempore Florentini hac Materiâ vsos esse, & non solâ manuum impositione, quia nullus auctor hunc Græcorum morem refert. Vnde infert n. 104. si Græci aliqui aliter faciunt, se existimare eos in Ecclesia Latina non esse tolerandos, nec sic ordinatos pro Sacerdotibus habendos esse. Verùm,

528. Contra primum Tanneri assertum est Argumentum efficax, desumptum ex primitiva Ecclesia, in qua fuerunt ordinati Diaconi, vt S. Stephanus, antequam vllus Evangeliorum liber conscriptus esset, & ab Ecclesia receptus. Contra secundum & tertium assertum, stat praxis constans Græcorum, non solùm in Græcia, sed etiam in ipsa Vrbe Roma, sciente & consentiente Summo Pontifice. Creant enim Romæ Episcopi Græci per solam manuum impositionem Præbyteros, idque Card. de Lugo n. 85. testatur, in præsentem spectâsse. Imò Clemens VIII. anno 1593. 31. Augusti, instructionem edi jussit, quæ est in ordine decimaquarta, vbi §. 7. sic habetur. [Insuper Sanctissimus Dominus noster censuit, Romæ habendum esse Episcopum Græcum Catholicum, qui Græcos ritu Græco ordinet.] Ergo Ecclesia Latina habet tales pro veris præsbyteris.

529. Alij aliter ad objectionem respondent, & dicunt, solam manuum impositionem etiamnum apud Latinos quoad substantiam teneri, tanquam materiam essentialem hujus ordinationis, cætera verò tantùm requiri ex præcepto, non ad validam, sed tantùm ad licitam ordinationem. Ita Arcadius lib. 6, Concordiæ c. 7. pro qua sententia refertur à P. Dicastillo S. Bonaventura & Petrus Sotus, eandem tenet Petrus Mercatius, atque eam probabilem judicat P. Esparza; quæ sententia si vera est, cessat tota difficultas. Sed quia contraria longè verior est, ideo aliter respondendum est: &

530. Dicendum cum Nicolao Serario, Lugo, Dicastillo, Pallavic. Esparza, & alijs, nec impositionem manuum determinatè, nec traditionem Patenæ & Calicis determinatè fuisse à Christo designatam pro materia; sed in genere ritum externum significativum collationis ab cujus potestatis, constitutum ab Ecclesia. Hic generale prædicatum solum designavit Christus. Cùm ergo possint esse varij ritus ita significativi, potest Ecclesia, quemcunque voluerit, determinare, quia jam habet totum prædicatum à Christo requisitum. Talis ritus est tam impositio manuum, quàm traditio Calicis & Patenæ.

Et quidem Apostoli à principio elegerunt solam manuum impositionem, vt tradit Innocentius IV. *in cap. Præsbyter, de Sacram. non in-*

vnda

randio, & in ipso capitulo quod est Gregorij IX. satis clarè significatur his verbis, parentheſi inclusis, (*ritu ab Apostolis introducto*) vox enim: *introducto*, non potest nisi violenter (vt facit Tannerus) intelligi, quòd Apostoli primi observaverint ritum à Christo institutum: nam hac ratione possent Apostoli etiam dici cæremoniam Baptismi introduxisse, quia vsurpârunt & observârunt primi; qui modus loquendi non esset tolerandus.

CONTROVERSIA III.

Quanta Materiæ Variatio esse debeat, vt reddat Sacramentum invalidum.

531. CErtum est, aliquam variationem materiæ posse esse tantam, vt in ea non possit ampliùs confici Sacramentum, v. g. si vinum fieret acetum. Hanc mutationem vocant Theologi *Substantialem*. Non tamen omnis variatio est talis, vt tollat idoneitatem materiæ ad conficiendum inde Sacramentum, v. g. si panis sit fermentatus, si vinum nonnihil acescat: hæc vocatur mutatio merè accidentalis.

532. Quando jam quæritur Regula cognoscendi, quænam mutatio tollat vel non tollat idoneitatem materiæ, non rectè respondetur, illam tollere, quæ est mutatio substantialis, illam verò non tollere, quæ est tantùm accidentalis. Imprimis enim hoc est alijs terminis brevioribus respondere id quod quæritur. Theologi enim brevitatis gratiâ vtuntur illis terminis. Deinde illa Regula præbet ansam deceptioni. posset enim aliquis ex ea velle inferre, quòd quando mutatio non fit in substantia, non sit mutatio substantialis Theologicè, quia non est mutatio substantialis physicè: econtra quando mutatio fieret in substantia, inferret alius, esse mutationem substantialem Theologicè, cùm tamen vtrumque fallat. Nam aquam esse fluidam, vel congelatam, est mutatio merè accidentalis, physicè loquendo; & tamen Theologicè loquendo est mutatio Substantialis, quia aqua congelata non est idonea Materia Baptismi. Item massa panis cocti non nisi accidentaliter, physicè loquendo, videtur differre à massa non cocta, & tamen hæc est variatio Theologicè Substantialis, quia massa non cocta non est materia idonea Eucharistiæ. Item nimia arctitudo vel frigiditas corporis, reddens impossibilem copulam, est mutatio tantùm accidentalis physicè loquendo, & tamen reddit Materiam Matrimonij invalidam, & est Theologicè Substantialis mutatio: Denique, Chrisma esse vel non esse Benedictum, est tantùm diversitas accidentialis, physicè, Theologicè verò Substantialis. Econtra panis fermentatus differt physicè substantialiter à non fermentato, & tamen Theologicè tantùm est diversitas accidentalis.

533. Dicendum, & pro Regula statuendum est, tunc variationem materiæ Sacramentalis esse Theologicè Substantialem, quando vi talis variationis non ampliùs continetur sub significato proprio, secundùm communem intelligentiam accepto illarum vocum, quibus Scriptura & Patres atque Concilia vsa sunt, quando nobis Materiam expressêrunt.

Ratio ex dictis traditur. Tunc enim aliquid desinit esse Materia Idonea, quando desinit habere illud prædicatum, quod Christus in præscribenda materia attendit, & cui illam alligavit: atqui quando variatio talis est, vt non ampliùs significari possit illis vocibus, quibus Christus, Apostoli, Evangelistæ, Patres & Concilia, per continuam traditionem vsi sunt ad significandam materiam Sacramentorum, hoc ipso non habet ampliùs illud prædicatum, quia illud prædicatum debet principaliter per talem vocem exprimi, & quamdiu illud manet, adhuc continebitur sub significato talis vocis. Ergo &c.

Exemplificatur Regula. Pro Materia Baptismi designata est aqua elementaris. Si quis aquæ tantum vini misceret, vt inciperet esse vinum vsuale, desineret esse materia idonea Baptismi. Econtra si vino tantùm aquæ affunderet, vt desineret esse Vinum vsuale, desineret esse materia Calicis. Simili modo discurrendum est de pane triticeo, de Chrismate, Oleo &c.

534. Objicies. Glacies adhuc vocatur aqua, & tamen non est idonea materia Baptismi: ergo potest aliquid retinere prædicatum constitutum à Christo, & tamen amittere rationem materiæ Sacramentalis. R. Prædicatum, quod Christus assignavit, non est prædicatum aquæ, vt sic, sed aquæ aptæ ad lavandum, debet enim materia remota esse conjungibilis cum proxima, hæc autem est ablutio. Econtra vinum congelatum adhuc est consecrabile, quia Sacramentum Eucharistiæ non consistit in vsu, seu potatione, & forma Calicis etiam circa Species congelatas verificatur.

535. Non ignoro, vltra Regulam nostram tradi à P. Esparza aliam, & est hæc. Solâ illâ, & qualibet Additione, Detractatione, vel Alteratione materia redditur inidonea, quâ ex rebus Analogia cum effectu Sacramenti, & Symbolica ejusdem Repræsentatio aufertur. Hæc tamen Regula pluribus instantijs obnoxia est, & ad praxin parùm servire potest. Nam si quis aliquem ablueret aquâ rosaceâ, vel artefactâ, vtique haberet eandem analogiam cum ablutione animæ, quam habet ablutio facta aquâ elementari: & tamen aqua rosacea non censetur materia idonea Baptismi. Item si Chrisma benedictum à simplici Sacerdote adhiberetur ad Confirmationis Sacramentum, non minùs Symbolizaret effectum illius Sacramenti, quam Chrisma benedictum ab Episcopo, nec tamen est materia idonea. Præterquam quòd pauci Theologi ad Symbolizationem attendant, cujus propè nullam mentionem faciunt, quasi essentialiter requiratur, & regula, quam in præsenti quærimus, debeat etiam paro-

chis esse perspecta, qui nihil vnquam de hac Symbolizatione in sua Theologia audierunt.

CONTROVERSIA IV.

Quænam variatio formæ obsit valori Sacramentorum.

536. VAriatio verborum varijs modis fieri potest: Substitutione vnius pro alia, additione, detractione, corruptione syllabarum, interruptione pronuntiationis, transpositione vocum. Huc etiam revocatur, si Minister proferat quidem verba requisita, sed cum errore circa eorum significationem, putans aliud significare, quàm reverà significent: item si vtatur verbis æquivocis, quæ quidem etiam verum & debitum sensum recipiant, sed Minister alium sensum intendat, nolens proferre in illo sensu quem habent verba in vsu Ecclesiæ. Denique si Minister addat vel detrahat verba quæ putat esse de essentia formæ Sacramentalis, cùm tamen non sint. Exempla in progressu dabuntur, quando pro his omnibus casibus Regulas generales trademus, quarum deinde applicatio pertinet ad Theologos Morales.

537. Duæ autem Regulæ generales tradi recipíque solent ab omnibus, post S. Thomam q. 60. a. 8.

Prima Regula est hæc. Quæcunque variatio non invertens sensum formæ à Christo ad nos per traditionem transmissæ, & ab Ecclesia communiter vsurpatæ ac præscriptæ, non obest valori Sacramenti, præcisè attentâ variatione. Dixi: *præcisè attentâ variatione.* quia vtrum accedente errore, vel perversâ intentione Ministri, intendentis per talem mutationem inducere errorem in Ecclesiam, reddatur forma insufficiens ad conficiendum Sacramentum, est specialis quæstio & difficultas, de qua dicemus seq. Controv. Ratio Regulæ est. Nam verba non sunt assumpta propter Materialem Sonum, qualis fortassis attenditur in incantationibus, sed propter formalem vim significandi, quam habent in ratione Idiomatis ex sua institutione: si ergo hanc non amittunt per mutationem, habent adhuc totum quod requiritur ad formam substantialem Sacramenti.

Regula 2. Variatio pervertens sensum formæ ab Ecclesia præscriptæ adeo, vt non significet ampliùs id quod Christus per formam à se institutam voluit significare, invalidum reddit Sacramentum. Patet Regula per argumentum à contrario. Amissâ enim significatione amittunt verba id, quod Christus substantialiter requisivit, & perinde est ac si Minister penitus fileret: ergo non fiet Sacramentum.

Hæ Regulæ, quantumvis ex se evidentes sint, earum tamen applicatio ad casus dubios adeo difficilis est, vt Doctores traxerit in Oppositas Resolutiones. Auxit difficultatem resolutio quædam Zachariæ Papæ, & S. Thomæ, quas statim referam, videntur enim regulis contrarias resolvisse.

538. Objicitur ergo 1. Ex secunda Regula sequitur, non valuisse Baptismum circa quem consultus est Pontifex Zacharias, vt refertur in Canone *Retulerunt de Consecr. dist. 4.* Cùm enim relatum esset ad sedem Apostolicam, Sacerdotem quendam Baptizâsse sub hac forma: Ego te Baptizo in nomine Patria, & Filia, & Spiritus Sancta, & Bonifacium illius loci Episcopum judicâsse contra Valorem Baptismi: respondit Papa in hæc verba. [Si ille qui baptizavit, non erroneum inducens aut Hæresin, sed pro sola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam, Baptizans dixisset, non possumus consentire, vt denuo Baptizetur.] Hæc Papa. Subsumitur. quia in illis verbis forma à Christo constituta interrupta fuit, vt non significaret ampliùs id, quod Christus per formam à se institutam voluit significare, vt cuivis manifestum est: ergo minoris significationis formæ non obstat valori Sacramenti. Respondetur tamen, illarum vocum corruptionem non abstulisse in illis circumstantijs, & attentâ communis vsûs accommodatione, significationem à Christo institutam, & quam habent verba incorrupta. Rationem bonam reddit Card. Pallavicinus. Hoc ipso enim quòd instituta aliqua lingua, necesse est, vt propter rusticam, balbutiem, & negligentiam populi loquentis, significatio primaria attributa vocibus incorruptis, Secundariò transferatur etiam ad eas voces, in quas pronum est vitiari voces incorruptas, alioquin institutio linguæ & obligatio veracitatis, esset ferè inutilis in Republica. Itaque Pontifici Zachariæ visa est illa corruptio formæ propositæ, adhuc esse intra limites corruptionis, ut, quam lingua imperiti parochi deflectere posset & deflexisse præsumitur in homine idiota & alio quin non malæ famæ, nec suspecto de malitiosa corruptione.

539. Objici potest 2. Ex nostra Regula sequi videtur, Baptismum nuper administratum à Neophytis in Regno Tunchinensi, fuisse invalidum, quod tamen dicere durum videtur. Sequela probatur. Nam in idiomate illius Regni vox *Nomen*, non significat Auctoritatem seu Virtutem, qualem significationem censetur habere in forma Baptismi, sed vel significat appellationem, vt famam. ergo juxta Regulam secundam illa forma fuisset invalida, quia sensus illius fuisset. *In appellatione vel fama Patris &c.* qui est omnino adversus sensus ab hoc: *In auctoritate.*

540. De hoc puncto disputatum est, vt colligo ex Card. Pallavicino, qui fatetur, practicè loquendo illum Baptismum Neophytorum fortassè fuisse incertum, adeoque iterandum sub conditione, speculativè tamen judicat fuisse validum. Ad objectionem ergo respondet, non esse essentialiter requisitum ad Baptismum vera

bulum tantæ efficacitatis, quantæ est illud: *in Nomine*: etenim nos ipsi in lingua propria latina non habemus vocem synonimam, respondentem Ecclesiasticæ significationi hujus vocabuli. Nam vox, *Nomen*, originariè solùm significat id, per quod aliud noscitur, & ita deducitur à *Noscendo*, sicut Flamen à flando, tegmen à tegendo, sed quoniam qui agit ex alterius auctoritate & virtute, solet illum nominare, & facit illum cognosci, ideo vox illa *nomen*, adoptavit hanc aliam significationem; *in virtute, ex auctoritate*. Quare eandem significationem censebitur adoptâsse in lingua Tunchinensi, positâ intentione loquentium, volentium vtique loqui in eo sensu, quem intendebant eorum instructores & Catechistæ. Ita Pallavicinus: cujus resolutio mihi vera videtur. Quia tamen contra eam replicari posset, quasi tribueret privatæ auctoritati potestatem adoptandi vocibus novam significationem vltra originariam, ideo magis declaranda videtur.

541. Adverto itaque primò, quòd cùm Christus voluerit, vt in quovis idiomate posset Baptismus administrari, inconveniens fuisset, si pro linguarum diversitate difficilis redderetur vsus Baptismi, & arctaretur via salutis, vt loquitur S. Thomas hic q. 60. a. 5. ad. 3. vbi observat, res quarum vsus est necessarius in Sacramentis, vel haberi communiter, vel parvo studio comparari posse, & ideo Christus in aqua potiùs quàm alio liquore Baptismum instituit. Quare si quod idioma non habet voces, quæ ex primæva institutione significant illud, quod exigit Forma Baptismi, debent saltem in promptu esse vocabula, quæ habeant significationem affinem, ratione cujus possint facilè, & ipso vsu acquirere significationem ascititiam, sufficientem ad formam Baptismi.

542. Adverto 2. Voces habentes primævam significationem, facilè posse ascitiam significationem adipisci, præsertim quando vsurpantur ab illis, qui publicâ auctoritate loquuntur, & hoc probat quotidiana experientia in scholis, vbi Magistri introducunt vsum quarundam vocum non solùm penitus novarum, sed etiam tribuunt vocibus jam significationem habentibus, aliam ascititiam. Sic Theologi vtuntur voce Dotis & Aureolæ in alio sensu quàm qui primævus est; sic Juristæ vtuntur voce *Actionis*, quâ significant jus petendi in Judicio, quod sibi jure debetur; & voce, *Caussæ*; pro lite vel Materia litis, & Philosophi voce *Appetitûs*, pro indigentia Materiæ, & voce *Discursûs*, pro Ratiocinatione. Hæc autem facilitas adsciscendi novam significationem inde etiam ex parte proficiscitur, quòd ijs vocibus vtentes, loquantur in illis circumstantijs, quæ si auditoribus sint bene perspectæ, absque vlteriore instructione deveniant in illum conceptum novum, ad quem generandum loquens vtitur tali voce. His animadversis

Possumus imprimis respondere ad objectionem, deinde ad casum ipsum. Ad objectionem quantùm necesse est ad defensionem nostræ Regulæ, facilis est Responsio, distinguendo sequelam, sequeretur esse invalidum illum Baptismum, si vox illa *Nomen*, per vsum illorum Neophytorum, non acquisivit ascititiam Ecclesiasticam significationem, vt significaret etiam auctoritatem, saltem in prolatione illius vocis, concedo sequelam; si verò acquisivit illam adscititiam significationem, nego sequelam. An autem acquisiverit, vel non acquisiverit, est potiùs quæstio facti quàm juris, & ideo nihil inde præjudicij potest accidere Regulæ certissimæ.

Jam ad Casum ipsum potest responderi, probabiliter illum Baptismum fuisse validum, quia vox illa Tunchinensis, substituta voci latinæ, *In nomine*, acquisivit eundem sensum ascititium, quem habet apud latinos vox *Nomen*. & significavit etiam auctoritatem ex ipso vsu Ministrorum Baptismi, qui loquebantur auctoritate publicâ, tanquam Ministri Christi & Ecclesiæ, quæ pro tali casu vtique vult ratificare talem substitutionem.

543. Objici potest 3. contra secundam Regulam, ex qua sequi videtur, Baptismum Dalmatarum, jam tot sæculis vsitatum, non fuisse validum, vtuntur enim pro verbo, *Baptizo*, verbo *Karstim*, quod videtur derivatum à voce *Karst*, quæ significat Christum, & consequenter *Karstim* significabit: *Christianum facio*, seu *Christizo*: non est autem hujus vocis significatum idem quod vocis *Baptizo*: ergo mutata est significatio vocis à Christo institutæ. Respondet ad hunc casum Card. de Lugo lib. 1. Moral. dub. 3. (ex informatione quam à docto Dalmata accepit) negando quòd vox *Karstim* significet idem quod; *Christianum facio*. Nam in tota Scriptura S. Dalmatici Idiomatis, semper illa vox vsurpatur ad significandum Baptismum qualemcunque, vt Joannis Baptistæ: est autem absurdum dicere, illos interpretes ita vertisse, vt qui à Joanne Baptizatus esset, diceretur Christianus factus. Itaque vox *Karstim*, accepit significationem sacram, vt aliud non significet quàm *Baptizo*.

CONTROVERSIA V.

Quomodo error, vel intentio perversa Ministri, circa vocum significationem & vsum, possit obesse valori Sacramenti.

544. NOtandum 1. Ministrum, nullâ factâ verborum à Christo præscriptorum variatione aut corruptione, posse errare circa eorundem significationem aut necessitatem, item circa Sacramentorum efficaciam. v. g. si existimaret, in forma consecrationis calicis, particulam *Hic*, habere sensum adverbialem, non demonstrativum: item si judicaret aliqua verba, quæ solent in ad-

in administratione Sacramentorum recitari, sed non tanquam essentialiter requisita, si inquam judicaret, illa esse essentialiter requisita, & ad valorem Sacramenti necessaria, v.g. illa verba in consecratione calicis: *Novi & æterni Testamenti:* vel in absolutione Sacramentali illa verba: *à peccatis tuis.* Denique si existimaret, in Sacramento extremæ Vnctionis imprimi characterem, vel in Sacramento Ordinis non imprimi.

545. Notandum 2. cum istis erroribus posse à Ministro conjungi intentionem dupliciter. Primò quidem vniversalem & primariam, faciendi & significandi per illa verba, quidquid vult fieri & significari vera Ecclesia, & prout ea Christus instituit, sive suæ privatæ opiniones vetæ sint sive falsæ. Secundò & econtrario, posset habere intentionem restrictam, non conficiendi Sacramentum, nisi Veræ sint suæ opiniones: & tunc certum est, nihil fieri, ob defectum sufficientis intentionis; quamvis in nullo, ne quidem Hæretico, facilè tam malitiosa intentio præsumatur, nisi specialiùs illam prodat; sed potiùs præsumitur primaria & vniversalis intentio, absoluta à veritate vel falsitate suæ opinionis privatæ, vt patet in Baptismo Hæreticorum, qui pro valido habetur, etiamsi Minister erret circa illius efficaciam & effectus.

546. Notandum 3. Posse etiam Ministrum errare variando verba Ecclesiæ, ita tamen, vt adhuc in communi vsu & consuetudine retineant verum sensum, & nullum alium, tametsi illa Minister aliter intelligat, & putet ex errore, habere alium sensum: v.g. si Baptizaret in nomine Patris Omnipotentis, & Filij Sapientis, & Spiritûs S. Paracliti, existimans, hæc attributa esse & significari tanquam singulis personis propria, cùm tamen revera sint communia omnibus Tribus. Deinde potest mutare verba, substituendo verba æquivoca; animo inducendi suam erroneam opinionem circa sensum verborum in Ecclesiam: v.g. si Minister ille, de quo consultus fuit Zacharias Papa supra relatus, pronuntiâsset *Filia*, pro *Filij*, non ex ignorantia latini sermonis, sed animo hæretico, quo putâsset dari in Trinitate Filiam, & voluisset in hoc verborum sensu & non alio baptizare; quo casu illa vox fuisset æquivoca, vt fatetur Lugo & Pallavicinus; nam, vt suprà vidimus, in his circumstantijs posset habere significationem veram, & simul etiam posset habere significationem falsam, quatenus ex primæva institutione significat fœminam. Pro his & similibus erroribus pono sequentes Conclusiones.

547. DICO 1. Error primi generis in primo Notando relati, non impedit valorem Sacramenti, si simul adsit intentio generalis & primaria, faciendi & significandi per hæc verba, quod per illa intendit significare & facere vera Ecclesia, præscindendo à veritate aut falsitate suæ privatæ opinionis, circa significationem aut necessitatem vocum. Probatur. Intentio non alligata errori, est sufficiens: ista non esset alligata: ergo esset sufficiens. Minor supponitur. Major probatur. Si non esset sufficiens, ex eo capite non esset sufficiens, quòd non esset conjuncta cum intelligentia verborum: sed hoc non obstat; nam ad valorem Sacramenti non requiritur, vt Minister non ligat vllo modo verba, vt apud omnes certum est.

Confirmatur à simili. Si quis ducat vxorem, putans esse virginem, quæ tamen est corrupta, valet Matrimonium, etiamsi fuerit habituliter ita comparatus, vt si sciviisset esse corruptam, non duxisset; quia præsumitur præsentem intentionem non alligâsse opinioni suæ de Virginitate: ergo potest intentio absolvi ab hujusmodi opinionis veritate, etiam in administratione Sacramentorum.

548. DICO 2. Quando Minister habet particularis, de industria prætermissis verbis ab Ecclesia præscriptis, alia substituit æquivoca, quæ & sensum Ecclesiæ, & simul etiam sensum alterum à sensu Ecclesiæ admittunt, & ea profert ex errore in sensu falso, & quidem animo inducendi novum ritum & formam Sacramentalem in Ecclesiam, tunc meritò præsumitur, vel certè probabile dubium & suspicio est, quòd Sacramentum sit nullum, ex defectu scilicet intentionis generalis proferendi verba in sensu Ecclesiæ, & ideo non Sacramentum esset iterandum. Probatur. Qui talis minister præsumitur habere intentionem restrictam & alligatam alieno sensui verborum & intento.

Dixi: talem præsumi, aut saltem suspicionem esse, quòd habeat intentionem alligatam. Absolutè enim loquendo posset etiam cum tali animo inducendi novum ritum in Ecclesiam, habere intentio primaria generalis & absoluta proferendi verba in sensu Ecclesiæ, si forte verba haberent in Ecclesia vera alium sensum. Hoc in primis agnovit S. Thomas hic a. 8. in C. dicens [quodsi minister intendat alium ritum inducere, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur ponere Sacramentum, quia non videtur quòd intendat facere id quod facit Ecclesia.] Quibus verbis indicat S. Thomas, posse absolutè & cum intentione inducendi novum ritum cum errore circa verba, stare intentionem generalem & primariam faciendi quod facit Ecclesia.

549. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ Græcæ, in qua Ministri sunt in eo errore, quòd abhorrentur formam Latinorum, *Ego te baptizo*, non esse legitimam, & ideo vtuntur alia: *Baptizatur servus Christi*, & intendunt hunc ritum inducere in Ecclesiam totam, neque tamen eorum Baptismus improbatur ab Ecclesia latina: ergo supponit & præsumit Ecclesia latina, eorum intentionem non esse alligatam illi opinioni, sed primariò eos velle illa verba proferre in eo sensu, quem habent etiam verba Ecclesiæ latinæ, hoc est in vero sensu.

550. Cæterùm de aliquo particulari Ministro, habente hujusmodi perversam intentionem inducendi novum ritum (quales non sunt Ministri gra-

stri græcæ Ecclesiæ, cùm observent morem suæ Ecclesiæ) meritò præsumeretur defectus generalis intentionis; & ex hoc fundamento Pontifex Zacharias *in cap. Retulerunt*, obiter indicavit, quòd si Minister ille non ex ignorantia linguæ latinæ, sed ex intentione inducendi opinionem erroneam, dixisset: *Filia*, pro Filij, baptismus esset iterandus, quia ejus valor dubius esset.

551. Dices. Quin imò videtur potiùs de tali Ministro præsumendum, quòd habeat intentionem generalem & primariam, sicut modò dictum est de Græcis. Non enim apparet vlla ratio, ob quam de tali Ministro cogitandum sit, quòd nolit valere Baptismum, si verba non habeant sensum à se intentum, sed alium in Ecclesia receptum, ob quem adhuc cum illis verbis valeret baptismus, si velit Minister facere, quidquid per illa verba fieri potest.

Respondeo, duplici modo posse intentionem restringi & alligari ad sensum falsum. Primò, cum expressa reflexione dicendo: si hic sensus non est verus, nolo valere Baptismum, etiamsi ob alium sensum valere posset. Hanc perversam intentionem etiam ego existimo non facilè de vllo Ministro præsumi posse aut debere, sed potiùs præsumendum esse, adesse primariam & absolutam intentionem faciendi quidquid per hæc verba in Ecclesia fieri potest, si Minister reflexè advertat sua verba habere sensum duplicem, & in alio sensu quàm suo vsurpari ab alijs, per verba æquivalentia & in Ecclesia recepta.

Itaque secundo modo potest restringi intentio quasi in actu exercito, quem modum restringendi videtur agnovisse Vasquez d. 129. & ex eo Arriaga n. 13. nempe, quando Minister ne quidem per suspicionem cogitat de alio sensu verborum, quàm de illo, quem ipse intendit, dum variat verba Ecclesiæ. In hoc casu reverà pronum est cogitare, quòd non habeat intentionem primariam & generalem faciendi per ea verba, quidquid in quocunq; sensu per ea fieri potest: ad hanc enim intentionem videtur prærequiri saltem aliqua cogitatio, an non possint verba habere alium sensum, præter sensum à se intentum. Certè ad minimum erit dubium, an talis intentio adfuerit, & probabilius erit non adfuisse, ob rationem allatam. Itaque Minister ille, qui pro *Filij*, dixisset *Filia*, non ex ignorantia linguæ latinæ, sed ex errore, quia opinatus esset, in Deo dari fœminam, probabilissimè nec per suspicionem cogitasset, posse vocem *Filia*, habere eundem sensum, quem habet vox *Filij*, ex ruditate scilicet alicujus Ministri. Certè hæc æquivalentia adeo non est intellectu facilis, vt nisi Auctoritas Zachariæ Papæ Theologis ansam dedisset & necessitatem intulisset, hunc sensum altiùs scrutandi, fortassis plerique cum Episcopo Bonifacio judicâssent, formam illam nullum bonum sensum habere: quid ergo mirum erit, si Minister non ignarus linguæ latinæ, nullam suspicionem concepisset de tali æquivalentia & sensu verborum?

552. DICO 3. Quando adjiciuntur post formam Ecclesiæ, alia verba, constituentia sensum falsum, tunc non potest vniversim dici, quòd Sacramentum vitietur; nec etiam absolutè dici potest, quòd non vitietur, sed aliquando vitiabitur, aliquando non vitiabitur, pro diversitate adjectionis factæ. Ita Suarez, Lugo, Dicastillo, Arriaga, qui vltimus tamen à prioribus differt in declaratione Conclusionis. Declaratur Conclusio. Verba aliqua talis sunt conditionis, vt si formæ Sacramentali in fine adjiciantur, totam formam reddant falsam: quare per hujusmodi adjectionem forma est substantialiter mutata, juxta Regulam superiùs traditam. Alia autem verba sunt talis conditionis, vt etiamsi adjiciantur formæ, nihilominus forma secundùm se considerata, retineat suam veritatem, & tunc talis adjectio non est mutatio substantialis. Res hæc exemplis declaranda est. Si quis consecraret his verbis. *Hoc est corpus meum aereum*, hoc est, ex ære assumptum, vitiaret formam & veritatem totius formæ, contentæ in prioribus verbis, per solam adjectam particulam; *aereum*. Ratio est, quia priorum verborum veritas & significatio est suspensa apud audientes, donec absolvatur totum prædicatum; atqui τὸ *aereum*, est pertinens ad prædicatum: falsum autem est, quòd corpus Christi sit aereum corpus: ergo illa vox adjecta vitiat veritatem totius formæ præcedentis. Econtra si quis adderet novam & distinctam propositionem, v. g. hanc: *quod pro vobis comburetur*; *aut capite plectetur*, volens continuare sermonem per diversas propositiones, habentes significationes ab invicem separabiles, tunc non censeretur forma esse vitiata: quia relinqueretur veritas prioris propositionis, non obstante falsitate posterioris: quemadmodum etiamsi concionator in fine concionis proferret falsam propositionem, non proptrea tota concio diceretur falsa fuisse. Contra hanc explicationem

553. Objicit Arriaga. Etiam illa prior propositio æquivalet duabus propositionibus, in quas resolvi potest, nimirum in has: *Hoc est corpus meum quod est aereum.* Econtra secundà propositio potest contrahi in vnam: *Hoc est corpus meum comburendum.* Ergo inter illa duo exempla nulla est adhuc assignata disparitas: ergo vel in vtroque, vel in neutro vitiabitur forma.

R. Exempla allata, si rectè considerentur, esse bona, & esse disparitatem inter illas duas propositiones. Aliquando enim vox prioribus adjecta, facit vt noster conceptus non terminetur ad illam ipsam entitatem in specie vel individuo, ad quam terminaretur, si illa vox non esset adjecta. Declaratur in exemplo. Si mihi dicas: *Sub hac cortina latet homo pictus*, vox *Pictus*, prioribus adjecta, facit vt meus conceptus non feratur directè in verum hominem, sed in picturam, & ideo in rei veritate non est illa propositio æqualis duabus propositionibus, neque bene resolveretur hoc modo. *Sub cortina latet homo, & ille*

est pictus. sed meliùs resolvitur: *Latet pictura hominis.* Verùm vt abstineamus à tricis Logicis, an possit resolvi in duas propositiones: certum est, & hoc mihi sufficit, meum conceptum, auditis illis vocibus, non ferri directè in verum hominem, sed tantùm in obliquo, tanquam in terminum picturæ. Econtra si diceres: *Ibi latet homo doctus*, meus conceptus ferretur in verum hominem, qui ex se est indifferens ad esse vel non esse doctum: & tunc illa propositio æquivaleret duabus, quarum prior posset esse vera, posterior falsa, nempe si ibi lateret homo, qui non esset doctus: æquivaleret enim his: *ibi latet homo, & ille est doctus*, vocatúrque hujusmodi propositio à Logicis: *de tertio adjacente.* Hoc observato

554. Dicendum est, quòd quando vox adjecta formæ Sacramentali, ita alienaret sensum & conceptum, vt significaret conceptum alterius omnino rei, quàm sit illa, quæ significatur per formam Sacramentalem, secluså illâ voce adjectâ, tunc nullum fieret Sacramentum: quia verba formæ non retinerent debitum sensum & significationem. Vnde vox Corpus, quando prædicatur de Corpore hominis, prout fit in hac propositione: *Hoc est corpus meum:* est aliquo modo æquivoca: si enim nihil adjiciatur, supponit pro corpore organico: si verò adjiciatur vox, *aëreum*, supponit pro aëre taliter condensato, vt exteriùs assimiletur corpori organico: ac proinde propositionis sensus esset: *hoc est aër à me instar corporis assumptus.* Ecce! per hanc propositionem non significatur verum Christi corpus, neque audientes conciperent illud corpus, quod defacto habet Christus: ergo per talem formam non fieret Sacramentum, quia sensus formæ est penitus alienatus.

Econtra, per hanc propositionem: *Hoc est corpus meum pro vobis submergendum, capite plumbeo dum &c.* Non alienaretur significatio vocis *Corpus*: sed adhuc generaret conceptum illius ipsius corporis, quod Christus habet, etsi ista propositio, quatenus æquivalet huic: *quod pro vobis submergetur*, sit falsa: vnde tali adjectione non impediretur Sacramenti confectio.

Confirmatur. Si quis baptizaret hac formâ: *Ego te baptizo hâc frigidâ.* (ponamus aquam esse calidam) nemo, credo, in dubium vocaret valorem talis Baptismi: atqui non valeret, si tota forma falsificaretur; ergo licet falsum sit, aquam esse frigidam, manet tamen vera forma, quatenus consistit in verbis: *Ego te baptizo.* Pari modo manet verum: *hoc est corpus meum:* etiamsi falsum sit esse submergendum.

555. Quæres, vtrum valeret baptismus hac formâ collatus: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti, & B. Virginis. Ad hoc respondet S. Thomas distinguendo. Si adjectio B. Virginis intelligatur, quòd fiat auctoritate B. Virginis, sicut auctoritate SS. Trinitatis, non valet, si verò ità intelligatur, vt tantùm significet invocationem B. Virginis, valet. Alij tamen sine distinctione, absolutè respondent non valere, quia in eadem periodo non potest vna *in Nomine*, habere duplicem sensum, sed semper in eodem sensu accipiendum est: cùm ergo ad valorem baptismi requiratur, vt significet auctoritatem Sanctissimæ Trinitatis, quæ non est communis B. Virgini, jam falsificatur tota forma, quia significat auctoritatem chymericam.

CAPVT III.

DE SACRAMENTORVM VIRTVTE ET EFFECTIBVS.

CONTROVERSIA I.

An, & in quo sensu differat Gratia Sacramentalis à non Sacramentali.

556. GRatia Sacramentalis dicitur, quæ confertur per Sacramentum, Gratia non Sacramentalis, quæ confertur extra Sacramentum, per actus meritorios. Illa prior dicitur conferri ex opere operato, posterior ex opere operantis. Pro quo discrimine intelligendo,

Supponendum est, fructus conducentes ad salutem æternam, dupliciter obtineri posse, scilicet vel ex opere operantis, vel ex opere operato. Ex opere operantis tunc dicitur aliquis obtinere, quando fructus commensuratur operi secundùm operis meritum, tanquam præmium, seu condignum seu congruum. Ex opere operato dicitur

dicitur obtineri effectus, quando datur vltra mensuram meriti nostri, ità quidem, vt in largitione talis effectûs, non attendatur ratio meriti quà talis. Per hoc tamen non negatur, quòd in adultis requiratur aliqua dispositio, facienda per actus supernaturales, Fidei, Spei &c. vt Catholicis affingit Lutherus, sed solùm asseritur, quòd vltra illud quod intuitu talium actuum intervenientium datur in præmium, detur aliquid amplius, intuitu Sacramenti, cum tali dispositione positi, prout magis declarabitur cùm agemus de dispositionibus requisitis ad consequendum fructum Sacramentorum.

557. Dicendum est 1. Singula Sacramenta caussare Gratias Sacramentales, sibi quà tale Sacramentum in specie est, proprias ac specialiter respondentes. *S. Thomas q. 62. a. 2.* Colligitur hæc Veritas imprimis ex diversitate Sacramentorum, & ex fine hujus diversitatis. Videmus enim diversas res esse assumptas ad diversa Sacramenta, habentes diversum modum significandi Gratiam sanctificantem, nempe per modum Ablutionis, Confortationis, Nutritionis &c. attentâ naturali quadam proportione quæ illis inest, in qua consistit Symbolizatio superiùs explicata, vi cujus significant specialem effectum spiritualem. Præterea ipsæ Formæ Sacramentales significant aliquam diversitatem Gratiarum, vt patet, v. gr. ex forma Diaconatûs, vbi dicitur: *Accipe Spiritum S. ad resistendum Diabolo & Tentationibus ejus.* & sic de alijs. Cùm ergo diversa Sacramenta ad diversos fines & effectus ordinentur, & quidem tanquam signa practica, debent hi effectus diversi esse diversa Gratia, vt patet ex definitione Sacramenti novæ Legis.

558. Quæstio est, in quonam hæc diversitas consistat, vtrum in aliquo prædicato intrinseco & essentiali, an in denominatione extrinseca, superaddita Gratiæ sanctificanti, seu gratum facienti.

Paludanus, Capreolus, & quidam alij docuerunt, Gratiam Sacramentalem esse quandam qualitatem ex intrinseco prædicato, specie distinctam à Gratia Gratum faciente, qualis extra Sacramentum acquiritur; & hanc qualitatem dixerunt aliud non esse, quàm quendam ornatum animæ. Sed hæc sententia jam exolevit.

Alij docuerunt, pro diversitate Sacramentorum vltra Gratiam gratum facientem, infundi specialem quendam habitum, ordinatum ad certos actus, ad quos obtinendos ordinatur talis species Sacramentorum. v. g. in Confirmatione infundi habitum supernaturalem productivum fortis Confessionis fidei. &c.

559. Dicendum tamen est 2. nullos hujusmodi speciales Habitus infundi virtute Sacramentorum. Probatur. Gratia Gratum faciens, etiam quæ extra Sacramenta confertur, est radix omnium habituum supernaturalium, sufficientiũ ad quosvis hujusmodi actus eliciendos: ergo superflui essent alij habitus ab his distincti. Patet Consequentia. Nam habitus supernaturales sunt velut potentiæ in anima: atqui ad eosdem specie actus non dantur diversæ potentiæ. ergo nec diversi Habitus.

560. Dicendum 3. Gratia Sacramentalis à non Sacramentali nihil penitus differt, si consideretur præcisè quoad substantiam seu essentiam suam, nempe in quantùm est donum supernaturale per se infusum, permanens, & tribuens jus ad vitam æternam: adeoque est ejusdem rationis & speciei cum gratia quæ confertur extra Sacramentum, consideratâ præcisè illâ entitate quæ infunditur animæ, & est ex se qualitas permanens. Brevissimè dicuntur illæ Gratiæ non differre substantialiter. Probatur. Gratia Sacramentalis facit cum gratia non Sacramentali intensionem Gratiæ in ordine ad plures gradus Gloriæ: ergo est ejusdem rationis.

561. Dicendum 4. Tota differentia consistit in denominatione extrinseca: nempe, illa Gratia est Sacramentalis, quæ per Sacramentum est obtenta, & illa est non Sacramentalis, quæ est extra Sacramentum obtenta. Ratio. quia majori differentiâ non est opus, vt jam declarabitur. Itaq;

562. Objicies. De Gratia Sacramentali & non Sacramentali verificantur prædicata contradictoria: ergo inter se differunt etiam substantialiter. Probatur antecedens. Gratia Sacramentalis affert Specialia quædam & abundantiora auxilia, in certa Materia, Gratia non Sacramentalis non affert hujusmodi specialia auxilia: ergo &c. R. Distinguo antecedens. Verificantur contradictoria fundata in prædicato intrinseco Entitati Gratiæ, nego, in aliquo extrinseco ipsi Entitati Gratiæ, concedo. Quando itaque dicitur, Gratiam Sacramentalem præbere Titulum & Jus, seu condignitatem specialem ad specialia auxilia in tempore oportuno conferenda, hic Titulus & Jus non est quoddam intrinsecum prædicatum ipsi Entitati Gratiæ, sed est denominatio extrinseca, proveniens inde, quòd hîc gradus Gratiæ gratum facientis, provenerit à tali Sacramento, ordinato ex sua institutione ad tales effectus, & talia auxilia in specie obtinenda, cùm alioquin Gratia non procedens à tali Sactamento, non nisi indeterminatè & generaliter ad auxilia sufficientia jus præberet.

563. Declaratur magis. Tametsi omnis Gratia gratum faciens, vndecunque proveniat, sit ex intrinseca sua perfectione destructiva omnis peccati mortalis quoad culpam, non tamen est destructiva totius reatûs pœnæ correspondentis tali peccato: quatenus tamen Gratia est collata per Baptismum, qui ordinatus est ex sua institutione ad regenerationem spiritualem, extinguit non tantùm reatum culpæ, sed etiam totius pœnæ. Item quia baptismus est janua Sacramentorum, Gratia pro vt per baptismum collata, specialiter secum affert auxilia ad alia Sacramenta dignè recipienda suo tempore. Item Gratia vt collata per Sacramentum Pœnitentiæ, affert fortiora auxilia ad efficaciùs detestanda & fugienda peccata

commissa, & ad satisfaciendum pro illis, quia hoc Sacramentum ordinatur ad resurgendum à lapsu post baptismum commisso. Eucharistia, quia ordinatur ad vitam spiritualem conservandam & augendam, ideo Gratia per illam collata, præbet titulum ad specialia auxilia actuum frequentiorum devotionis & charitatis, & sic de alijs.

564. Dices. Si Gratia sanctificans habet hanc exigentiam præcisè per denominationem extrinsecam, sequitur, Gratiam ex se non magis conferre illa auxilia, quàm si assumptus esset lapis aut lignum: quia proveniret ex mero libero arbitrio Dei, quod etiam posset fieri cum lapide aut ligno. hoc autem videtur absurdè dici. R. Negando sequelam & paritatem. Lapis enim & lignum nullam penitus habent exigentiam auxiliorum ordinariorum. Gratia verò de se exigit in genere auxilia ad resistendum cuivis tentationi, & ad bene operandum in quavis materia occurrente: Quapropter quando datur à Deo Gratia propter Sacramentum, datur ex speciali intentione talium auxiliorum, in tali materia. Sicut, exempli gratiâ, filiatio legitima tribuit filio jus ad hæreditatem paternam, saltem quoad legitimam. Quodsi Princeps faceret legem, vt primogenito vltra legitimam aliquid relinquendum esset, ratio filiationis vtique non se haberet merè impertinenter ad illud augmentum, quamvis jus ad illud augmentum esset accidentale filiationi vt sic, posset enim hic ipse esse filius, & tamen non esse primogenitus.

565. Replicabis. Saltem excessus ille auxiliorum non provenit ab intrinseca proportione Gratiæ: ergo saltem ille excessus non aliter debetur Gratiæ, quàm deberetur ligno, adeoque merè ad libitum. R. Negando Antecedens. Gratia enim exigit dari auxilia talia & tanta, quantis aliquis dignus est. porrò, cùm quis possit esse dignus majoribus auxilijs, non tantùm intrinsecè per gratiam, sed etiam extrinsecè per meritorum Christi applicationem, vt fit per Sacramentum, ideo Gratia habet etiam intrinsecam proportionem cum talibus auxilijs.

CONTROVERSIA II.

Vtrum repugnet, Gratiam sanctificantem caussari à Sacramentis influxu physico per Potentiam Obedientialem.

566. DE modo caussandi Gratiam, est celebris controversia, vtrum nimirum Sacramenta caussent Gratiam influxu effectivo Physico, an solùm Morali. Aliqui existimant, influxum moralem non sufficere ad defendendam excellentiam Sacramentorum novæ legis supra antiqua Sacramenta, & etiam ex alijs capitibus rejiciunt, & astruunt influxum physicum: pro quo supponunt, dari in creaturis potentiam obedientialem activam. Alij existimant, hanc potentiam obedientialem repugnare, & vel ex hoc fundamento potant sufficienter probari, quòd Sacramenta tùm moraliter influant. Alij denique docent, quòd etiamsi concedatur potentia obedientialis, ex alijs tamen capitibus non sit Sacramentis tribuendus influxus physicus, sed tantùm moralis. Primò ergo videndum est, an potentia obedientialis repugnet, & an ex hoc capite negandus sit Sacramentis influxus physicus.

567. Conveniunt Catholici DD. primò, quòd detur Potentia obedientialis passiva, elevabilis ad recipiendam & sustentandam aliquam formam in genere caussæ materialis, non productibilem per caussas naturales, sed tantùm per caussas supernaturalem. Probatur ex Mysterio Incarnationis. Humanitas enim Christi elevatur ad sustentandam Vnionem hypostaticam, quæ est supernaturalis: deinde anima hominis, & habitudo Angelorum, recipit & sustentat Gratiam, Characterem, aliósque habitus supernaturales.

568. Conveniunt 2. Quòd detur etiam aliqua Potentia obedientialis activa. Datur enim in anima rationali & Angelis potentia obedientialis ad elicendos per elevationem actus supernaturales, qui cùm sint vitales, debet immediatè influere ipsum principium vitale, vt habet receptissima sententia in nostris scholis, quam etiam amplectuntur plures Thomistæ, teste Ordo.

569. Controversum est, vtrum detur Potentia Obedientialis Vniversalis in omnibus creaturis, ita vt possit elevari ad quodlibet producendum, saltem quod educibile est ex potentia passiva, & vbi non est specialis repugnantia: num vtrum Creatura possit elevari ad creandum, est specialis difficultas, huc non pertinens: v. g. quæritur, an Corpus Christi existens in Eucharistia, possit elevari ad educendam Gratiam sanctificantem ex anima.

Prima sententia negat. Ita Vasquez, Ruguſa, Conink, Alarcon, Gaspar Hurtadus, Perez, Pallavicinus, Esparza.

Secunda affirmat. Ita imprimis S. Thomas, in 4. dist. 8. q. 2. a. 3. ad 4. vbi distinguens potentiam passivam ab activa, veramque admittens his verbis. [Sicut creaturæ ineſt obedientiæ potentia, vt in ea fiat quidquid creator disponit, ita etiam, vt ea mediante fiat, quæ est ratio instrumenti.] Loquitur autem ibi S. Thomas de Transubstantiatione facienda per verba Consecrationis. S. Thomam sequuntur Thomistæ communiter omnes. Ex nostris verò tenent Suarez, Molina, Valentia, Albertinus, Ruiz, Arrubal, Granados, Præpositus, Tannerus, Henricus, Bernadus, Ripalda, Petrus Hurtadus, Lugo, Arriaga, Comptonus. Ego, re diu considerata, lectis & relectis omnibus, quæ RR. ingeniosè pro negativa sententia excogitârunt (quorum vnusquisque relictis aliorum fundamentis nova subtilitate) non potui tamen, etsi maximè vellem, animum inflectere vt illis assentirer.

570. DICO

570. DICO 3. Hactenus non apparet repugnantia hujus Potentiæ Obedientialis, & insuper potest positivis argumentis admodum probabiliter suaderi. Prima pars Conclusionis solutione argumentorum, altera pars deinceps per plures paragraphos probabitur. Conclusio habet pro se magnum pondus ex S. Augustino lib. 3. de Trinit. c. 8. & 9. vbi hanc potentiam obedientialem vocat occultum semen Dei. Deinde de Genesi ad litt. sæpius docet, creaturas esse habiles per causales rationes non solùm ad effectus naturales, sed etiam admirabiles & miraculosos, & lib. 9. de Gen. dicit, Potentiam hanc esse incompletam, fieri tamen completam per applicationem Dei. Nunc pro ea argumenta afferamus.

§. I.

Primum argumentum desumptum ex virtute inchoata ad gradum entis.

571. ARgumentor ergo 1. Ad omnem illum effectum potest elevari creatura, ad quem producendum habet virtutem inchoatam: sed omnis creatura, saltem naturaliter activa, habet virtutem inchoatam ad quidvis aliud producendum, nisi specialis repugnantia obstet: ergo datur potentia obedientialis activa, qualem asserimus. Dixi: nisi specialis repugnantia obsistat: hujusmodi repugnantia est, ob quam nulla res potest seipsam producere: hoc enim non provenit ex defectu potentiæ obedientialis, quia repugnat in potentia quacunque, alioquin maximè connaturali & proportionata. Majorem argumenti concedunt adversarij. Quia nisi hoc sufficeret, nulla daretur penitus potentia obedientialis activa, ne quidem ad actus supernaturales. Minor probatur. Virtus inchoata, in qua consistit potentia obedientialis, non est aliud, quàm quædam proportio inter effectum & causam, sive inter effectum quem tale agens potest naturaliter producere, & inter effectum ad quem potest elevari, atqui inter creaturas est hæc proportio: conveniunt enim in hoc, quòd vtrumque sit ens finitum, ens producibile: hæc autem videtur omnino sufficere, vt virtus dicatur ad talem effectum esse inchoata, sicut secundùm adversarios sufficit, quòd volitio & intellectio naturalis & supernaturalis conveniant in ratione volitionis & intellectionis, ad hoc, vt noster intellectus & voluntas dicatur habere virtutem inchoatam ad intellectionem & volitionem supernaturalem. Probo minorem, & paritatem. Proportio inter potentiam intellectivam & cognitionem naturalem ex vna parte, cum cognitione supernaturali ex altera parte, hæc est, quòd cognitio naturalis & supernaturalis conveniant in prædicato generico cognitionis, & vitalitatis intentionalis: atqui effectus naturaliter producibilis à corpore Christi v. g. calor, habet etiam ejusmodi proportionem cum qualitate supernaturali, v. g. cum Gratia sanctificante, quia calor & Gratia conveniunt in prædicato generico Qualitatis, accidentis, educibilis &c. ergo sicut illa prior proportio sufficit, vt intellectus dicatur habere virtutem inchoatam, & sit elevabilis ad producendum actum supernaturalem, ita sufficiet posterior.

572. Ad hoc argumentum ita respondent adversarij, vt planè suspectos se reddant, quòd nisi fide cogerentur admittere potentiam obedientialem ad actus supernaturales, stando in rationibus naturalibus, negarent etiá illam: in quo quidem non habeo quod reprehendam: mihi tamen satis est, quòd illâ veritate fidei suppositâ, per consequentiam doctrinæ sit facienda extensio ad vlteriorem potentiam obedientialem.

573. Respondent ergo primò: non quamcunque proportionem, & in quocunque gradu remoto, sufficere, sed requiri proportionem in proximiore gradu. Sic nempe lubet divinare. Contra vrgeo 1. si semel concedendum est, posse creaturam elevari ad producendum vnum gradum & formalitatem sibi improportionatam, hoc est, vires naturales excedentem, non apparet ampliùs repugnantia, cur non ad vlteriorem & remotiorem gradum & formalitatem possit elevari. Contra 2. & peto ab adversarijs, quantæ propinquitatis debeat esse gradus ille proportionis, vt possit causa improportionata ad vlteriorem gradum producendum elevari? Non quidem debet esse constitutus in specie infima, vt per se patet, jam enim nulla restaret improportio, & certum est, actum naturalem & supernaturalem in hoc ipso prædicato differre specie: ergo sufficit proportio in gradu generico, nempe quòd conveniant in genere cognitionis humanæ vt sic. Quæro vlterius, vtrum hic gradus genericus deberet esse generis infimi? sed neque hoc dici potest: Nam *intellectio humana* vt sic, non est genus infimum, quia Intellectio humana naturalis vt sic, est etiam genus, sicut etiam Intellectio supernaturalis est genus, & quidem etiam non sunt genera infima, sed valde subalterna, vtpote continentia sub se iterum plura genera cognitionum, v. g. Genus apprehensionis, enuntiationis, affirmationis, negationis, obscuræ, evidentis &c. quæ etiam sunt genera subalterna. Ergo adversarij nullum planè gradum determinare possunt: ergo manifestè gratis fingunt vnum sufficere, alium non sufficere. Præterea propinquior gradus genericus est, in quo conveniunt Equus & Leo, quàm sit gradus, in quo conveniunt cognitio naturalis & supernaturalis, vt manifestum est. ergo equus, qui est productivus alterius equi, erit sufficienter proportionatus (jure propinquitatis) vt elevetur ad producendum leonem, quod tamen negant adversarij fieri posse: ergo proportio non requirit certam propinquitatem.

574. Responderi posset 2. Requiri talem proportionem, vt effectus exigat produci à tali causa. Porrò, omnes cognitiones supernaturales exigunt produci à principio naturali vitali, non

item Leo exigit produci ab equo. Verùm hæc reſponſio reddit pro ratione diſparitatis, quod eſt in quæſtione. Quòd enim poſſit cauſſa elevari ad effectum exigentem produci ab illa, eſt propoſitio nimis quàm evidens ex terminis. Quæſtio autem præſens eſt, vtrum poſſint duo connecti per actionem tanquam cauſſa cum effectu, quorum neutrum exigat tali modo connecti, ſicut Humanitas Chriſti & Verbum connectuntur per vnionem hypoſtaticam, quorum neutrum exigit connecti cum altero per vnionem. Breviùs. Quæritur, cur non poſſit dari actio productiva Gratiæ, exigens procedere à corpore Chriſti, licet corpus Chriſti, non exigat illam actionem, nec gratia exigat procedere per talem actionem?

575. Confirmatur. Hæc conſequentia non eſt bona: [Intellectio naturalis exigit procedere ab anima, agente tanquam cauſſa naturali: ergo anima non poteſt virtute naturali producere vllum effectum, niſi qui exigit procedere ab illa:] Poteſt enim anima producere impulſum in lapide, qui non exigit procedere ab anima, ſed poſſet etiam ab alia cauſſa procedere: ergo nec hæc conſequentia eſt bona. Intellectio ſupernaturalis exigit procedere ab intellectu ſeu anima, adjuta principio ſupernaturali: ergo intellectus ſeu anima non poteſt producere vllum effectum per elevationem, niſi qui exigat procedere ab illa. Quodſi mihi reſpondeant, fidem non cogere niſi ad admittendum illum obedientialem effectum, qui exigat produci à principio vitali, jam fatentur, quòd niſi fide cogerentur, nec illum effectum admitterent: hoc autem non eſt oſtendere repugnantiam, ſed ad ſummum eſt oſtendere, quòd non ſit tanta neceſſitas extrinſeca admittendi hanc vniverſalem potentiam obedientialem, quanta eſt admittendi illam reſtrictam, quod vltro damus. Hactenus argumentum commune, quo vtuntur auctores noſtræ ſententiæ. Deinceps afferam argumenta deducta ex quibusdam principijs, quibus vtuntur ipſimet adverſarij, tum hîc tum alibi, & ſic ad hominem ſaltem vim habebunt.

§. II.

Argumentum ſecundum, deductum ex Miraculis quibusdam.

576. ARgumentor 2. Chriſtus Jo. 9. ex terra & ſputo fecit lutum, tanquam aliquid maximè adverſum viſui, & linivit ſuper oculos cæci, ſicque viſum reſtituit. Item Eliſæus prophetа immiſſo in amaras aquas ſale, dulces ac potabiles reddidit. 4. Reg. 2. cùm alioquin ſal debuiſſet augere amaritudinem. Ibidem cap. 6. injecto in fluvium ligno, fecit vt ſecuris in flumen delapſa enataret. Ex quibus exemplis colligunt interpretes Scripturæ, Deum in patrandis miraculis ſolere adhibere res maximè contrarias illis effectibus ad quos producendos adhibet, ad oſtendendam ſcilicet potentiam ſuam.

577. Card. Pallavicinus agnoſcit his exemplis evinci, quòd Deus non merè ad præſentium harum rerum ſolus effectum produxerit, alioquin Deus illuſiſſet videntibus, dum vellet videri in hujusmodi rebus, tanquam inſtrumentis ad producendos effectus miraculoſos, ad quos tamen reipſa nihil pertinerent. Ex quo fundamento ſolet rejici ſententia Gabrielis, aſſerentis, in omnibus productionibus ſolum Deum agere ad præſentiam rerum quæ vocantur Cauſſæ. hoc ſuppoſito infero: ergo illi effectus producti ſunt per potentiam obedientialem luti, ſalis, ligni.

Reſpondet Card. Pallavicinus, videri ſibi, in quolibet corpore, præſertim mixto, eſſe aliquam vim, quæ ſaltem partialiter poſſit prodeſſe ad omnem effectum corporum, per productionem vel primarum qualitatum, vel alterius qualitatis occultæ, vel per impulſus locales, vel quid ſimile. Deus autem potuit ſupplere alteram partem virtutis neceſſariæ, idque vel per concurſum ſuæ potentiæ, vel per aliquam qualitatem ejusmodi rebus impreſſam.

578. Hæc tamen reſponſio mihi non ſatisfacit. Nam, vt nihil dicam, quòd ligno tribuat partialem virtutem magneticam trahendi ferrum, & ſic de cæteris, & quòd Deus ad hæc miracula perpetranda non potuiſſet aſſumere parum elementum terræ aut aquæ &c. his inquam diſtributis & transmiſſis, non ſalvatur tamen hac ratione, quomodo Deus non illuſerit ſpectatoribus, perinde ſicut illuderet hiſtrio, qui foris ſimularet, ponderoſiſſimum ſaxum ſurſum trahi à debiliſſimo puerulo, occultè autem vir robuſtiſſimus ſaxum tolleret, puerulo non niſi leviſſimè concurrente. Itaque ſpectatores illorum miraculorum inducti ſunt ad judicandum & admirandum miraculum, quòd Deus rebus adeo contrarijs vtpoſſit ad quidvis efficiendum: ergo ſi illis illuſum non eſt, ſed rectè judicârunt, neceſſariò dicendum eſt, non exiguam aliquam latenem accumum virtute naturali concurriſſe, ſed totum corpus fuiſſe vt inſtrumentum aſſumptum.

§. III.

Argumentum tertium, deductum ex Perfectione divina.

579. ARgumentor tertiò, ex principio quo Pallavicinus vtitur ad probandam potentiam obedientialem paſſivam: & eſt hujusmodi. Nec Deo, nec creaturis eſt tribuendum aliquod predicatum, de quo dubitamus, vtrum detur necne, niſi ſit tale, vt ad perfectionem Dei pertineat illud dari; quo poſito infert Pallavicinus impoſſe n. 194. Dari potentiam obedientialem paſſivam.

Pertinet enim ad perfectionem Dei, vt poſſit rebus dare aliquid melius per favorem, quàm illis conveniat per Naturam. Infert a Sacramentis à Deo imprimi aliquam qualitatem ſupernaturalem, non quæ producat (hoc enim plures dixerunt) ſed quæ exigat à Deo Gratiam produci

produci in subjecto. Hinc ego pro potentia obedientiali activa sic argumentor. Si ad perfectionem Dei pertinet, posse per favorem Sacramentis supra naturam eorum imprimi qualitatem exigentem productionem Gratiæ, & hoc ideo, quia hanc qualitatem habere, est melius, quàm quod illis convenit per naturam, tunc etiam, & multò magis pertinebit ad perfectionem Dei, posse per concursum extrinsecum elevare ad agendum. Nam sicut *Agere* est perfectius, quàm præcisè exigere vt ab alio agatur, ità cedet ad majorem commendationem Sacramentorum, si ipsa agant.

§. IV.

Argumentum 4. desumptum ex Dominio Dei.

580. ARgumentor 4. Ex eodem contra eundem Auctorem. Ad perfectionem Dei pertinet, vt in creaturis appareat hæc perfectio Dei: *Dominari in aliud, & posse liberè vti alijs rebus ad sum placitum.* Sed si ponatur potentia obedientialis activa, jam optimè in creaturis apparet hæc perfectio Dei, & ex communi sensu fidelium Deus in eo miraculorum genere, de quo sermo fuit in secundo argumento, censetur hanc perfectionem vel maximè velle manifestare; econtra si potentia obedientialis activa non ponatur, non ita apparet: ergo potiùs est ponenda quàm non ponenda. Major est Pallavicini n. 178. Minor quoad primum membrum est clara, quoad secundum membrum, probatur: quia secundùm Pallavicinum deberet Deus semper attendere ad aliquam latentem virtutem naturalem, quæ esset connaturalis caussa partialis: imò ad effectus spirituales non vitales nullâ creaturâ posset vti Deus: ergo non posset creaturis vti pro libitu, sed cum maxima restrictione.

§. V.

Argumentum 5. desumptum ex manifestatione specialis perfectionis divinæ.

581. ARgumentor iterum ex eodem auctore contra eundem. Illa perfectio rectè tribuitur creaturis, quæ servit ad manifestandum aliquod prædicatum Dei, quod alioquin non appareret, vt docet Pallavic. n. 179. indéque deducit, congruum fuisse, vt darentur creaturæ activæ, quæ non essent cognoscitivæ, sic enim relucet illa divina perfectio: *posse benefacere alteri sine vlla acquisitione felicitatis propriæ, sed omnem effectionem ordinare ad felicitatem alterius.* Subsumo. atqui potentia obedientialis activa servit ad manifestandum prædicatum in Deo, quod cæteroquin non appareret in creaturis: ergo datur. Minorem probo. In Deo est perfectio maxima, posse simul & semel facere contraria, nec esse alligatum vni contrariorum: atqui hoc prædicatum in nulla potentia naturali creaturarum apparet, bene autem apparet in potentia obedientiali activa, quatenus assumi potest à Deo ad opposita, id quod eleganter expressit Rex Salomon Sap. 16. dicens: [Creatura enim tibi factori deserviens exardescit in tormentum adversus injustos, & lenior fit ad benefaciendum illis qui in te confidunt.]

Quin imò Potentia obedientialis ostendit illam divinam perfectionem, quæ est: posse alteri Benefacere non attendendo vllum suum commodum. Hanc perfectionem non manifestant agentia non intellectiva, v. g. ignis, vt putabat Pallavic. nam ille producendo alium ignem, maximè intendit commodum suum, nempe conservationem speciei, imò & defensionem sui individui, & sic de alijs. Potentia Obedientialis verò hujusmodi commodum non intendit. Invenitur ergo manifestatio Perfectionis divinæ in Potentia obedientiali, quam Pallavicinus alibi quæsivit, & non invenit.

§. VI.

Solvuntur Objectiones.

582. OBjicit Pallavicinus 1. Id quod, si existeret, esset amabile tantùm in ratione Medij, toties existeret frustra, quoties daretur aliud Medium indefectibile, ab eo distinctum, & æquè efficax in ordine ad eundem planè finem: ex: gratia, si ego haberem calamum inamissibilem & optimum, frustra esset mihi, habere duos calamos in ordine ad hunc finem, qui est: *me scribere.* sed hæc potentia obedientialis activa esset hujusmodi: ergo esset frustra. Minor probatur. Nam tota bonitas hujus potentiæ esset in ratione Medij, ad hoc nempe, vt Deus posset ponere talem effectum, v. g. producere gratiam in suscipiente Sacramentum; sed Deus in ordine ad hoc habet suam omnipotentiam indefectibilem & efficacissimam: ergo hæc virtus obedientialis esset in creaturis tale Medium, quale descriptum est in majore propositione primi Syllogismi. Major vltimi Syllogismi probatur. Nam tota vtilitas actionis & potentiæ activæ, præscindendo ab hoc quod est, *dari effectum*, consistit vel in hoc, quòd per actionem agens perficiatur primò & per se, sicut contingit in operationibus vitalibus, & de his non est præsens quæstio; vel in hoc, quòd per varias actiones creaturarum eluceat in caussis varia participatio entitativa perfectionis divinæ, & hoc bonum non haberetur in illa virtute obedientiali, quippe communi omnibus rebus, ac proinde non indicante specialem naturam & perfectionem: ergo hæc potentia respectu Dei esset purum Medium in ordine ad ponendum effectum. Ita ille.

583. R. Transeat major, nego minorem: ad cujus probationem transeat iterum major, nego minorem, ex duplici capite. Primò, quia jam ostendimus in quinto argumento, hanc potentiam obedientialem servire ad manifestandam specialem

ſpecialem perfectionem Dei, non minùs quàm alia prædicata creaturarum quæ Pallavicinus admittit. Neque obſtat, quòd hæc potentia ſit tranſcendens & generalis, hinc enim malè infert Pallavicinus, quòd non indicet ſpecialem perfectionem Dei. *Aliud enim eſt, non indicare ſpecialem*; & aliud: *non indicare ſpecialiter*. in quo æquivocat, ſumens vnum pro alio, cùm ſint diverſa. ſic hoc prædicatum Dei: eſſe ens primum & independens, cognoſcitur ex generali prædicato, transcendente omnes creaturas. Item potentia obedientialis paſſiva eſt generalis ex mente Pallavicini, & tamen, vt ex ipſo retulimus §. 5. ſervit ad indicandam ſpecialem perfectionem Dei.

584. Secundò, negatur iterum minor. Nam etiamſi potentia obedientialis nullam ſpecialem perfectionem Dei oſtenderet, non propterea haberet puram rationem Medij, realiter loquendo. Ratio eſt, quia potentia obedientialis non conſiſtit in aliquo prædicato realiter diſtincto à cæteris eſſentialibus prædicatis creaturarum activarum, ſed illa tranſcendit, & cum illis identificatur: ergo ſi cætera prædicata habent aliam vtilitatem præter puram rationem Medij ad faciendum effectum, jam etiam realiter loquendo hanc ipſam vtilitatem habet potentia obedientialis. Neque eſt neceſſe, vt eam habeat vt formaliter diſtincta (ſi tamen diſtingui poteſt) à cæteris prædicatis, quia provenit ex neceſſitate materiæ, vt philoſophi loquuntur. Poteſt ergo minor diſtingui. Haberet puram rationem Medij, ſi aſſereretur eſſe diſtincta ab omni virtute naturaliter activa, tranſeat, ſecus, negatur.

585. Objicit Pallavicinus 2. De conceptu omnis cauſſæ, tam principalis quàm Inſtrumentalis, eſt, eò perfectiorem ipſam judicari, quò concurrit ad perfectiores effectus: ergo ſi daretur Potentia obedientialis activa, creſceret perfectio cujuslibet creaturæ, cum quadam illimitatione, per ordinem ad perfectiores effectus, quos poſſet producere ſine termino. R. 1. Hoc Argumentum omnibus eſſe ſolvendum in elevabilitate intellectûs ad perfectiorem & perfectiorem cognitionem, hoc eſt ad cognitionem ſeu viſionem perfectiorum & perfectiorum creaturarum in Deo ſine fine & termino: quocunque modo hanc illimitationem explicaverit Pallavicinus, & conciliaverit cum limitatione perfectionis intellectûs, eâdem ratione nos conciliabimus. R. 2. Diſtinguendo antecedens: loquendo de cauſſa naturali quà tali, hoc eſt, conſiderata in ordine ad terminum, quem non exigit producere, ſed præciſè non repugnat, nego, vel ſubdiſtinguo tam antecedens quàm conſequens: creſceret perfectio illius ſecundùm id quod importat in recto, nego, ſecundum id quod importat in obliquo, concedo. Hoc enim aliud non eſt, quàm ipſiſſima Omnipotentia Dei, & hæc eſt infinita & illimitata, & ab hac denominatur creatura formaliter & abſolutè elevabilis.

586. Objicit Pallavicinus 3. De ratione omnis effectûs eſt, eſſe aliquo modo indicativus cauſſæ, & ideo effectus excitat curioſitatem, atque deſiderium inveniendi ipſum *CVR.* quia poſtat ſimul aliquam viam ad ejusmodi invenem, & hanc curioſitatem multò magis excitat effectus ſupernaturales: ergo debent pendere cauſſa quam aliquo modo poſſint indicare ſpecialem proportionem cum illa, quæ ſpecialis proportio nulla eſt in effectu potentiæ obedientialis.

Hoc argumentum imprimis ipſi Pallavicino ſpecialiter, deinde omnibus alijs ſolvendum & quidem facilem habet ſolutionem. Solvendum eſt, inquam, in ſpecie Pallavicino: dixit enim ipſe, vt ſuprà retuli, Deum defacto immere Sacramentis qualitatem Supernaturalem quæ phyſicè exigat infuſionem Gratiæ; tamen Gratia ſanctificans ſecundùm ſe non exigit infundi cum præſuppoſitione & ad exigentiam talis qualitatis: porrò, hæc qualitas ſecundùm Pallavicinum, eſt cauſſa phyſica, non quidem phyſicè producens Gratiam, ſed phyſicè exigens, ipſe loquitur: & tamen hæc qualitas non exigitur à Gratia ſanctificante tanquam ſuo effectu: quis enim hactenus iſtam qualitatem ex intimâ ne Gratiæ deprehendit vel ſuſpicatus eſt? Inde omnibus ſolvendum eſt argumentum, quia omnes concedunt, quòd Deus poſſit miraculoſè ſupplere concurſum cauſſæ naturalis: quo ſalſa eſt propoſitio Pallavicini, quòd nus effectus indicet illam cauſſam à qua procedit. R. ergo, effectum eſſe quidem indicativum cauſſæ à qua connaturali viâ petit procedere: verùm, hujus cauſſæ tantùm eſt indicativus ſub tacita conditione: *Niſi Miraculoſè fuerit ſuſpenſatum.* itaque ſolùm indicat hoc prædicatum: *Effectus hic & nunc poſitus connaturaliter petit a tali cauſſa procedere*, quidquid ſit an defacto procedat necne: v. g. actus fidei connaturaliter petit procedere ab habitu fidei, & tamen quando infidelis ad fidem convertitur, non procedit ab Habitu fidei. Pari modo cùm Gratia ſanctificans naturaliter petat procedere à ſolo Deo, ſi Deus elevaret Corpus Chriſti ad illam producendam, non deberet Gratia hanc cauſſam elevatam indicare, quia non eſt cauſſa illius connaturalis. Et hæc ſunt argumenta à Card. Pallav. objecta De potentiæ obedientiali.

587. P. Martinus Eſparza relictis argumentis Pallavicini, ſic objicit. Deus & Natura nihil faciunt fruſtra: ergo nulla darur Activitas in rebus creatis, quæ non poſſit naturaliter reduci ad actum ſecundum in aliquo ſuo effectu: non talem Activitatem feciſſet Natura, cùm tamen per Naturam ſeu naturaliter non poſſet reduci ad vllum actum. Hoc ſuppoſito ſubſumit. [illegible] talis eſſet activitas defacto exiſtens, ſi daretur potentia obedientialis productiva cujuslibet effectus dùm rationem ſpecificam. Manifeſtum autem eſt, nullam cauſſam creatam exiſtere deſtitu[illegible]

cujus propria virtus activa possit connaturaliter exerceri & reduci in actum secundum circa quaslibet species effectuum. Experientiâ enim constat, vnamquamque caussam habere ex sua natura Sphæram determinatam activitatis, vltra quàm connaturaliter progredi non possit. Neque dici potest, rationem differentialem specificam cujusvis ex his effectibus, in ratione differentiali specifica cujusvis alterius vllatenus contineri, cùm sint adæquatè inter se diversæ. Quare exercitâ activitate alicujus caussæ circa rationem specificam alicujus sui effectûs connaturalis, non propterea vel etiam æquivalenter redigeretur in actum secundum activitas ejusdem circa quosvis alios indiscriminatim effectus, secundùm rationem specificam eorum.] Ita ille. Posset, nisi fallor, terminis clarioribus totus objectionis nervus ita proponi. Si daretur Potentia Obedientialis activa vniversalis, deberet illa habere activitatem respectu differentiæ specificæ adæquatè distinctæ ab illa, quam talis entitas naturaliter potest producere. Sed hoc est falsum: nam aliæ differentiæ, vtpote simplices & indivisibiles, non continentur vllo modo æquivalenter in illa differentia naturaliter producibili à tali entitate, v.g. differentia lapidis vel leonis specifica, non continetur in differentia frigoris, quod potest aqua naturaliter caussare: multò minùs differentia Gratiæ sanctificantis in illa continetur: ergo si daretur potentia obedientialis in aqua baptismali ad producendam gratiam, ejúsque differentiam specificam, respectu hujus differentiæ esset activitas, quæ naturaliter nunquam posset reduci in actum secundum: ergo esset frustra: ergo nec datur nec dari potest à natura: daretur autem à natura si existeret, quia quidquid habet entitas aquæ, habet à natura, vtpote Ens totaliter naturale.

588. R. 1. Retorquendo totum argumentum dupliciter. & quidem primò ex Potentia obedientiali passiva, inter quam & activam fatetur Esparza esse quoad hoc punctum omnimodam paritatem. Si discursus adversarij legitimè concluderet, pariter probari posset, quòd Humanitas Christi non sustentaret Vnionem Hypostaticam, nec anima rationalis aut Angeli Gratiam sanctificantem: vtrumque est falsum. Sequela probatur. Quia talis potentia obedientialis passiva esset frustra: nec enim posset vnquam naturaliter redigi in actum secundum respectu differentiæ specificæ Vnionis hypostaticæ & Gratiæ, vtpote quæ secundùm hunc auctorem sunt simplices, & non continentur æquivalenter in differentijs illarum formarum, quas Humanitas potest Naturaliter sustentare.

Retorqueo 2. In potentia obedientiali intellectiva & volitiva. Hæc enim elevatur ad producendum actum intellectualem supernaturalem, & tamen differentia specifica actûs supernalis non continetur æquivalenter in actibus intellectualibus Naturalibus: ergo talis potentia obedientialis esset frustra, quia nunquam naturaliter redigeretur in actum respectu differentiæ supernaturalis.

589. Conatur Adversarius ad hoc respondere negando paritatem. [Ratio enim, inquit, specifica vltima actuum supernaturalium coalescit ex duabus differentijs non subalternis invicem. Vitalitas namque propria Visionis beatæ, est ipsi communis cum omnibus actibus naturalibus, quibus supernaturalitas non est communis. Supernaturalitas verò propria ejusdem visionis, est eidem communis cum habitibus supernaturalibus, & cum vnione hypostatica, quibus non est communis vitalitas, ac proinde neutra formalitas est subordinata alteri, sed vtralibet respectu alterius se habet disparatè secundùm se. Idem evenit in cæteris omnibus formalitatibus specificis, tam Visionis Dei, quàm cæterorum actuum supernaturalium, nulla enim in eis reperitur formalitas indivisibilis, quæ se solâ sit tota ratio differentialis, quæque sit metaphysicè subordinata cæteris omnibus cujusque actûs prædicatis, sicut rationale subordinatur Animali, & Animal Viventi. &c.

590. Hæc responsio non satisfacit. Imprimis supponitur in ea aliquid apertè falsum, nempe quòd differentia specifica Visionis Dei, sit composita adæquatè ex his duabus formalitatibus, vitalitate & supernaturalitate. hoc, inquam, est falsum. Nam ambæ hæ formalitates reperiuntur in actu fidei, & omnibus actibus supernaturalibus voluntatis, qui non sunt Visio Dei. Ergo est aliud vlteriùs prædicatum assignandum pro differentia Visionis Dei. Nimirum, differentia Visionis Dei est: quòd sit actus intuitivus Dei. Quia verò cognitio quâ Deus seipsum cognoscit, est etiam actus intuitivus Dei, ideo dicendum, quòd differentia Visionis creatæ sit composita ex prædicato seu formalitate *Creaturæ*, & *Intuitionis Dei*. & hinc concedo, quòd noster intellectus possit aliquam formalitatem differentiæ Visionis Dei per virtutem naturalem producere, nempe formalitatem *Creaturæ*. quæ continetur etiam in effectu naturaliter producibili ab intellectu creato. Hinc jam vlteriùs ostenditur, quòd vnaquæque creatura activa, possit in quacunque creaturarum specie, ejusque differentia, aliquod prædicatum seu formalitatem producere. Nam omnis differentia specifica creaturæ, debet necessariò formaliter includere conceptum & formalitatem *Creaturæ*: omnia enim reliqua prædicata ab hoc præcisa, non sunt adhuc adæquata differentia illius speciei, quia nondum faciunt eam differre ab omni alio specie distincto, nempe non faciunt differre à Deo: atqui differentia adæquata debet esse talis, quæ faciat differre ab omni alio: ergo formalitas *Creaturæ*, debet in omni differentia specifica creata includi. Cùm ergo ex concessione Adversarij tunc detur potentia obedientialis activa ad producendam aliam speciem naturaliter non producibilem, quando in differen-

tia illius speciei formaliter includitur prædicatum seu formalitas, quæ etiam reperitur in effectu naturaliter producibili, & ego ostenderim, omnem differentiam creatam includere formalitatem *Creaturæ*, sine qua non est adæquatè distincta ab omni alio, nempe à Deo, in quo sunt omnes perfectiones simpliciter simplices, adeoque omnia alia prædicata præscindibilia à prædicato *Creaturæ*; ideo concluditur, dari potentiam obedientialem vniversalem.

591. Taceo, quòd fundamentum adversarij plus probet, quàm ipse velit. Ex ejus enim fundamento probari potest, quòd intellectus Petri possit elevari ad producendam intellectionem in intellectu Pauli, quod tamen adversarius negat. Sequela patet. Nam intellectus Petri potest in seipso producere non solùm inadæquatè, sed adæquatè, differentiam specificam illius cognitionis, quia cognitiones Petri & Pauli possunt esse ejusdem speciei. Nunc

592. Respondetur directè ad argumentum ex dictis. Negando quòd talis potentia esset frustra, & quòd nunquam reduceretur in actum secundum naturaliter. Cùm enim, vt vult adversarius, tunc dicatur reduci in actum secundum naturaliter, quando producit aliquam formalitatem differentiæ illius, quam non potest totam producere naturaliter, hocipso omnis potentia obedientialis activa tunc reducetur in actum secundum, quando producet suum effectum connaturalem, qui continet æquivalenter formalitatem *creaturæ*, inclusam in altera differentia. Ratio vltimata est. Ad hoc vt potentia obedientialis, prout à Natura datur, non sit frustra, satis est, quòd possit naturaliter producere effectum primarium à Natura intentum per Virtutem Naturalem talis entitatis activæ: neque necesse est, posse naturaliter reduci in omnem actum sibi quomodocunque possibilem, vt patet in potentia obedientiali passiva, & activa intellectuali. Neque hæc potentia intenditur à Natura in ordine ad alios terminos, sed tribuitur ex necessitate Materiæ.

593. Itaque à primo ad vltimum, sicut potest Perfectio Supernaturalitatis produci ab intellectu creato, non obstante, quòd intellectus careat hac perfectione, quia sufficit, quòd contineat aliam formalitatem inclusam in differentia actûs supernaturalis, ita poterit Corpus Christi elevari ad producendam Gratiam sanctificantem, quia licet non contineat formalitatem supernaturalitatis, continet tamen formalitatem *entis creati*, quæ licet comparata ad Deum sit imperfectio, comparata tamen ad Chymeram, est perfectio. Et hæc de potentia obedientiali.

CONTROVERSIA III.

Vtrum Sacramenta causent Gratiam physicè, vel tantùm moraliter.

594. VIdimus, Potentiam obedientialem probabiliter non deesse ad causandam physicè Gratiam. Inquirimus jam, an defacto Deus illam elevet, vel an alio sensu dicantur Sacramenta causare Gratiam. In quo puncto quatuor invenio sententias.

595. Prima sententia est, Sacramenta causare physicè gratiam, non per meram extrinsecam elevationem, sed per aliquam intrinsecam qualitatem transeuntem, supernaturalem, habentem naturalem proportionem cum Gratia, tantum cum effectu, cujus sit causa Instrumentalis, in tamen vt cum illa qualitate etiam immediatè influat Entitas Sacramenti, sicut cum Lumine gloriæ influit intellectus in Visionem Dei, vel cum habitu in actum fidei. Ita P. Dicastillo disp. 2. dub. 6. n. 214. citans Paludanum Capreolum, Ferrariensem, Alensem. Card. de Lugo contra, quòd si Sacramenta physicè influerent, (quod ipse negat) hæc sententia tenenda esset.

596. Secunda sententia est Card. Pallavicini lib. 6. c. 16. à n. 215. desumpta ex Manuscriptis P. Antonij Perez; in Sacramentis esse aliquid plus causalitatis, quàm habeat causa pure moralis aut mera conditio, minus autem quàm habet causa physicè influens. Pro cujus declaratione advertit, in ijs quæ physicè determinant res ad existendum, esse triplicem gradum: alia influunt in existentiam illius rei; alia per suam perfectionem exigunt illam, sed non influunt: alia neque influunt neque exigunt, sed sunt id quo potius aliquid aliud influit, aut exigit, vt sunt conditiones. Ad secundum genus pertinent Causæ physicæ minùs propriæ, v. g. Pater respectu animæ filij, Gratia respectu habituum supernaturalium & auxiliorum. Vult itaque Pallavicinus, Sacramenta pertinere ad hoc genus causæ, nempe Sacramentis imprimi qualitatem supernaturalem, relativam ad præteritam promissionem Dei, & ratione hujus exigere physicè & metaphysicè, Gratiam produci à divina omnipotentia, eamque determinare ad ipsius Gratiæ collationem. Hanc qualitatem vult Auctor esse in omnibus partibus Sacramenti. vult item existere in actibus ministrorijs, in Humanitate & Passione Christi, quin & in Sacramento valido & informi, quibus omnibus à Scriptura & Concilijs tribuitur efficacitas nostræ justificationis. Denique infert, Sacramenta ideo esse instrumenta Dei, quia per ea Deus determinat suam omnipotentiam ad productionem Gratiæ in bonum non ipsorum Sacramentorum, sed alterius.

597. Tertia sententia est, Sacramenta causare physicè Gratiam per potentiam obedientialem extrinsecè elevatam. Ita Suarez, Bellarmin.

minùs, Bannez, & videtur in eam propendere S. Thomas q. 62. a. 1. quamvis pro quarta etiam citetur a. 4. ad. 3.

598. Quarta sententia docet, Sacramenta tantùm moraliter caussare Gratiam quoad suam substantiam. Ita Canus, Ledesma, Molina, Vasquez, Conink, Lugo, Arriaga, Compton. & RR. communiter.

§. I.

Rejicitur 1. Sententia.

599. DICO 1. Non datur qualitas supernaturalis, elevans intrinsecè, & influens physicè in Gratiam. Probat Pallavicinus Conclusionem. Gratia est quædam quasi natura supernaturalis, atque adeo est nobilissima qualitatum possibilium, alioquin alia nobilior agnoscenda esset in Christo, quâ proinde positâ fuisset in ejus anima radix Gratiæ, quod nemo Theologorum sentit: quia Gratia non esset in nobis prima & radicalis participatio Naturæ Divinæ, si alia qualitas prior inveniretur, à qua posset ipsa Gratia emanare: ergo illa qualitas Sacramentalis non posset esse Nobilior Gratiâ: sed neque posset esse ignobilior Gratiâ, nam caussa ignobilior non potest producere effectum Nobiliorem se. Quodsi dicas, illam qualitatem esse caussam instrumentalè Dei, & ideo posse esse imperfectiorem effectu, urget Pallavicinus, quia ad rationem caussæ instrumentalis requiritur, vt agat in bonum caussæ principalis. atqui nulla creatura agit in Bonum Dei, sed potiùs vice versâ, Deus operatur in bonum creaturarum: ergo Deus non potest habere instrumentum physicum.

600. Confirmat argumentum. Quia licet accidens possit esse instrumentum substantiæ in productione substantiæ, quâ est ignobilius, attamen respectu alterius accidentis id esse non potest. Discrimen est, quia licet accidens sit caussa substantiæ in uno genere, est tamen illius effectus in alio genere: scilicet in genere caussæ finalis, quæ est perfectior Medijs: at verò vnum accidens (exceptis intentionalibus) non est caussa finalis alterius, & ideo non potest esse ignobilior caussa suo effectu qui etiam sit accidens. Hæc Paliavic.

601. Imprimis ego non perspicio, quomodo hæc cohæreant cum ejusdem Auctoris verbis, suprà ex eodem relatis. Dixerat enim in explicatione suæ sententiæ, quòd Sacramena sint Instrumenta Dei, quibus Deus determinat omnipotentiam suam ad producendam Gratiam, non in Bonum Sacramentorum, sed suscipientis: quomodo ergo modò dicit, nullum posse dari Instrumentum respectu Dei, & omne Instrumentum debere operari in bonum Caussæ Principalis, nullam autem creaturam posse operari in bonum Dei? Ad argumentum ipsum responderent adversarij, quòd illa qualitas esset ignobilior Gratiâ, neque esset Radix illius, quia esset qualitas transiens, Radix autem debet ad minimùm habere tantam stabilitatem, quantam habet fructus.

Ad illud quod addebatur, vnum accidens non esse caussam finalè alterius, & ideo non posse caussam accidentis esse ignobiliorem suo effectu, hoc, inquam, assùmitur pro fundamento probationis, quod adversarij disertè negant; dicunt enim, Gratiam esse caussam finalem illius qualitatis, quæ dari non potest nisi in hunc finem, vt obtineatur Gratia. Hac ergo probatione, & quibusdam alijs sepositis,

602. Probatur Conclusio, & rejicitur illa qualitas operativa generalibus argumentis, quibus tertiam sententiam impugnabimus. Deinde contra illam specialiter sic argumentor.

Virtus caussativa Gratiæ est de essentia Sacramenti, & illius quà talis constitutiva, vt ex communi tradit Lugo *disp. 3. de Euch. s. 1. n. 38.* & constat ex definitione Sacramenti quòd sit signum practicum: atqui si daretur hæc qualitas, non esset constitutiva Sacramenti: ergo Virtus Sacramenti non consistit in huiusmodi qualitate. Minor probatur 1. ex Sacramento Eucharistiæ, quod est Sacramentum permanens: adversarij verò ponunt hanc qualitatem transeuntem, & quæ tunc primùm & solùm existat, quando gratia producitur: vnde quando Sacramentum est validum & informe, non ponitur talis qualitas. Hinc probatur minor 2. Quia Sacramentum validum & informe est completum Sacramentum, & tamen non constituitur per hanc qualitatem: ergo hæc qualitas non est pars constitutiva Sacramenti. Probatur 3. Quia, vt fatentur adversarij, Deus posset supplere concursum hujus qualitatis per concursum extrinsecum: atqui in illo casu esset totum Sacramentum, Deus autem non potest supplere partem constitutivam vllius rei. Ergo &c.

603. Probatur Conclusio 3. Hæc qualitas vnicè asseritur à suis auctoribus, quia putant eam esse necessariam, vt consulatur dignitati Sacramentorum in caussanda gratia: atqui ad hoc non est necessaria: ergo nec asserenda. Minor probatur. Si hæc qualitas daretur, ideo daretur, quia debita esset Sacramentis ratione suæ dignitatis: ergo Sacramenta exigerent illam propter suam dignitatem: ergo vt sic essent caussa illis qualitatis: ergo si Sacramentorum dignitati satis consultum est, si dicatur, quòd caussent hanc qualitatem non per physicum influxum, sed per solam exigentiam illius, pari modo satis consultum erit, si dicatur, quòd ipsam Gratiam sanctificantem caussent per exigentiam illius, absque superaddita qualitate physicè influente.

§. II.

Rejicitur Qualitas Relativa & Exactiva Gratiæ.

604. DICO 2. Virtus caussativa Sacramentorum non consistit in qualitate supern-

turali, Metaphysicè exigente productionem Gratiæ. Probatur Conclusio 1. Argumento vltimo paulò antè facto, quod contra hanc qualitatem adhuc fortiùs procedit. Nam Qualitas activa licet non sit necessaria vt consulatur dignitati Sacramentorum, serviret tamen ad hoc, vt Sacramenta possent propriè & simpliciter dici; *Sanctificare physicè*: nam hoc significat actionem physicam, aliquo modo procedentem ab eo, quod denominatur Sanctificare: atqui Qualitas purè exactiva Gratiæ, non posset hanc denominationem præstare, quia nec ipsa qualitas produceretur physicè à Sacramentis, neque Gratia produceretur physicè à Qualitate: ergo major est ratio negandi hanc quàm priorem qualitatem.

605. Probatur Conclusio 2. ad hominem. Docet enim Card. Pallavicinus, hanc qualitatem recipi in omnibus partibus Sacramenti. Infero. Ergo ipsa Qualitas non est pars constitutiva Sacramenti, quia supervenit toti collectioni partium. Subsumo. atqui virtus caussativa Sacramentorum est constitutiva Sacramentorum: ergo Qualitas hæc non potest esse virtus Sacramentorum.

606. Probatur Conclusio 3. Omnis exigentia physica est prædicatum quoddam secundum, (vt sæpiùs inculcat ipse Pallavicinus) supponens aliud primum, ratione cujus illi entitati bona est illa res, cujus dicitur habere exigentiam: atqui Gratia quæ datur v. g. Petro intuitu Sacramenti, non est bona illi qualitati, vtpote quæ non existit in ipso Petro, sed in partibus transeuntibus Sacramenti, cum quibus & ipsa qualitas transit: ergo non datur qualitas habens talem exigentiam.

607. Confirmatur ex P. Esparza [Stulta enim, inquit, est petitio (qualis est omnis exigentia) destituta omni ratione petendi: experientia enim docet, nos non impelli ad petendum aliquid, quod ratione conditionis nostræ nullo modo nostra interest produci vel non produci: quis enim prudenter petat à Deo, vt in profundo terræ vel maris, quò nemo mortalium vnquam perventurus est, producat massam optimi auri? multò minùs censenda est natura hujusmodi appetitiones instituere per appetitus innatos: atqui hujusmodi appetitio esset illa qualitas exigens productionem Gratiæ in suscipiente Sacramentum, vt cosideranti patet.]

608. Confirmatur vlteriùs, inductione per alias exigentias, quæ tum à Philosophis tum à Theologis admittuntur, in quibus semper apparet ratio exigendi. Pater mediante virtute seminali exigit produci filium: vtique patris interest habere filium, in quo species conservetur. Gratia sanctificans exigit in suo subjecto produci habitus supernaturales: vtique interest Gratiæ, (quæ in ordine supernaturali est quasi Natura,) & etiam subjecti, cui gratia inexistit, habere suas potentias ad eliciendos actus sibi & fini suo proportionatos, & sic de alijs exigentijs. Cùm ergo Qualitas, de qua est sermo, nullam hujusmodi rationem exigendi Gratiam habeat, vt ostensum est, repugnat eam dari.

§. III.

Rejicitur Elevatio extrinseca Sacramentorum.

609. DICO 3. Sacramenta non elevari physicè per extrinsecum concursum ad producendam Gratiam. Probat Conclusionem Card. de Lugo hoc modo. Non omnes partes Sacramenti, vtpote successivè existentes, possunt physicè influere, sed tantùm vltimum terminans: atqui sic totum Sacramentum potiùs dicetur moraliter influere, cùm totum reliquum non nisi moraliter concurrat: non enim illud quod præterijt, componit vnum ens physicum, & per se, cum vltima syllaba.

Scio, adversarios hoc argumento parùm moveri, primò quia totum se fundat in modo loquendi. Fatentur ergo, totum Sacramentum esse caussam moralem Gratiæ, sed non tantùm esse caussam moralem, sed simul etiam physicam, quia potest enti morali & artificiali tribui actio physica, etiamsi tantùm vna illius pars influat, vti circumstantiæ aliud requirant. Sic dicimus totum exercitus oppugnâsse & expugnâsse civitatem, tametsi fortè minima pars manum admoverit. Quidquid ergo sit de hoc argumento

Probatur Conclusio sufficienter ex fundamento generali, quòd Miracula non sint allegenda sine necessitate, & vrgente causa: nulla autem est vrgens necessitas asserendi, Sacramenta assumi & elevari ad producendam Gratiam, cum ex natura sua exigit à Deo solo produci: ergo &c.

§. IV.

Proponitur verior sententia de modo quo Sacramenta caussant Gratiam, & solvuntur Objectiones.

610. DICO 4. Sacramenta tantùm moraliter influere in Gratiam, non quid eminentiores conditiones, sed excellentiore modo, inferius exponendo. Probatur solutione Objectionum.

Objicit P. Dicastillo 1. testimonium S. Pauli ad Titum 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritûs Sancti, quem effudit in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum.* Deus vt caussa physica. Vnde sic argumentatur. Deus vt caussa physica effudit Gratiam per Christum & Baptismum: ergo per Christum & Baptismum non dicitur operari per caussam physicam non dicitur operari per caussam moralem, à qua moveatur ad operandum, sed potiùs econtra, caussa moralis dicitur operari per caussam physicam: ergo si Deus gratiam produxit per Christum & Baptismum, debet vtique causalitas esse physica. Minorem probat exemplo. Nam ille qui ex consilio aut præcepto alterius alium occidit, non dicitur illum occidere per caussam

causſam conſulentem aut præcipientem, ſed econtra. Vnde etiam Deus non dicitur in executione conferre Gloriam *per Merita*, ſed *propter Merita*.

611. Ad hoc argumentum imprimis reſponderet aliquis ex doctrina quam tradidi in 1. libro, negando quòd Deus moveatur à Sacramentis ad producendam gratiam, ſed quòd Deus ordinet Sacramenta ad Gratiam, ſicut ordinat merita ad præmium, & ſicut rectè dicitur per merita procurare præmium, etiamſi merita non influant phyſicè in præmium, ita poterit dici procurare Gratiam per Sacramenta, etiamſi Sacramenta non influant phyſicè in Gratiam. Cæterùm abſtinendo nunc ab hoc, aliter reſpondeo.

612. Imprimis quidem argumentum nimium probat, & omnibus eſt ſolvendum. Certum enim eſt, multos accipere Gratiam per baptismum non quando confertur, ſed quando, remoto obice, reviviſcit: tunc autem non poteſt eſſe cauſſa phyſica Gratiæ, & tamen de tali baptismo eſt etiam verificandus ille textus S. Pauli: ergo quocunque modo explicabitur pro his caſibus, poterit pro omnibus.

613. R. 2. Diſtinguendo minorem. Cauſſa phyſica non dicitur operari per moralem à qua movetur, ſi hæc ſecundùm ipſam rationem movendi non eſt illius ipſius cauſſæ phyſicæ effectus, & quidem in eum finem poſitus, vt moveat ad effectum phyſicè ponendum, tranſeat minor: ſecus, nego minorem: atqui merita Chriſti & Baptismus ſunt effectus & beneficia Dei, & quidem in hunc finem poſita, vt Deus ab illis moveretur ad gratiam nobis conferendam: ergo rectè dicitur Deus per hos ipſos effectus ſuos nobis conferre Gratiam, etiamſi merita & Baptismus tantùm moraliter influant. Falſum itaque eſt, quòd vniverſim illud per quod Deus aliquid facere dicitur, non ſit etiam id, propter quod id facere dicatur. Sic Deus veriſſimè dicitur nobis conferre Gloriam æternam, & per noſtra merita, & propter eadem noſtra merita. Sic Eccleſia ferè omnes orationes & petitiones terminat his verbis: *Per Dominum noſtrum &c.* quorum ſenſus eſt: *Propter merita Chriſti.* Ergo, niſi quis ita ineptiat, vt dicat, Chriſtum elevari phyſicè ad omnia beneficia, quæ illius intuitu nobis conferuntur, fatendum eſt, Deum quoque rectè dici per Sacramenta conferre Gratiam, etiamſi Sacramenta non eleventur, vt phyſicè concurrant.

614. Objicitur 2. & quidem præcipuè auctoritas Sanctorum Patrum, aſſerentium, Sacramenta cauſſare gratiam, mundare &c. qui modi loquendi videntur ſonare phyſicum influxum. Hoc argumentum varijs modis validè retorquetur. Priusquam autem retorſiones referam, placet examinare teſtimonium S. Ambroſij lib. 1. de Sacramentis c. 5. in quo mirè triumphant P. Caſtillo & Pallavicinus, arbitrantes, non poſſe niſi de phyſica cauſſalitate intelligi, quem tamen locum Authores noſtræ ſententiæ non declarant. Verba S. Patris ita ſe habent. [Non ſanat aqua (in baptismo) niſi Spiritus S. deſcenderit, & aquam conſecraverit.] Ecce! aqua debet conſecrari, vtique non aliter quàm imprimendo qualitatem ſanativam, hoc eſt productivam, vel ſaltem exactivam Gratiæ: Neque enim poteſt deſcenſus Spiritûs Sancti aliter intelligi, quàm per operationem exercitam in aqua.

615. Auctoritas hæc non poteſt terrere niſi eum, qui totum caput S. Ambroſij non perlegerit. Mihi ſæpiùs & attentè illud perlegenti, evidens eſt, S. Patrem nihil de Qualitate adverſariorum dicere cogitâſſe. Recenſet S. Pater totam hiſtoriam antiqui teſtamenti, de ſanato Naaman à lepra per immerſionem in Jordanem, deinde quærit, quid hoc ſignificet? Reſpondet his verbis. [Vidiſti aquam: ſed non omnis aqua ſanat, ſed aqua ſanat quæ habet Gratiam Chriſti. Aliud eſt elementum, aliud conſecratio, aliud opus, aliud operatio. Aqua opus eſt, operatio Spiritûs Sancti eſt.] Nota, quòd operationem ſoli Spiritui Sancto tribuat. Pergit deinde, & incipit loqui de Inſtitutione Baptismi Chriſti, quando Chriſtus fuit à Joanne baptizatus in Jordane (cujus figura erat illa ſanatio Naaman) [non ſanat, inquit, aqua, niſi Spiritus S. deſcenderit, & aquam illam conſecraverit, ſicut legiſti, quòd cùm Dominus Jeſus Chriſtus formam (id eſt ritum) baptismatis daret (hoc eſt inſtitueret) &c. & ecce! quaſi columba Spiritus S. deſcendit.] Hæc S. Ambroſius: ex quibus apertè conſtat, de quo deſcenſu loquatur, nempe de præterito, non de futuro, de illo ſcilicet in ſpecie columbæ. Senſus itaque S. Patris planiſſimus eſt, quòd aqua, quæ in baptismo adhibetur, non ſanaret à peccato, niſi à Chriſto fuiſſet baptismus inſtitutus, annuente Spiritu Sancto, cujus opus eſt Sacramentorum inſtitutio, nam omnia beneficia ſpecialiter Spiritui Sancto tribuuntur, & ſpecialiùs illa Gratia, quæ tribuitur in Baptismo Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S.* Itaque Spiritus S. dicitur aquam conſecrâſſe tunc, quando vnà cum Patre & Verbo Baptismum inſtituit, ac promiſit Gratiæ collationem intuitu talis Cæremoniæ debito modo applicatæ. Hæc autem conſecratio tam parùm ſignificat immutationem phyſicam aquæ, aut qualitatis impreſſionem, quàm parùm per ejusmodi qualitatem immutantur Eccleſiæ, Altaria, Calices, Oleum, &c. quando conſecrantur ritu ab Eccleſia inſtituto. Nunc ad retorſiones veniamus.

616. Retorquetur itaque argumentum ab auctoritate Patrum deſumptum 1. Sancti Patres loquuntur vniverſaliter & eodem modo de emundatione per baptismum, quandocunque & quomodocunque ea fiat: & tamen ſæpè non poteſt hæc emundatio fieri per phyſicum baptismi influxum in Gratiam: ergo ſi in his caſibus poſſunt & debent Patres intelligi non de phyſica, ſed tantùm de morali cauſſalitate, poſſunt vniverſim de illa intelligi. Minor patet in Baptismo va-

lido & informi, ac postmodum remoto obice revivíscente, de quo loquitur S. Augustinus lib. 3. de bapt. c. 3. & Auctor sermonis de Passione Christi apud Cyprianum. Quando ergo Patres tribuerunt Sacramentis vim sanctificandi, non fuerunt solliciti de specifico modo caussandi, an sit physicus vel moralis, sed abstraxerunt; eorum enim institutum erat, Mysteria fidei populo explicare, non scholasticas quæstiones definire.

617. Retorquetur 2. Scriptura & Patres eodem modo tribuunt vim caussandi vtrique parti Sacramentorum, Materiæ & Formæ, & tamen non facilè vnquam fit, & est moraliter impossibile fieri, vt vtraque pars simul & semel in eodem instanti terminetur, adeoque simul concurrat physicè, præsertim in Sacramento Pœnitentiæ, vbi confessio jam præterijt quando fit Absolutio, & in Sacramento Eucharistiæ &c. Si ergo Patres quoad vnam partem possunt ac debent intelligi de sola caussalitate morali, eodem modo poterunt intelligi quoad vtramque partem.

618. Respondet P. Dicastillo, sufficere quòd vna pars Sacramenti physicè influat, vt totum denominetur influere. Sed contrà, & hoc bene notandum est, quando Patres loquuntur de Baptismo, semper nominant aquam, eamque dicunt mundare etiam tunc, quando forma tardiùs absolvitur quàm ablutio: atqui hic modus loquendi foret ineptus & falsus, si per emundationem intelligerent physicam caussalitatem Gratiæ, & tamen aqua secundùm se non influeret physicè: sicut ineptè diceretur de aliqua parte exercitûs v.g. de Legione A. quòd illa physicè ceciderit hostem, si tamen illa physicè nunquam congressa fuisset, sed tantùm pugnæ astitisset, alia legione manus & arma conferente: ergo si Patrum locutiones essent intelligendæ de physico influxu, eæ non satis defenderentur esse veræ, dicendo, quòd saltem alterutra pars Sacramentorum influat physicè.

619. Retorquetur argumentum 3. Scriptura & Patres etiam passim dicunt, Sanguinem, Passionem & Mortem Christi nos mundare, justificare &c. vtique non nisi moraliter: sic etiam dicunt Sacramenta esse plena sanguine Christi, ex quibus hauriantur aquæ salutis: sicut ergo hæc continentia est merè moralis, ita etiam efficientia erit merè moralis. Hac retorsione pressus Pallavicinus, posuit suam qualitatem etiam in meritis & sanguine Christi: sed nunquid etiam poni poterat in morte, quæ est dissolutio seu ablatio vnionis? & tamen dicimur etiam per mortem Christi justificari.

620. Retorquetur 4. Viri sancti dicuntur eâdem phrasi patrare Miracula, dare sanitatem, quando hæc impetrant suis meritis & precibus: an propterea dicemus hæc fieri per physicum eorundem influxum?

Retorquetur 5. Homo per peccatum & finalem impœnitentiam dicitur esse caussa suæ perditionis: nunquid & hic dabitur qualitas exigens damnationem, aut physicè influens in pœnas æternas, procedens ab ipso peccato præterito?

Retorquetur 6. & vltimò. Quin imò Patres videntur quandoque satis aperte physicum influxum Sacramentis negâsse, dum dicunt, solum Spiritum S. ad Sacramenti exhibitionem sanctificare, prout ex S. Ambrosio retuli. S. Augustinus in Epist. 23. ad Bonifacium. [Aqua, inquit, exhibens extrinsecùs Sacramentum Gratiæ, & Spiritus S. operans intrinsecùs beneficium Gratiæ, solvens vinculum culpæ, reconcilians homini naturæ regenerant (ita legendum est, & non *regenerans*, vt vult Lugo) hominem Christo. Ecce! S. P. tribuit generationem vtrique, nempe licet Sacramento & Spiritui S. sed cum differentia, quòd aqua regeneret exhibendo Sacramentum extrinsecùs, Spiritus S. verò intrinsecùs operando ipsam Gratiam.

Ad objectionem ergo respondetur, SS. Patres non tribuisse Sacramentis influxum physicum, sed abstraxisse, vt jam dictum est.

621. Objiciunt 3. Si Sacramenta moralia non agunt physicè, sed solùm moraliter, non videntur aliud esse quàm quædam conditiones sine quibus non: sicut est denarius plumbeus Regis, quo exhibito datur alicui pecunia ex voluntate Regis: atqui Sacramenta non habent se merè hoc modo, sed meliùs comparantur securi respectu arboris, vt tradit S. Thomas q. 62. a. 1. in C. circa 3. Bernardum, dicentem in sermone de Cœna Domini: [Sicut investitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Episcopus per annulum, ita diversiones Gratiarum diversæ sunt traditæ Sacramentis.]

R. 1. S. Thomas meritò rejicit illa exempla S. Bernardi, quia sunt mera signa speculativa potestatis collatæ. Nummus plumbeus est enim merum signum speculativum Regiæ voluntatis, quæ deinde voluntas movet Ministrum & administratorem pecuniæ, ad solvendam pecuniam. Rectè etiam S. Thomas comparat Sacramenta potiùs securi, non quidem quòd debeant physicè concurrere, sed cum debita proportione, quæ in hoc consistit, quòd securis, ad hoc vt serviat artifici tanquam idoneum instrumentum, debeat in se habere quandam aptitudinem & acuitatem ad scindendum. Sic ergo instrumentum morale, vt differat à mera conditione, debet in se habere aliquam virtutem movendi caussam principalem ad aliquid faciendum: hanc autem habent Sacramenta, quorum virtus aliud non est, quàm merita Christi illis applicata, vt tradit S. Thomas a. 5. in C. his verbis. [Manifestum est, quòd Sacramenta Ecclesiæ, specialiter habeant virtutem ex passione Christi, cujus virtus quodammodo nobis copulatur per susceptionẽ Sacramentorum.] Præterea Sacramenta sunt etiam quædam actiones Christi, dignificatæ ab illius institutione vt sint suo nomine, & hanc institutionem atque auctoritatem includunt tanquam partem constitutivam, quæ vtique est dignitas apta movere non minùs quàm

quàm merita, sicque plurimùm differunt à puris conditionibus. sed hæc infrà magis declarabuntur.

622. Objiciunt 4. Si Sacramenta nostra tantùm moraliter caussant Gratiam, nihil planè prærogativæ habent supra Circumcisionem: nam ex communiore opinione, per Circumcisionem conferebatur Gratia parvulis ex opere operato. R. Etiam hoc argumentum adversarijs solvendum esse, si comparetur Circumcisio cum Sacramento revivisente, quo casu Baptismus adhuc nobiliore modo concurrit ad productionem Gratiæ quàm Circumcisio, & tamen non caussat per physicum influxum: ergo potest inter Circumcisionem & nostra Sacramenta agnosci discrimen in caussando gratiam independenter à physico influxu. Respondetur nunc directè negando sequelam, quia ad summum dici potest, quòd Circumcisio fuerit conditio, & non caussa strictiùs sumpta, juxta discrimen paulò pòst explicandum. Dixi: *ad summum.* Nam inferiùs de hoc ipso disputabitur, an fuerit saltem conditio conducens ex opere operato, & hoc ipsum negabitur, sicque objectio nos non concernet. Nunc ergo explicemus discrimen inter Conditionem & Caussam Moralem strictiùs & Theologicè sumptam.

§. V.

Explicatur discrimen inter Caussam Moralem, & Conditionem.

623. ATrulimus in hujus rei declarationem exemplum nummi plumbei. Nunc superaddemus aliud, quod proponit Card. de Lugo. Dominus mandat servo, vt quoties audiverit cantantem gallum, det eleemosynam. In hoc casu cantus galli est conditio, imperium Domini est caussa moralis. Quæritur in quo consistat ratio Caussæ moralis, ejúsque differentia à mera conditione, quæ quidem videri posset esse quæstio de nomine, sed reverâ fundatur in reali discrimine, quod admodum servit ad ostendendum, nihil derogari excellentiæ Sacramentorum, si illis denegetur ratio Caussæ physicæ, & tribuatur ratio Caussæ moralis.

624. DICO itaque. Ex illis rebus, quæ obiectivè movent aliquam caussam, ad aliquid physicè efficiendum, datur discrimen in modo movendi, propter quod vnum vocatur Caussa, alterum verò Conditio. Illud vocatur Caussa Moralis strictiùs loquendo, quod operantem movet ratione alicujus dignitatis & excellentiæ, in quam fertur, & à qua quodammodo excitatur affectus caussæ illius quæ movetur ad physicè operandum. Illud verò est mera conditio, quod non movet ratione hujusmodi dignitatis & excellentiæ in se repertæ, sed vt conjunctum cum alio talem dignitatem habente, & exigente non movere, nisi quando illud alterum sibi conjunctum habet. Quando ergo in aliquo casu vtrumque intervenit (quod tamen non semper contingit) nempe Caussa moralis & conditio, tunc licet neutrum sine altero moveret, hoc tamen interest discrimen, quòd id quod est caussa moralis, ideo moveat vt conjunctum cum altero, quia petit non movere nisi vt sic conjunctum, non ex defectu virtutis, sed quia suâ non interest movere, nisi quando est alteri conjunctum, sicut non interest ignis calefacere, nisi sit approximatus. Econtra alterum quod est conditio, ideo præcisè non potest movere sine altero quod caussam dicimus, quia Caussa petit non movere, nisi habeat conjunctam talem conditionem, adeoque suam vim movendi mutuat à Caussa.

625. Hinc redditur ratio, cur Nummus plumbeus sit mera conditio, quando movet ad dandam pecuniam, Voluntas autem Principis sit Caussa moralis, & idem est de voluntate Domini, comparata cum cantu galli. Nam in voluntate illa residet Dignitas & Excellentia, excitans & impellens servum: quia verò Voluntas Domini talis est, vt nolit a servo attendi, nisi ponatur cantus galli, aut exhibeatur nummus plumbeus, hinc est, quòd sine cantu galli, aut exhibitione nummi plumbei non moveat. Quodsi Princeps aliud signum assumpsisset, eodem modo illud moveret, quod signum est, virtutem movendi inesse voluntati Domini, non verò cantui aut nummo.

Declaratur vulgaribus exemplis. Præcipiens, Rogans, Consulens, sunt caussæ morales: in ipso enim præcepto, consilio, precibus, residet virtus excitandi voluntatem alterius ad operandum, seclusis alijs: quodsi verò præcipiens ipsemet restringat suum præceptum ad certos casus & circumstantias (idem est de consulente & rogante) tunc illæ circumstantiæ sunt meræ conditiones, juxta regulam traditam.

626. Nunc ad rem nostram veniendo, & applicando Regulam Sacramentis, apparebit, Sacramenta novæ legis, rectissimè dici Caussas Morales. Continent enim in se excellentiam moventem Deum ad producendam Gratiam, vtpote actiones Christi, à Christo institutæ, & à Ministris Christi exercendæ, nomine & auctoritate ipsius Christi, & quidem in hunc finem, vt Gratia obtineatur; adeoque dignificantur ab ipsa Institutione Christi, meritisque à Christo applicatis: vnde à SS. PP. dicuntur esse plena sanguine Christi: ac denique sunt quidam cultus Dei, quatenus sunt petitiones Christi, quibus petit à Patre Cœlesti dari gratiam, ac proinde per Sacramenta colitur Deus vt auctor Gratiæ. Nihil ergo potest desiderari ad rationem Caussæ moralis in stricta significatione.

627. Hanc declarationem discriminis inter caussam moralem & conditionem reipsâ, etsi alijs verbis, invenio traditam in Hispania à celebratissimo Theologo, Benedicto de Robles, professore Cardinalis de Lugo & Arriagæ, qui suum Magistrum secuti sunt. Eandem tradit Esparza his verbis. [Res physicæ & actiones exteriores, includentes intrinsecè actum liberum voluntatis,

voluntatis, quoad vim inductivam & caussativam alicujus effectûs, dicuntur absolutè caussæ morales talis effectûs. Sacramenta autem includunt essentialiter ac intrinsecè talem actum, atque ab eo pendent formaliter quoad esse completum Sacramenti, & vim illativam Gratiæ.]

§. VI.

Vtrum Circumcisio fuerit Caussa Gratiæ, vel Conditio, vel Neutrum.

628. SOlet hæc quæstio hîc agitari occasione eorum quæ dicta sunt, quamvis alioquin ad Scripturæ Interpretes pertineret. Serviet autem ejus resolutio ad meliorem intelligentiam eorum quæ dicta sunt, & ad nostrorum Sacramentorum commendationem.

Difficultas autem movetur ex varijs Scripturæ textibus, quibus circumcisio modò extolli, modò deprimi videtur; & quia vix apparet modus explicandi, quomodo parvuli in Circumcisione fuerint justificati, si Circumcisio nihil ex opere operato contulit.

Doctores tantùm duas sententias oppositas communiter referunt: cùm tamen in quatuor distribuendæ videantur.

629. Prima & valde communis sententia est, per Circumcisionem, saltem tanquam per conditionem, fuisse parvulis collatam Gratiam ex opere operato, & sic illis circumcisionem fuisse medium necessarium ad salutem.

630. Secunda sententia simpliciter negat hujusmodi conducentiam & necessitatem. Ita post multos alios Vasquez 1. 2. *d.* 184. *c.* 3. *n.* 18. & *c.* 4. *n.* 36. & licet hoc loco videatur Circumcisionem solùm excludere à ratione Caussæ, quia in fine cap. quarti dicit, se in quæst. 70. S. Thomæ tractaturum, an saltem fuerint conditio necessaria, fundamenta tamen Vasquezij etiam contra Conditionem procedunt, & deinde in 3. p. *d.* 163. n. 18. expressè iterum asserit, Circumcisionem non fuisse parvulis necessariam, nec remedium ad salutem, & præceptum Circumcisionis eatenus solùm parentes obligâsse, vt infantes populo Dei aggregârent. & paulò pòst n. 19. sic loquitur. [Quod verò spectabat ad salutem spiritualem infantium, præsto illis esse poterat fides parentum, quæ ante Christi adventum semper pro parvulis remedium fuit.] Quæ verba cùm sint clarissima, mirum est, P. Dicastillo d. 2. n. 316. dixisse, nullum Theologum opinari, pueris Hebræis non fuisse necessariam Circumcisionem. Eandem cùm Vasquez sententiam etiam tenet Bellarminus: citatur etiam pro eâdem à Card. de Lugo Ægidius Conink a. 6. verùm hic n. 146. expressè docet, fuisse saltem conditionem respectu parvulorum.

631. Tertia sententia volens declinare difficultates vtriusque extremæ jam relatæ sententiæ, procedit mediâ viâ. Docet enim, Circumcisionem non justificâsse quidem, si formaliter sumatur, hoc est, si consideretur prout fuit primò & primò instituta, quia vt sic erat tantummodo signum fœderis inter Deum & familiam Abrahæ, cui promittebatur ingens multiplicatio & terra Canaan, & vt sic erat signum distinctivum populi electi, nec quidquam pertinebat ad conferendam salutem.

De Circumcisione ergo sic accepta veriùs sententia intelligendos esse textus S. Pauli & SS. Patrum, quos pro se adducit secunda sententia. Quia verò respectu parvulorum masculorum fuit in Circumcisionem commutatum Sacramentum Legis naturæ, quod ante institutam Circumcisionem adhibebatur contra peccatum originale, ita Circumcisio materialiter spectata, hoc est, vt Sacramentum legis naturæ, habebat vsum maximam ad delendum peccatum originale ex opere operato; & hoc modo vult intelligendos textus quibus vtitur prima sententia. Hanc sententiam tenet Card. de Lugo, & priùs eam proposuerat Vasquez *loco cit.* c. 4. *n.* 42. & vix apparet in quo differat ab hac sententia Suarez *disp.* 5. *sect.* 2. *utraque istarum.*, nisi quòd Lugo eam accuratiùs explicuerit. Lugonem sequitur P. Dicastillo; differunt tamen hi duo, quòd Lugo velit illam commutationem Sacramenti Legis Naturæ in Circumcisionem, non fuisse à Deo factam aliquo præcepto, sed ex libera deputatione ipsius populi, quatenus voluit vnâ eâdemque actione divina præceptis satisfacere. Econtrà Suarez & Dicastillo volunt illam commutationem fuisse factam à Deo Gen. 17. & ideo extra casum necessitatis non masculo infanti profuturum fuisse Sacramentum legis naturæ prout priùs profuerat.

632. Quartam sententiam tenuit olim vir profundè doctus & solidus, Petrus de Ambâs, vt refert ejus discipulus P. Castillo à n. 56. eamque reipsâ amplexi sunt & illustrârunt Pallavicinus & Esparza. Hi itaque docent, Justificationem parvulorum fuisse affixam à Deo (extra casum necessitatis) illi actui meritorio, quem exercebat Minister voluntate executivâ, protestationis fidei in Christum, quæ hîc & nunc fiebat per Circumcisionem, quæ voluntas ex suo modo tendendi erat irretractabilis, quatenus non mere de futuro, sed hic & nunc, & pro hoc instanti imperavit Circumcisionem, & per eam voluit suam fidem in Christum applicare infanti. Quod dictum est de Circumcisione, idem dicendum de illo remedio incognito, per quod fœmellis, & etiam masculis in casu necessitatis applicabatur fides in Christum.

633. In hac ergo sententia Circumcisio secundùm se præcisè spectata, fuit inutilis ad justificationem, & quoad hoc punctum convenit hæc sententia cum secunda. Fuit tamen vtilis denominativè sumpta, quatenus denominabatur meritoria ab actu illo interno protestativo, sicut dicit solet, Eleemosynâ redimi peccata, & acquiri vitam æternam, licet totum meritum constitat in solo

solo actu interno. Ratio autem hæc est, quia actus internus accipitur in communi sermone per modum vnius cum actu externo, quem secum trahit, & ideo actus externus denominatur ab actu interno bonus, & meritorius illius rei, quam meretur & impetrat actus internus. Differt ergo hæc sententia à secunda solùm in hoc, quòd Justificationem parvulorum tribuat actui fidei & protestationi internæ, quæ secum trahit Circumcisionem, quod secunda sententia non satis explicavit, quamvis fortassis subintellexerit.

634. DICO, Hanc quartam sententiam videri veram. Probatur 1. Quia est conformior S. Scripturæ & PP. quatenus Circumcisioni negat conducentiam ex opere operato; & præterea salvat illos loquendi modos, qui videntur patrocinari Circumcisioni. Posterior pars probabitur solutione objectionum, quæ fieri solent ab auctoribus primæ sententiæ. Nunc autem probatur prior pars ex Ep. ad Rom. 3. & 4. 1. ad Cor. 7. ad Galat. 4. ad Coloss. 2. ad Hebr. 7. 9. & 10. quibus locis, vt Apostolus Circumcisionem dissuaderet quibusdam Judæis ad Christum conversis, sed Circumcisionem retinere volentibus, docet, Circumcisionem aliósque ritus antiquæ legis, fuisse meras figuras eorum, quæ jam existunt, neque per illos fuisse justificatos Hebræos, sed per fidem; sic Abraham non per Circumcisionem, sed per fidem præcedentem fuisse justificatum: *Credidit Deo, & reputatum est illi ad Justitiam.* Deinde etiam appellavit illa infirma & egena elementa. Ex quibus textibus collegerunt Concilia, quòd Sacramenta antiquæ legis non fuerint Causa Gratiæ.

635. Confirmatur 1. Cùm S. Paulus ad Rom. 2. docuisset, Justificationem tam Judæi quàm Gentilis esse ex fide; postmodum c. 3. objicit sibi ipsi & replicat hoc modo. *Quid ergo amplius Judæo est, aut quæ vtilitas Circumcisionis?* quasi diceret. Si Circumcisio secundùm se spectata, non fuit remedium contra Originale, nec conducens ad Justificationem ex opere operato, sed Justificatio contigit Judæo æquè ac Gentili ex Fide, quid ergo prærogativæ habuit Judæus præ Gentili intuitu Circumcisionis? Ecce! in hac objectione supponitur, Circumcisionem fuisse inutilem etiam in veteri Lege. Ad hanc replicam respondet S. Paulus longè aliter quàm secundùm adversarios debebat: respondet, inquam, ad vtrumque membrum objectionis, hoc modo. Ad primum quidem de eminentia seu prærogativa Judæi supra Gentilem, his verbis. *Multum per omnem modum: primùm quidem* (id est potissimùm) *quia credita sunt illis eloquia Dei.* id est, revelationes & promissiones à Deo factæ. quasi diceret; Deus Judæis longè copiosiùs & familiariùs communicavit & impertivit spirituales illustrationes & supernaturales veritates. Ad. 2. verò partem objectionis, de vtilitate Circumcisionis in specie, respondet cap. 4. his verbis. *Et signum accepit Abraham Circumcisionis signaculum Justitiæ fidei quæ est in præputio, vt sit Pater omnium credentium.* Quasi diceret. Vtilitas Circumcisionis hæc erat, quòd Judæis esset signum acceptæ Justitiæ per protestationem Fidei factam in Circumcisione, & promissionum quæ factæ fuerant Abrahamo Gen. 17. *Circumcidetis carnem præputij vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos.*

636. Confirmatur 2. ex Epist. ad Hebr. 7. 18. 19. vbi S. Paulus expressè loquitur de inutilitate legis antiquæ, pro tempore præcedente legem novam. *Reprobatio*, inquit, *vitæ præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem: nil enim ad perfectum adduxit lex.* quasi diceret, (inquit noster Cornelius à Lap.) vis scire causam abolitæ legis? causa est legis illius infirmitas & inutilitas, quia lex illa non poterat peccata expiare, hoc est: Justificare. Lex enim tantùm in rebus externis occupabatur, circa Justitiam carnis, & munditiem exteriorem, quæ coram hominibus, non autem coram Deo nos puros & sanctos efficiebat, v. g. si quis mortuum aut immundum attigisset, jubebat eum lex lavari.

637. Respondent aliqui primò, Sacramenta antiquæ legis ideo contemni, quia non causabant Gratiam physicè, sed tantùm moraliter. Hæc tamen responsio est manifestè insufficiens. Si enim fuissent causa moralis, non magis justificâsset fides quàm Sacramenta, quia fides etiam tantùm erat causa moralis, & quidem remota. Atqui hoc repugnat verbis S. Pauli, qui dicit, non Circumcisionem, sed fidem justificâsse. Deinde satis ineptè egisset S. Paulus in illis vilipendendis apud populum, propterea quòd non influxissent physicè, sed tantùm moraliter: sicut enim defacto simplices fideles non sunt solliciti de modo quo Sactamenta causant Gratiam, neque alliciuntur ad ea æstimanda propter influxum physicum, ita populus ille quibus scribebat S. Paulus, non curâsset, physicè an moraliter caussâssent. Sic, inquit Pallavicinus, licet arbor sit causa physica pomi, & moneta sit causa tantùm moralis ejusdem quando emitur, in æstimatione tamen humana non minoris fit moneta, quàm arbor, & ideo invicem commutantur. Ratio est, quia Medium quà Medium habet totum suum pretium à bonitate finis, & à facilitate illum caussandi; ergo impertinens est modus caussandi physicè.

638. Respondent alij 2. Sacramenta antiqua contemni, quia erant duntaxat conditio, & non causa, ne quidem moralis, quia non continebant aliquam dignitatem, ratione cujus possent movere ad caussandam Gratiam, sicut continent Sacramenta novæ Legis, modo superiùs explicato, sed potiùs habebant se sicut nummus plumbeus.

Verùm, contrà vrgetur eodem modo. Quando enim conditio æquè infallibiliter infert effectum, atque inferret si esset causa physica, tunc non est contemptibilis illi, cui tale bonum affert; id quod apto exemplo declarari potest. Du-

bium est apud philosophos, vtrum, quando ferrum attrahitur a Magnete, Magnes sit caussa physicè attractiva, vel tantùm conditio, ad eum modum, quo centrum dicitur esse conditio, vt lapis moveatur versus centrum. In hoc puncto quæcunque sententia vera sit, nihil auget aut minuit pretium & æstimationem Magnetis: ita non fuisset efficax argumentum S. Pauli ad ingenerandum contemptum Circumcisionis, si saltem fuisset conditio, quâ positâ infallibiliter sequeretur nobilissimus Gratiæ effectus: nam licet non esset promerita æstimationem illam, quam merentur nostra Sacramenta, quia non esset dignificata meritis Christi, nec actio ejus nomine exercita, ratione effectûs tamen retinuisset magnam æstimationem: sicut licet Magnes sub physica consideratione plus perfectionis & æstimationis haberet, si physicâ virtute attraheret ferrum, apud illos tamen, qui præcisè amant Magnetem propter effectum attractionis ferri, adhuc eandem haberet æstimationem.

639. Respondet 3. P. Dicastillo, Concilium Florentinum (& idem diceret de S. Paulo) quando negavit Sacramentis antiquæ legis caussalitatem gratiæ ex opere operato, noluisse comprehendere Sacramentum Legis Naturæ, vtpote institutum ante Legem scriptam, sed sola Sacramenta legis scriptæ, de quibus solis loquitur: atqui Circumcisio non caussabat Gratiam vt Sacramentum legis scriptæ, sed vt in se complectens Sacramentum legis Naturæ: ergo Circumcisio quà justificativa non comprehenditur in contemptu Sacramentorum legis antiquæ.

Sed contra bene vrget Card. Pallavicinus. Doctrina Florentini desumpta est ex doctrina S. Pauli, qui de Circumcisione in specie loquitur, & sine vlla distinctione illarum formalitatum aut temporum eam vilipendit.

640. Respondet 4. Card. de Lugo, Circumcisionem contemni à S. Paulo non materialiter sed formaliter consideratam, hoc est, prout fuit primariò instituta in signum fœderis: sic enim erat egenum elementum: considerata verò prout succesit in locum remedij Naturæ, & prout illud in se continebat, habebat vtilitatem maximam ad delendum peccatum originale ex opere operato. Hæc responsio parùm differt à priore, & contra eam pariter vrgetur. Quomodocunque enim Circumcisio contulerit ad peccatum originale ex opere operato delendum, sive vt Sacramentum legis scriptæ formaliter, sive vt substitutum Sacramento legis Naturæ, non debuit S. Paulus & SS. PP. dicere, Justificationem non fuisse ex Circumcisione, sed ex Fide. Possum hoc ostendere exemplo claro. Jejunium est primariò institutum ad macerandum & refrenandum corpus: ponamus Pontificem concedere indulgentias illis, qui vnà cum certa aliqua oratione exhibent aliquem cultum & actum Religionis S. Francisco; postmodum adveniente illius festo designet Pontifex pro illo cultu Jejunium in ejus pervigilio: tunc si quis cum oratione requisita conjungeret jejunium, nemo rectè diceret, eum Indulgentias consecutum esse, non ex jejunio sed ex oratione: atqui secundùm responsionem Lugonis ita dicendum esset, quia Jejunium non formaliter vt est maceratio carnis, sed macerativè, vt est substitutum in locum actûs Religionis priùs indeterminatè requisiti concurriset ad indulgentias lucrandas; sicut Lugo dicit, parvulos non ex Circumcisione, sed ex fide fuisse justificatos, quia Circumcisio substituta est in locum alterius Cæremoniæ.

641. Quintam Responsionem infertur P. Conink, quòd Circumcisio non habuerit efficaciam suam ex lege communi (neque enim præderat adultis, neque illis erat necessaria necessitate Medij, sed necessitate Præcepti) sed ex speciali privilegio parvulis ob summam indigentiam concesso: privilegium autem non excluditur per legem generalem: sicut si quis diceret, dispositionem factam à Novitio de suis bonis ante terminum Tridentino præfixum sess. 25. Decreto de Regularib. c. 16, (nempe ante duos menses proximè præcedentes professionem) non valere, verum diceret, licet non comprehenderet Novitius nostræ Societatis, propter speciale privilegium à Sede Apostolica concessum.

Sed contra 1. Esto posset hoc modo salvari veritas propositionum S. Pauli, non potest salvari scopus S. Pauli, qui fuit, abrogare omnimodum vsum Circumcisionis: atqui Circumcisio vel maximè adhibebatur parvulis, respectu quorum non fuisset inanis: ergo malè vrsisset S. Paulus abrogationem Circumcisionis ex inutilitate illius ad salutem.

Contra 2. Imò si Circumcisio fuisset vtilis parvulis, hoc habuisset ex lege communi, ita quod de lege communi debuerint parvuli octavo die circumcidi, quemadmodum etiam legis naturæ remedium fuit de lege communi parvulis applicatum.

642. Probatur nunc Conclusio 2. auctoritate SS. Patrum, qui simpliciter & absolutè dicunt, Circumcisionem tantùm servisse & institutam esse vt signum, quo populus ille à Gentilibus discerneretur, & vt recordarentur pacti initi cum Abrahamo. Præterea exponunt S. Paulum, sicut nos exposuimus, & tribuunt Justificationem parvulorum non Circumcisioni, sed Fidei parentum. Verba eorum videri possunt apud Vasquez 1. 2. d. 130. c. 2. n. 7.

643. Probatur denique Conclusio auctoritate S. Thomæ, quæ tam aperta est, vt de ea non dubitare non sinat. Itaque in 4. dist. 1. q. 1. a. 3. agens vniversim de Sacramentis veteris legis, præcipit imprimis Hugonem de S. Victore, quòd docuisset, illa Sacramenta tam vt opus operans, hoc est, vt includens opus meritorium, quàm vt opus operatum seu vt Sacramentum justificasse, & ait hanc opinionem contrariari dictis Sanctorum præ- trum, qui dicunt, quòd lex erat occasio mortis, in quantum

quantùm ostendebat peccatum, & gratiam adjutricem non conferebat. neque refert, inquit S. D. vtrum eam directè vel indirectè conferrent. (id est materialiter vel formaliter) Deinde concludit hoc modo. [Ideo tertia opinio communis dicit, quòd justificabant quoad opus operans per modum meriti, non quoad opus operatum per modum Sacramenti.]

644. Quia verò S. D. viderat, objici sibi posse, quòd actus collativus Sacramentorum, sæpè non esset formatus in conferentibus Sacramentum, sed informis, quia existebant in peccato mortali, ideo ponit quæstionem secundam, art. 1. & quærit, vtrum parvuli salvarentur in fide informi, vtpote mortua, & ad primam objectionem respondet. [Dicendum, quòd quamvis fides sit mortua quoad meritum de condigno, non tamen de congruo: vel quamvis sit mortua quoad subjectum proprium, non tamen quoad objectum.] per objectum autem intelligit Christum, qui in actu fidei intentionaliter vivebat, & movebat Deum ad decernendum illi actui præmium, quod de congruo merebatur, vt indicat 3. p. q. 62. a. 6. in C.

Vlteriùs, cùm adverteret D. Thomas, sibi objici posse, quòd ex hac doctrina sequeretur, potuisse parvulos justificari per solum actum internum, sine vllo actu externo Circumcisionis, ponit articulum 2. & respondet his verbis. [Circa hæc est duplex opinio, vna dicentium, quòd nunquam sufficiebat fides sine exteriore signo, in quo esset fidei professio &c. Sed quia non videtur consonare verbis Gregorij (dicentis, quòd sola fides parvulis sufficiebat) ideo alij probabiliùs dicunt, quòd cùm ad remedium originalis nulla signa vel Sacramenta forent adhuc instituta, sufficiebat professio fidei directa ad salutem parvuli in solo motu interiori, sine vllo exteriori.] Deinde agens de Circumcisione q. 62. a. vlt. ad. 3. in fine ait: quòd Circumcisio sicut & alia Sacramenta veteris legis, erant solùm signum fidei justificantis. & q. 70. a. 4. soli fidei tribuit salutem parvulorum. & in resp. ad. 2. ait, quòd sicut ante institutionem Circumcisionis sola fides Christi futuri justificabat tam parvulos quàm adultos, ita etiam Circumcisione datâ, sed antè non requirebatur aliquod signum protestativum hujus fidei. Hæc S. Thom. Ex quibus verbis Vasquez alijque colligunt, Opinionem S. Thomæ fuisse, quòd sufficisset sola fides interna pro illis, qui non poterant circumcidi ob imminens periculum mortis. Neque contra hanc opinionem vrgent valde illa quæ objicit Lugo.

645. Quia verò communior est Opinio, quòd solus actus internus non sufficisset, ideo dici simpliciter potest, parvulos fuisse justificatos per actum internum, qui esset imperativus actûs externi, quo fieret protestatio Fidei, qui quidem actus fuit communiter Circumcisio, sed in casu necessitatis etiam alius quicunque sufficiebat: & hoc ipsum videtur agnovisse S. Thomas loco citato, vbi statim subjungit: [Probabile tamen est, quòd parentes fideles pro parvulis natis, & maximè in periculo existentibus, aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem illis adhiberent, quod erat quoddam signaculum fidei.]

§. VII.

Solvuntur Objectiones.

646. OBjicitur 1. Auctoritas Innocentij III. in cap. majores de baptismo; vbi videtur Circumcisioni tribuere vim conferendi Gratiam. Nam illud Gen. 17. *Anima cujus præputij caro circumcisa non fuerit &c.* comparat cum illo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit:* vnde subsumitur: atqui ex verbis posterioribus colligit Ecclesia, Baptismum habere vim conferendi Gratiam: ergo Pontifex existimavit, etiam idipsum de Circumcisione ex prioribus esse colligendum. Vlteriùs. Pontifex declarat discrimen inter Circumcisionem & Baptismum, qui illi succesit, his verbis. [Quoniam etsi originalis culpa remittebatur per Circumcisionis Mysterium, & damnationis periculum vitabatur, non tamen perveniebatur ad regnum Cælorum, quod vsque ad mortem Christi fuit omnibus obseratum, sed per Sacramentum Baptismi &c.] Ecce! quoad vim delendi peccatum, nullum agnoscit discrimen, sed solùm quòd Circumcisi morientes, non statim ingressi sint Cælum, sicut modò Baptizati. Ad hoc optimè respondet P. Esparza, ex ipso Capituli initio constare, quæ mens fuerit Pontificis, & quis scopus, nimirum damnare hæreticos, docentes, nullum peccatum remitti posse, nisi per actum Charitatis, elicitum ab illo cui peccatum remittitur, ac proinde inutiliter baptizari infantes. Ad hunc autem scopum sufficiebat definire, per baptismum remitti peccatum, idémque præstitum fuisse in Circumcisione: Vtrum autem ex opere operato, an ex opere operantis Ministri, cùm sit quæstio scholastica, nec voluit nec debuit quidquam definire, sicut nec voluit definire, vtrum tunc in deletione peccati Originalis etiam fuerit infusa Gratia, quod tunc temporis erat controversum.

647. Objicitur 2. S. Augustinus, qui pluribus in locis videtur Circumcisioni tribuisse vim delendi peccatum originale, & fuisse necessariam necessitate Medij respectu parvulorum. Fundavit autem se S. Augustinus in verbis Geneseos 17. & lectione Septuagintæ Interpretum, quæ sic habet: *Masculus cujus præputij caro circumcisa non fuerit octavâ die, delebitur anima illius de populo suo.* cur enim deleretur infans de populo morte seu nece corporali? ergo est intelligendum de morte spirituali, ob originale peccatum, non deletum ex defectu Medij Necessarij. n. 1. In editione nostra vulgata non habentur illa duo vocabula: *octava die.* Ex quibus colligebat S. Augustinus, illam comminationem parvulis esse factam. Quin ipse Augustinus 16. de Civit. c. 17. fatetur, posse

illum locum aliter exponi, & defacto in editione facta jussu Sixti V. aliter legitur. Vnde teste Vasquez & Bellarmino, Interpretes communiter illum locum intelligunt de adultis, quibus Deus, nisi circumcidantur, minatur pœnam, non quidem æternam sed temporalem, sive mortis, sive separationis à populo Judaico, quam debebat pati ob neglectam circumcisionem. Verùm quidquid sit de hac lite Scripturisticâ;

Rz. 2. Transeat illum locum Genes. esse intelligendum de parvulis, & esse legendum vt volebat S. Augustinus, dico S. Augustinum esse interpretandum, sicut paulò antè Innocentium III. interpretati sumus, scopum illius fuisse, probare vtilitatem Baptismi parvulorum, sicut & Circumcisionis, contra hæreticos, requirentes actum fidei in suscipiente. In hoc sensu S. Augustinus lib. 4. de baptismo contra Donatistas c. 24. scripsit hæc verba. [Cur ergo ei præceptum est, vt omnem deinceps infantem masculum octavo die circumcideret, qui nondum poterat fortè credere, vt ei reputaretur ad Justitiam, nisi quia & ipsum per seipsum Sacramentum plurimùm valebat?] Dico, inquam, S. Augustinum nihil voluisse statuere circa nostram quæstionem scholasticam: hoc enim non erat necessarium ad ipsius intentum, sed solùm voluisse asserere, non fuisse opus ad delendum peccatum originale, vt esset actus fidei in susciente Sacramentum, sed fuisse deletum in Circumcisione, sive hoc provenerit ex opere operato, sive ex opere operantis.

648. Solet ex eodem Augustino objici alius locus lib. 3. contra Julianum c. 18. vbi loquens de Infantibus damnandis nisi circumciderentur, sic ait. [Explica si potes, cur meritò tantâ pœnâ plecteretur, nisi ab hoc tanto Sacramento liberaretur.] vbi illa particula *Tanto*, videri posset exprimere vim propriam Sacramenti. Verùm S. Augustinus plus noluit asserere, quàm quòd Circumcisio fuerit Sacramentum præ cæteris æstimandum ex eo capite, quòd à Deo fuerit vnicè designatum pro objecto & effectu illius actûs meritorij, quo volebat parvulos justificari extra casum necessitatis. Cæterùm S. Augustinus pro nostra sententia apertè pronuntiat in Epistola ad Hieronymum, quæ est 97. vbi dicit, Circumcisionem & alia hujusmodi justificare neminem potuisse.

649. Objici posset 4. Ex nostra sententia sequi videtur, quòd si Minister Circumcisionis habuisset actum internum imperantem Circumcisionem, & quoad modum tendendi efficacissimum, sed ex defectu instrumenti aut virium non potuisset circumcisionem absolvere, adhuc puer fuisset justificatus, quia totum meritum fuisset positum. Rz. Multos cum S. Thoma sup. concedere sequelam, alios verò negare, & requirerere in tali casu actum qui imperet aliud signum protestativum fidei, quæ res est incerta.

650. Objici posset 5. Ex nostra sententia sequi videtur, melioris conditionis fuisse parvulos Judæorum, quàm novæ legis, qui per fidem sine actuali Baptismo non justificantur. Rz. 1. Retorquendo argumentum, nam in sententia contraria in casu necessitatis, & respectu sanctiorum etiam extra casum necessitatis, facillimum remedium poterat adhiberi in veteri lege, & tamen in nova lege requiritur determinatè Baptismus. Rz. 2. Fidem internam supernaturalem valde victoriosam & captivantem intellectum in obsequium Dei, non esse per se, & ex se facilliorem quàm sit collatio baptismi, præsertim si accipiatur fides vnà cum actu imperante Circumcisionem. Quòd autem per accidens aliter contingere possit, est divinæ Providentiæ relinquendum, ad quam pertinuisset permittere mortalitatem in vtero matris, vt sæpè contingit, & nemo conqueri potest.

CONTROVERSIA IV.

Quænam Sacramenta Characterem imprimant, & quid ille sit.

651. CHaracter hoc loco aliud non est, quàm Signum quoddam spirituale, & ex natura sua indelebile, animæ impressum à tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & Ordine, vt definitum est in Florentino Dec. Vn. & in Trid. sess. 7. can. 9. cujus perpetuam Traditionem in Ecclesia fuisse ostendunt Controversistæ.

Prima Quæstio est, quare tantùm tria Sacramenta nominata imprimant Characterem. P. Vasquez n. 18. & post eum plures alij rationem dant, quia hæc Sacramenta non sunt reiterabilia sicut cætera: essent autem reiterabilia, nisi imprimerent Characterem.

652. Hanc rationem & illationem rejiciunt Lugo, Dicastillo, Arriaga. Irreiterabilitas enim alicujus Cæremoniæ & ritûs potest bene consistere & intelligi sine impressione Characteris, cujus rei plura sunt exempla. Prima Tonsura est irreiterabilis, nec tamen imprimit Characterem. Benedictio mulieris in primis nuptijs, non debet repeti cùm transit ad secunda vota, nec tamen imprimit Characterem. Abbas semel benedictus & Benedictus, etiamsi secundò in Abbatem fulatus & Benedictus, etiamsi secundò in Abbatem eligatur, non debet denuo Benedici, neque tamen Benedictio imprimit Characterem: ergo licet hæ Cæremoniæ sunt irreiterabiles præcisè ex libera institutione hominum, ita posset dici tria alia Sacramenta esse irreiterabilia ex libera Christi institutione. Ita illi.

653. Ego tamen existimo, argumentum & illationem factam à Theologis nostris contra hæreticos ad probandum Characterem, non esse rejiciendam. Fateor itaque, quòd ex concepto suo Irreiterabilitas alicujus Cæremoniæ bene possit intelligi sine impressione Characteris, quando altunde constat, quòd ex mera libera voluntate instituentis, repeti non debeat: atqui non potest afferri vllus textus Scripturæ, qui

trium Sacramentorum Irreiterabilitas probetur, & quo contineatur irreiterabilitas seu prohibitio reiterationis : cùm ergo etiam secundùm hæreticos illa Sacramenta sint irreiterabilia, debet hæc irreiterabilitas fundari in aliqua traditione : hæc autem non erit alia, quàm illa ipsa, quâ probatur Character : ergo saltem hac ratione bene infertur Characteris existentia ex irreiterabilitate Sacramentorum.

Est autem hæc illatio à posteriori. Concilium Tridentinum è converso, & quasi à priori intulit irreiterabilitatem ex impressione Characteris, dicit enim : hæc tria Sacramenta imprimere Characterem indelebilem, vnde & iterari non possunt. Quæ consequentia fundatur in eo, quòd Character semper creditus sit esse signum potestatis alicujus seu muneris irrevocabiliter collati à Deo : atqui non potest esse signum falsum, vtpote signum Supernaturale : ergo ex Charactere semel collato bene infertur, non posse potestatem collatam tolli, & per iterationem Sacramenti restitui.

654. DICO præterea 1. Vltra liberam voluntatem Instituentis, non potest melior ratio à priori vel congruentia assignari, quare hæc tria, & nullum aliud imprimat Characterem, quàm illa, quæ desumpta videtur ex VValdenſi to. 2. de Sacram. c. 110. eamque indicavit S. Thomas q. 63. a. 6. Est autem hæc, quòd in illis tribus Sacramentis fiat specialis deputatio hominis ad speciale Munus & Officium, ac certas functiones spirituales exercendas, quibus promoveatur cultus Dei, ad quas alij carentes Charactere non sunt ita specialiter deputati : sicut in militia & aulis Principum, certis quibusdam signis discernuntur diversi officiales. Itaque in Baptismo datur Character quo quis in familiam Christi adoptatur, & quasi generali libereâ Christi induitur, accipitque Jus & potestatem alia quoque Sacramenta recipiendi, faciendique ea quæ specialiter decent Christianum. In Confirmationis Sacramento datur Character militaris, quo quis ex familia assumitur in Militem, cujus speciale munus sit fortiter etiam exteriùs pro fide Christi pugnare, constanterque eam coram hostibus fidei profitendo, cultum Deo debitum tueri. In Sacramento Ordinis datur Character, quo designatur quasi in Ducem aut vnum ex Magistratu, qui tanquam Minister Christi specialiter ea, quæ ad supremum cultum & populi gubernationem pertinent, dona, idest Sacramenta fidelibus dispenset &c. idque secundùm diversos ordinum gradus.

Hinc redditur ratio, quare non imprimat Characterem Extrema Vnctio : nam licet hæc etiam iterari intra eundem morbum non possit, & præterea etiam det robur pugnandi : attamen præterquam quòd in alio morbo iterari possit, non præbet speciale robur & potestatem pugnandi pro fide Christi & cultu Dei, sed pro anima alicujus privati : adeoque non deputat ad certum officium & munus in familia Christi.

655. Quæritur 2. Vtrum Character sit Ens physicum, inhærens physicè animæ, vel potiùs sit tantùm Ens Morale, seu denominatio extrinseca, sicut est prima Tonsura, Doctoratus, Licentiatus, dignitas Prætoris, Consulis &c. Affirmavit hoc posterius Durandus, à quo non videtur multùm differre Scotus, vt ostendit Vasquez. Imò Dominicus Sotus videtur totus in eam abire : nam quamvis putet, se ei moderamen adhibere, illud tamen nescio quale sit, dum ait, Characterem esse qualitatem secundæ speciei, non distinctam tamen ab Essentia animæ secundùm rem, sed ratione solùm.

656. Dicendum est 2. Characterem esse Ens physicum, physicè inhærens animæ. Ita cæteri Theologi cum S. Thoma, adeo vt teste P. Esparzâ, post Canones Conciliorum sententia Durandi non sit tuta in fide, quidquid eximere ab omni censura conentur Vasquez & Arriaga. Probatur. Nisi enim hæc sit Mens Concilij Tridentini, dum asserit, ea Sacramenta characterem imprimere indelebilem, tunc ejus definitio nihil facit contra hæreticos, contra quos Canonem illum constituit. Hæretici enim negârunt Characterem in eo sensu, quo illum Scholastici tunc temporis defenderunt. Neque enim negant hæretici denominationem extrinsecam provenire à baptismo, & quidem non iterabilem.

657. Confirmatur. Concil. Tridentinum sess. 23. c. 4. probat contra hæreticos, eos qui semel Presbyteratûs ordinem acceperunt, non posse ampliùs Laicos fieri, ex eo, quòd fuerit impressus Character : his verbis. [Quoniam verò in Sacramento Ordinis, sicut & in Baptismo & Confirmatione, Character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, meritò S. Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt, novi Testamenti Sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, & semel ritè ordinatos iterum Laicos effici posse, si Verbi Dei Ministerium non exercent.] Hæc Concilij illatio esset inepta, si Character esset mera denominatio extrinseca, nempe sicut est officium Consulis aut Prætoris : ex hujusmodi enim denominatione extrinseca quæ semel alicui convenit, non potest inferri, quòd non possit illa denominatio cessare. Verum quidem est, quòd nunquam possit verificari, talem denominationem nunquam convenisse : sed hoc nihil est ad rem : quia hæretici tam stolidi non erant vt, dicerent, posse de eo qui semel fuit Sacerdos, verificari, quòd nunquam fuerit Sacerdos.

Confirmatur 2. Cùm PP. Concilij bene scirent, communem DD. sententiam esse fundatam in perpetua traditione, quòd Character sit accidens physicum animæ inhærens, debuisset in sua definitione monere, quòd ab hac Scholastica quæstione abstraheret, nisi voluisset secundùm illam doctrinam definire, ne alioquin pronam errandi occasionem præberet, & judicandi de Charactere, prout defacto a DD. judicatur.

Confirmatur 3. Quia verba Conciliorum sunt accipienda in sensu proprio, quando materia subjecta id patitur: atqui character in sensu proprio significat aliquid physicum, & nullum est inconveniens dari characterem physicum, spiritualem &c. ergo sicut Concilia intelliguntur de entitate spirituali physica, quando dicunt infundi Gratiam, Charitatem &c. ita etiam de Charactere intelligenda sunt.

658. Objicies. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate: atqui nulla est necessitas asserendi & multiplicandi tale Ens physicum. Non quidem est necessarium ad defendendam irreiterabilitatem Sacramentorum, nam exemplis suprà allatis patet, posse Cæremoniam irreiterabilem institui absque Charactere: non etiam est necessarium, vt illi qui sunt Baptizati, Confirmati, Ordinati, cognoscantur ab alijs esse tales: nemo enim nostrum videt alterius Characterem: neque se prodit in aliquo effectu sensibili: sed sicut ex alijs actionibus cognoscimus Doctorem &c. ita etiam cognoscimus baptizatos.

℟. Hoc argumentum æquivocare. Aliud est quærere, an fuerit necessarium, vt Sacramenta imprimerent physicum Characterem, & aliud est quærere, an suppositâ traditione & verbis Conciliorum, sit necessitas dicendi, Characterem physicum imprimi. De primo non disputamus. sit ita, quòd non fuerit necessitas, satis est quòd Deo ita placuerit & conveniens fuerit, habeatque magnam vtilitatem, quia cedit in gloriam & ornamentum Beatorum, & in confusionem Damnatorum. Deinde licet non cognoscatur à nobis in via, cognoscitur tamen ab Angelis, quod SS. PP. magni faciunt. S. Basilius in exhortatione ad baptismum sic loquitur. [Nisi Characterem in te agnoscat Angelus, quonam modo pro te pugnabit, ab inimicis vindicabit?] Quòad secundum, jam apparuit necessitas asserendi in probatione Conclusionis.

659. Quæritur 3. Vtrum Character sit signum merè ad placitum, vel potiùs naturale. P. Arriaga post alios censet, esse merè ad placitum, nempe esse ornatum animæ, sed ex se indifferentem, vt sit vel non sit signum, sicut est hedera, ac proinde esse à Deo ad libitum assumptum ad significandam potestatem per Sacramentum collatam.

DICO tamen 3. Characterem esse signum Naturale. Probatur 1. quia à SS. PP. vocatur figura, effigies, imago, lumen: atqui signa ad placitum talia non vocantur. Probatur 2. In sententia contraria non potest reddi commoda ratio, cur Character non fuerit in anima Christi, quam vtique decebat habere omnem ornatum, quem alijs suis fidelibus per merita sua communicat. Econtra in sententia nostra, asserente esse Signum Naturale potestatis ministerialis, facilè redditur ratio cum Altisiodorensi, nimirum, quia esset signum falsum in Christo, vtpote qui per nullum Sacramentum accepit potestatem Ministerialem: cætera verò quæ Character posset significare, sufficienter significantur per vnionem hypostaticam. Denique in sententia contraria non possunt Angeli discernere Sacerdotem à non Sacerdote &c. quia etsi videant ornatum, aduertiam tamen assumptionem non vident.

660. Restat solummodo declarandum, quonam consistat hæc ratio Signi Naturalis. In qua re sunt duæ sententiæ, ambæ probabiles. Prior est P. Esparza, qui docet, Characterem esse speciem impressam, cujus officium sit, concurrere loco objecti vt imago illius, nimirum loco Sacramenti exhibiti. Verùm, quia species impressa primariò datur, vt serviat illi intellectio in quo recipitur, Character autem videatur primariò esse signum alijs, & præterea quia ratio speciei impressæ non inferret Irreiterabilitatem Sacramenti, cùm posset intendi vel multiplicari, ideo est Secunda Sententia mihi probabilior, quod Character sit quædam objectiva similitudo & quasi figura, in qua tanquam in Medio cognito cognoscatur Sacramentum & potestas Ministerialis perpetua ac stabilis, hoc est, tamdiu durans, quamdiu durat ipse Character, qui, vt jam videbimus, est ex Natura sua perpetuus. Ita videtur sentire P. Salas 1. 2. tr. 2. disp. 8. s. 3. à n. 61.

661. Quæritur 4. An Character sit ex Natura sua indelebilis, vel solùm ex Dei ordinatione & Decreto.

Dicendum 4. Esse ex Natura sua indelebilem. Ratio, quia producitur à Deo, & ideo eadem exigit conservari, cui nullum agens potest resistere; & insuper character nullum habet contrarium, à quo formaliter expellatur, sicut frigus expellitur calore. Ac denique nullus apparet finis propter quem desinat conservari, qualis formalis finis est in impulsu aut speciebus sensuum, quæ ex multorum sententia sine vllo contrario possunt tantùm ad tempus conservari.

662. Dices 1. Gratia sanctificans est nobilior Charactere, & tamen destruitur per peccatum: ergo & Character naturaliter destrui potest. ℟. Negando Consequentiam & paritatem; quia peccatum est contrarium Gratiæ: nullum autem datur contrarium Characteris.

Replicabis. Quin imò etiam Character habet contrarium, nempe voluntatem non suscipiendi Sacramentum: & à negatione hujus voluntatis pendet character in fieri: ergo etiam superveniente hujusmodi voluntate poterit character deleri. ℟. Negando, vel distinguendo antecedens: pendet Mediatè, concedo, Immediatè nego. Character enim non ratione sui præsupponit negationem illius voluntatis, sed ratione Sacramenti, quod esset penitus nullum, si adesset voluntas non recipiendi Sacramentum. Positum autem Sacramentum semel est validè collatum, non potest ampliùs fieri, vt non fuerit collatum: cùm ergo Character tantùm supponat hoc quod est, Sacramentum fuisse validum, non potest illa retractatio esse contraria Characteri.

CAPUT

CAPVT IV.

DE MINISTRO SACRAMENTORVM.

CONTROVERSIA I.

Qualis Intentio requiratur in Ministro ad Valorem Sacramentorum.

663. ESt controversia, vtrum ad validè conficiendum Sacramentum satis sit, si Minister ponat exteriores actiones requisitas, v. g. si abluat, & verba Formæ proferat, etiamsi præter hæc nihil aliud intendat, nec implicitè, nec explicitè. In quo puncto est Catholica Veritas, in Concilijs definita, requiri Intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Cæterùm, hæc ipsa verba detorta sunt à quibusdam in sensum alienum ab Ecclesiæ mente.

664. Catharinus in opus. de Intent. Ministri, & Sylvester in v. *Baptismus* docuerunt, sufficere ad valorem Sacramenti, si Minister intendat facere actus externos eo modo quo fieri solent ab Ecclesia, & quidem ita vt exteriùs non appareat animus non agendi seriò, etiamsi fortè non adsit animus faciendi Sacramentum. Hanc sententiam jam sepultam & abolitam (inquit Lugo) novissimè resuscitare & tueri conatus est Joannes Marius Stribonius, natione Gallus.

P. Jo. Dicastillo non ferens hoc Lugonis dictum, prolixè conatur ostendere, hanc sententiam esse plurium Recentiorum quàm existimet Lugo, citatque pro ea Bartholomæum ab Angelis, Michaelem Zanardum, P. Valentiam & S. Thomam. Quod attinet ad S. Thomam, cui eam etiam tribuit Catharinus & Sylvester, ejus mentem inferiùs diligenter investigabimus & aperiemus. Cæteri verò à P. Dicastillo citati, procul absunt ab hac sententia, & aliam diversam tradunt, & est hæc. Si fortè in Ministro desit intentio faciendi Sacramentum, & hoc exteriùs constare non possit, tunc existimant isti AA. Deum ex infinita sua bonitate suppleturum esse illum defectum intentionis, conferendo illi homini non quidem Characterem (ob nullitatem Sacramenti) sed Gratiam sanctificantem. Ita docent citati AA. apud Filliucium, Suarezium, & Dianam 3. p. tr. 4. resol. 17. quæ sententia multùm vtique differt à sententia Catharini & Sylvestri, cùm hi asserant, tunc adhuc validum fore Sacramentum, & quidem Sylvester ipse has duas sententias, tanquam ab invicem diversas refert.

Sententiam Catharini hodie carere omni probabilitate, nec post Tridentinum posse tolerari, fatetur ipse Dicastillo. An idem dicendum sit de sententia Zanardi, Valentiæ &c. adhuc sub judice lis est, vt colligo ex Card. Pallavicino, sic loquente. [Nec sufficit voluntas seriò agendi illam actionem exteriorem, quidquid sit, an sit probabile, Deum semper supplere, quando ex fraude occulta Ministri vitiaretur Sacramentum.]

665. Dicendum est, non sufficere intentionem faciendi actiones exteriores, ad similitudinem actionum quæ fiunt ab Ecclesia, cum negatione manifestationis animi non serij, prout volebat Catharinus. Hæc fuit sincera mens Florentini & Tridentini, quando dixerunt, requiri, vt Minister intendat facere quod facit Ecclesia. Quorum verborum sensus non est, quòd debeat intendere facere illas actiones, quas facit Ecclesia: sed quòd debeat intendere per has actiones efficere id quod efficit Ecclesia, seu, ad quod efficiendum ab Ecclesia vsurpantur.

Quòd autem requiratur animus reipsâ serius, nec sufficiat, animum non serium occultâsse, clarissimè docet Tridentinum, dum dicit, si Sacerdoti animus seriò agendi & absolvendi desit, pœnitentem non esse absolutum.

666. Probo vlteriùs Conclusionem 1. Qui habet occultum animum non conficiendi Sacramentum, non vult verè Baptizare, Absolvere &c. ergo qui habet talem animum occultum, non vult facere, quod facit Ecclesia: nam Ecclesia vult Baptizare, Absolvere: ergo hoc ipso non habet intentionem quam requirit Tridentinum.

Probo 2. Ex verbis quibus Christus instituit Sacramentum Pœnitentiæ. Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* quæ sanè verba non sunt vtrobique intelligenda de actuali remissione; sic enim esset propositio ridicula, explicans activum per passivum, ac si dicerem: *quem tu amaveris ille amatur.* sed sensus est: quorum peccata vos volueritis remissa, remittuntur: ergo Christus requirit seriam voluntatem liberandi à peccatis.

Probari potest 3. Ratione qua vtitur Card. de Lugo, à sensu contrario. Si voluntas requisita faciendi quod facit Ecclesia, est voluntas faciendi exteriùs rem seriò, quia hoc est quod exteriùs

teriùs facit Ecclesia, tunc si quis econtra haberet verum animum baptizandi infantem moribundum, sed ne agnosceretur Christianus, fingeret exteriùs, se joco proferre verba, non baptizaret validè: consequens videtur durum: ergo & id ex quo sequitur.

Respondebis. Ecclesiam duo facere: actiones externas sine joco externo, ac deinde Sacramentum cum effectu illius: sufficere autem, vt alterutrum ex his velit facere Minister: & in casu posito vellet facere posterius.

Sed contra. Concilia loquuntur indefinitè requirendo intentionem faciendi quod facit Ecclesia: ergo requirunt intentionem faciendi, quidquid facit Ecclesia, & non satis est, aliquid tantùm illius velle facere.

667. Ratio denique à priori est hæc. Illa intentio requiritur, quæ sit apta denominare *Ministrum* Christi, hoc est operantem nomine Christi, & ex commissione Christi: atqui talis non est intentio præcisè faciendi actiones externas: ergo hæc non sufficit. Major & minor propositio declaratur. Dupliciter possunt fieri illæ actiones externæ ab homine: nimirum, vel suo proprio nomine & auctoritate, vel nomine & auctoritate Christi, qui tales actiones instituit, & ad illas exercendas Ministros ordinavit. Priore modo exerceret quis illas actiones, si vellet alium practicè docere, quomodo deberet administrare Sacramentum, etiam dum alter non vult recipere Sacramentum, sed tantùm discere modum administrandi: vel si quis in comœdia repræsentaret. Posteriore modo fiunt tunc, quando quis vult agere Ministrum Christi, & potestatem à Christo sibi concessam exercere. Priore modo factæ non sunt elevatæ ad rationem Sacramenti, sed secundo modo, dicente Apostolo 1. ad Cor. 4. Sic nos existimet homo vt Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei: ergo vt illæ Cæremoniæ evadant Sacramentum, debent fieri nomine & auctoritate Christi: atqui nemo operatur nomine & auctoritate alterius, nisi habeat intentionem operandi ex potestate ab illo accepta, & hac ratione tollat indifferentiam illarum actionum ad hoc, vt fiant vel proprio vel alieno nomine: ergo non sufficit intentio faciendi præcisè illas actiones, hæc enim non tolleret illam indifferentiam, sed requiritur intentio vel explicita vel implicita faciendi illas nomine Christi, & sic efficiendi per illas Gratiam Sacramentalem.

668. Objiciunt Adversarij primò S. Thomam, qui *in 4. dist. 6. q. 1. a. 2. quæstiunc. 1.* quærens an requiratur intentio Ministri ad perfectionem Sacramenti, & secundo loco objiciens, quia si hæc requireretur, non essemus certi de veritate Sacramenti, respondet, in illis Sacramentis quæ consistunt in actione Ministri, non requiri mentalem intentionem, sed sufficere expressionem intentionis per Verba ab Ecclesia vsurpata: [& ideo, inquit, si forma servatur, nec aliquid exteriùs dicitur, quod intentionem contrariam exprimat, baptizatus est.] In secundo verò *dist. a. 2. ad. 1.* omittit hæc verba: *& ideo &c.* Deinde in summa *q. 64. a. 8. ad. 2.* sic loquitur. [Melius dicunt, quòd Minister Sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ cujus est Minister: in verbis autem quæ profert, exprimitur intentio Ecclesiæ, quæ sufficit ad perfectionem Sacramenti, nisi contrarium exteriùs exprimatur ex parte Ministri vel recipientis.

Propter hæc aliqui DD. judicârunt, S. Thomam fuisse propensum in sententiam Cajetani, neque tamen hoc illi vitio vertendum esse, quòd scripserit ante Tridentinum & Florentinum Concilium. Alij variè explicant, quos omnes rejicit Lugo, neque tamen ipse meliorem adhibet explicationem.

669. Ego existimo primò, S. Thomam in 4. sententiarum tam in primo quàm in secundo scripto suspensum adhuc fuisse, neque satis determinâsse se circa duas sententias quas ibi refert. Ratio mea est, quia neutram rejicit, neutram probat, defert, sed præcisè eas refert, ex suo tamen fundamento nihil statuit.

Existimo 2. S. Thomam postmodum in Summa accessisse nostræ sententiæ. Ratio prima est. quia expressè requirit, vt Minister agat in persona totius Ecclesiæ: hoc autem non potest stare cum interna intentione non faciendi Sacramentum, quandoquidem debet velle facere id, ad quod est constitutus Minister: atqui est constitutus ad faciendum Sacramentum: ergo debet hoc velle facere, saltem implicitè. Secunda ratio est, quia in responsione ad. 1. diserte dicit, requiri intentionem instrumenti animati, quod subjiciat principali agenti, vt scilicet immediatè facere quod facit Christus & Ecclesia: quæ sanè sunt verba ipsissima Conciliorum. Denique a. 10. sic habet. [Intentio Ministri potest pervertiri dupliciter, vno modo respectu ipsius Sacramenti, puta cùm aliquis non intendit Sacramentum conferre, sed derisoriè aliquid agere. & talis perversitas tollit veritatem Sacramenti, præcipue quando suam intentionem exteriùs manifestat.] Vbi consideranda est particula. *Præcipuè*, quâ innuit S. D. se quidem existimare, etiam sine tali manifestatione vitiari Sacramentum, quia tamen multo temporis aliqui DD. requirebant exteriorem manifestationem animi jocularis ad vitiandum Sacramentum, ex quadam erga illos reverentia, illam particulam & limitationem adjecit.

670. Objicitur 2. Baptismus, quo Athanasius adhuc puer ludens cum pueris Judæis, eos baptizavit, repræsentando personam Episcopi: ergo ille baptismus fuit ab Ecclesia ratificatus. R. Athanasium quidem ludendo baptizâsse, sed deprehensum, quod de seriò examinatum fuisse, ac deprehensum, quòd non habuerit veram intentionem faciendi Christianos, neque enim alios præterquam Catechumenos, necdum baptizatos Baptizavit.

671. Objicitur 3. Genesius Mimus Martyr, qui baptismo ludicrè collato justificatus fuit.

R. Hoc

R. Hoc exemplum nihil patrocinari adversarijs; primò enim intentio ludicra fuit exteriùs manifestata, quo casu etiam adversarij fatentur non fieri Sacramentum: 2. Quia etiam ipsi requirunt in adulto serium consensum in Sacramentum, qui tamen in casu objectionis videtur defuisse, non minùs quàm in baptizante. Dicendum ergo est, vel Deum extraordinariè vtrumque illuminâsse, & movisse ad volendum verum Baptismum, vel Genesium fuisse justificatum per actum Contritionis, & in honorem veri Baptismi omnem pœnam fuisse remissam. Et quidem in Genesio facilè defenditur sufficiens desiderium baptismi, fuit enim repente per Angelum edoctus de virtute baptismi, vnde baptismum postea seriò petijt, ita vt propterea Martyrio fuerit affectus. Poterat item facilè in ficto Ministro excitari intentio generalis, faciendi, quidquid Christiani per tales actiones suâ opinione efficiunt; postquam nimirum spectavit mirabilem in Genesio mutationem, pallorem, lacrymas, ardens desiderium baptismi, quo delerentur peccata, quæ Angelus in libro descripta exhibebat.

672. Objicitur 4. Baptismus collatus à quodam Judæo, & à Pontifice Nicolao 1. approbatus: non est autem credibile, quòd Judæus habuerit intentionem faciendi Christianum. R. Pontificem ad id respondisse, quod ab ipso quærebatur: non quærebatur autem quidquam de Intentione, sed an ad valorem baptismi requireretur, vt Minister esset ipse quoque baptizatus, & sic ex hoc capite baptismus à Judæo collatus nullus esset, quod negat Pontifex. Supponebant ergo consulentes, Judæum habuisse sufficientem intentionem: quod quidem nihil est incredibile, fortassis enim fuit Catechumenus, aut ad Christianismum propensus, & gnarus in quem finem baptismus conduceret ac necessarius esset.

673. Objicitur 5. S. Augustinus lib. 7. de bapt. contra Donatistas c. 53. vbi docet, illos qui fallaciter datum baptismum fallaciter acceperunt, verum nihilominus habere baptismum: atqui fallaciter dare & accipere baptismum, non videtur aliud esse, quàm dare & accipere sine intentione Sacramenti. R. Excontextu apparere, quòd S. Augustinus per baptismum fallaciter acceptum & datum, aliud non intelligat, quàm datum & acceptum sine fide, adeoque cum frustratione effectûs primarij, nempe Gratiæ justificantis. Præterquam quòd S. Augustinus in illo loco nihil voluerit auctoritativè statuere, prout ipse fatetur, optans, vt pluria alia de quibus ibi dubitat, ab Ecclesia definirentur, vt bene advertit P. Dicastillo.

674. Objicitur 6. Ex nostra doctrina sequi videtur, homines non esse securos de valore Sacramenti, & de Gratia per Sacramentum obtenta, quia incertum est, an Minister habuerit intentionem extendentem se ad aliquid aliud, quàm ad actiones exteriores. R. 1. Incertitudo Gratiæ est conformis S. Scripturæ, Eccles. 9. Nescit homo, vtrum amore an odio dignus sit; & Trid. sess. 6. c. 9. R. 2. Eandem ferè haberi certitudinem in nostra sententia, quæ in adversariorum. Nam communiter homines fidunt Ministro, & non attendunt, an proferat verba essentialia, & plurimi hæc non intelligunt, vt patet in Sacramento Pœnitentiæ; in consecratione nemo audit verba: si ergo homines hoc non obstante putant se esse moraliter certos, possunt etiam fidere quoad intentionem. Accedit, quòd defectus Intentionis Ministri, non possit esse nisi rarissimus. Sciunt enim, Ecclesiam vti talibus actionibus, ad homines aliquo modo sanctificandos. Deberet ergo defectus provenire ex Malitia, & intuitu alicujus emolumenti humani, hujusmodi autem emolumentum non apparet, quod vel apparenter præponderet malo peccati incurrendi per voluntariam omissionem debitæ intentionis, nisi fortè Minister sit homo veneficus, aut illo non multò melior, vt etiam notavit P. Esparza, talis autem si sit Minister, potest semper nobis reddere Sacramenta incerta, tum administrando voce submissâ, & aliquâ essentiali omissâ, tum adhibendo Materias tantùm apparenter veras &c.

675. Objicitur 7. Ad valorem contractuum, vel cujuscunque alterius actûs legitimi, sufficit exteriùs præstare actiones requisitas, etiamsi ficto animo fiant: ergo idem de Sacramentorum administratione dicendum est. Probatur consequentia: quia committuntur homini administranda humano modo. R. Antecedens esse falsum in veriore sententia: certè ad liberalem donationem, qualis fit per Sacramenta, omnes requirunt intentionem conformem verbis, hoc est, animum transferendi Dominium. Deinde dato antecedente, negatur consequentia & paritas; quia vt bene observavit Esparza, hoc ideo esset in humanis actibus, quia homo non potest intueri cor & animum alterius: Deus verò intuetur animum Ministri: ergo si in Ministro non adest animus operandi nomine Dei, Deus quoque non vult præstare illum effectum, quem præstat, quando Minister vult agere nomine Dei.

676. Objicitur 8. Illa voluntas sufficit ad Sacramentum, quæ sufficit ad ponendas illas conditiones, quibus positis confertur Gratia: sed actiones externæ sunt illæ conditiones, quibus positis confertur Gratia, & ad illas ponendas sufficit intentio Catharini: ergo etiam sufficit ad Sacramentum & ad Gratiam conferendam. R. Actiones externas non esse conditiones ad ponendam Gratiam, nisi sint factæ nomine Christi: hæc autem denominatio provenit ab intentione agendi nomine Christi. Ratio jam est data, quia Minister non est sicut instrumentum inanimatum, sed per modum Procuratoris aut Vicarij.

677. Objicitur 9. Signa significant independenter ab intentione ejus qui vtitur signo: ergo & Sacramenta significabunt, & significando causabunt gratiam, etiamsi non adsit intentio significandi & causandi Gratiam. R. Antece-

dens non esse vniversale, sed particulare. Certum enim est, aliqua signa non esse signa vera, nisi adsit animus significandi. Cæterùm Christus noluit actiones externas esse signa Gratiæ, nisi vt factas nomine suo.

678. Objici posset vltimò. Non potest assignari vllum objectum, quod debeat velle Minister præter & vltra actiones externas: ergo sufficit velle actiones externas. Probatur antecedens. Nam illud deberet esse Gratia: sed hanc non debet Minister velle. Nam hæretici non habent intentionem conferendi Gratiam, quia non credunt eam caussari à Sacramentis, & tamen eorum Baptismus valet. item quivis gentilis potest validè baptizare, etiamsi nihil sciat de Gratia conferenda. R. Gratiam esse illud objectum. Non est tamen necesse, vt Minister eam velit explicitè & formaliter, sed satis est, si eam velit implicitè, virtualiter, interpretativè, æquivalenter; hoc est, modò velit aliquid vel identificatum cum Gratia, vel necessariò connexum cum collatione Gratiæ. Hinc valent omnes Intentiones his vel similibus verbis expressæ. Volo per has actiones facere, quòd per illas intendit facere Ecclesia: vel: quod per illas fieri vult instituens. vel: volo illas prodesse meliore modo quo possunt. &c.

CONTROVERSIA II.

Vtrum ad conficiendum Sacramentum sufficiat Intentio Habitualis, Virtualis, Indirecta.

§. I.

Explicatur diversitas harum Intentionum.

679. Quadruplex Intentio distinguitur in præsenti. Alia est Actualis, alia Habitualis, alia Virtualis, alia indirecta, vel vt alij vocant, interpretativa. Intentio actualis est, quando habeo actu, de præsenti, & pro hoc instanti intentionem baptizandi; & de hac nulla est dubitatio, quòd sufficiat. Intentio Habitualis, prout à Virtuali distinguitur (nam à quibusdam nomine tenus confunduntur, prout etiam fecit S. Thomas a. 8. ad. 3.) aliud non est, quàm intentio præterita, non retractata: vnde dicitur *habitualiter* perseverare, ad eum modum quo peccatum præteritum tamdiu dicitur Habitualiter Voluntarium, quamdiu illud non retractamus. Intentio Virtualis est, quæ quidem est aliquo modo præterita, manet tamen in aliqua Virtute post se relicta, & sic influit in opus, atque ideo opus etiam de præsenti dicitur fieri ex illa intentione; v. g. ex intentione Mercedis incipiens laborare, dicitur intendere lucrum toto laboris tempore, etiamsi dum laborat, sæpè sit ad alia distractus, nec de lucro explicitè cogitet. Est autem quæstio philosophica, in quo sita sit illa virtus; & inde referuntur opiniones varias. Intentio Indirecta est, quando quis vult caussam, ex qua prævidet effectum secuturum: vt si quis sciens se solere in ebrietatem exercere actiones Sacramentales, hoc non obstante se inebriaret: qui tamen casus quoad Sacramenta est satis metaphysicus.

§. II.

De Intentione Habituali.

680. Dicendum 1. Ad valorem Sacramenti non sufficit Intentio Habitualis, hoc est, quæ tantùm perseverat in negatione retractationis. Probatur. Intentio Ministri debet vel immediatè vel mediatè influere in actiones Sacramentales: Intentio merè Habitualis nullo modo influit in illas; ergo non sufficit. Major patet. Nam actiones Ministri quà talis, debent procedere ex intentione Ministri quà talis: ergo intentio debet influere in actiones. Minor verò probatur. Nam Intentio quæ nec in se, nec in aliquo sui existit, sed omnino est præterita, non influit vllo modo: sed intentio purè habitualis est talis: ergo &c.

681. Dices 1. Actiones Sacramentales procedunt ab intentione præterita mediante negatione revocationis. Sed contra 1. Negatio retractationis, non est effectus præteritæ intentionis: existeret enim eodem modo, etiamsi nulla intentio præcessisset. Contra 2. Negatio tractationis non est activa, nec est illud quod determinat Ministrum, vt post elapsam & præteritam jam intentionem, ponat postmodum actiones Sacramentales: defacto enim frequentissimè existit negatio retractationis, quin deinde ponantur actiones Sacramentales.

682. Dices 2. Negatio retractationis denominat actum peccaminosum præteritum adhuc voluntarium, etiam pro tempore posteriore, quo non existit: ergo potest etiam denominare actiones Sacramentales voluntarias subsequentes. R. Negando consequentiam, & paritatem inter actum præteritum & futurum. Actus præteritus ideo denominatur voluntarius quamdiu non retractatur, quia quod vltimò placuit, censetur in judicio hominum tamdiu placere, quamdiu non retractatur: at verò ad hoc vt actus futurus sit voluntarius respectu intentionis præteritæ, debet illa intentio aliquo modo influere, quia debet verificari, quòd actio procedat ex illa præcedente intentione.

683. Dices 3. Potest alicui hodie applicari sacrificium cras offerendum, & valet applicatio, etiamsi applicans cras dum celebrat, nullam habeat cogitationem de illa applicatione, adeoque etiamsi hesterna applicatio nullo modo influat in sacrificium: ergo etiam hodierna intentio potest facere, vt craftinæ actiones sint Sacramentales, etiamsi nullo modo influant. R. Transeat antecedens, cujus examen aliò spectat, negatur consequentia.

sequentia. Disparitas est, quia applicatio Sacrificij quoad suos fructus, est instar donationis factæ in diem; v. gr. si tibi donem librum in crastinum, tunc crastino die liber incipit esse tuus, absque vlla donationis repetitione aut renovatione, si quidem facta sit traditio, quæ jure civili requiritur. At verò vt à me cras fiat Sacramentum, debent à me cras poni actiones, & illæ debent procedere ab intentione requisita ad Sacramentum, debent enim fieri à Ministro.

§. III.

De Intentione Virtuali.

684. Dicendum 2. Intentionem virtualem sufficere ad valorem Sacramenti. Probatur. Nisi enim hæc intentio sufficeret, innumera Sacramenta dubia redderentur, innumeris scrupulis implicarentur fideles, atque Sacramentorum administratio periculosissima, obligatio ea administrandi exosissima redderetur, & supra vires humanas esset: quotusquisque enim est, qui cavere possit minimas distractiones in hujusmodi actionibus?

685. Quæstio subtilior est, quî fieri possit, vt non obstantibus hujusmodi distractionibus animi ad alia objecta, nihilominus actiones externæ non solùm rectè fiant, sed etiam procedant ex præexistente explicita intentione: & quinam sint illi effectus, quibus mediantibus explicita intentio jam præterita, influat in actiones externas.

686. Prima sententia est Scoti, Vasquez, Suarez, eámque ex professo propugnat Arriaga, contra Lugonem; Sufficere, si potentiæ externæ fuerint ab illa intentione semel applicatæ, & sic inceperint operari, quo facto pergunt postmodum continuare reliquas actiones, absque interventu vllius actûs appetitivi præsentis, & depræsenti imperantis illas actiones.

Hæc tamen sententia meritò rejicitur à RR. Nam sæpè subsequentes actiones sunt valde disparatæ, & nullam inter se physicam connexionem habent, sicut habent partes motûs lapidis deorsum cadentis. In exemplo. Quando Clericus continenter legit ex Breviario aliquot psalmos distractè: interponit Gloria Patri, quod in Breviario non est positum: item quando se vestit ad celebrandum, deinde cætera omnia ordinatè peragit, cum summa licet distractione: quis sibi persuadeat, potentias externas omnia tam ordinatè facturas, si nullus interveniret præsens actus imperans illas actiones?

Confirmatur ab experientia manifesta. Quando quis inter recitandum incipit obdormiscere, statim lingua subsistit, & ab officio cessat, non cessatura si somnus abesset, etiamsi distractiones adessent. Atqui non cessaret ob somnum potiùs quàm ob distractiones, si ex præterita applicatione potentiæ externæ haberent physicam determinationem & necessitatem sic operandi: ergo ideo cessant, quia cessat omnis actus imperans.

687. Secunda sententia docet, durantibus distractionibus semper intervenire & continuari veros actus voluntatis rationalis, imperantes cum sufficiente libertate ad honestatem illos actus externos. Ita Lugo & Dicastillo. Verùm huic sententiæ difficultatem movet experientia. Vix enim potest negari, distractiones quandoque tam vehementes esse, vt excludant libertatem observantiæ ad honestatem actionis, v. g. cùm quis dicit Missam pro defunctis, & ex distractione recitat ea, quæ alioquin benè scit secundùm Rubricam fore omittenda: item cùm facit crucem supra aquam vel Evangelium &c. quis credat hæc tunc fieri ex motivo honestatis, cùm sint prohibita? Judicium enim honestatis debet explicitè affirmare, objectum non esse prohibitum.

688. Tertia sententia est P. Conink, qui vult, ex prima operatione humano modo facta, nasci impressionem in imaginatione, vi cujus impressionis fiunt deinde cæteræ actiones. Hæc sententia dat verba, quæ mysterium quod quærimus non aperiunt.

689. Quarta sententia, cæteris, vt mihi videtur, probabilior, est Card. Pallavicini, quæ sic distinguit. Quoties voluntas rationalis est soluta, hoc est, quoties datur sufficiens vsus potentiæ intellectivæ, dirigentis voluntatem rationalem, toties in homine ad motus spontaneos requiritur actus voluntatis rationalis: semper enim cognitioni rationali respondet actus in voluntate, quia potentia superior determinat inferiorem seu subordinatam ad operandum. Si verò potentia volitiva ex defectu cognitionis intellectivæ est ligata, possunt illæ externæ actiones peragi dependenter ab appetitu sensitivo. Quandonam autem hoc aut illud accidat, nemo potest accuratè ne quidem in seipso discernere.

690. Contra hoc vltimum objici solet 1. Ergo talis distracta oratio non auget meritum. hoc autem est durum. R. 1. Imò est juxta sensum fidelium, non augeri, parvi facientes orationem distractè, quamvis involuntariè, peractam. Neque refert, quòd per talem distractam orationem satisfiat præcepto Ecclesiæ, nam ex communi sententia satisfit præcepto per orationem etiam cum voluntaria distractione peractam, & tamen de tali oratione nos accusamus in confessione, tantùm abest, vt pro ea speremus præmium. Denique ipse Lugo n. 103. fatetur, in Ministro distracto sæpè non adesse libertatem.

691. Objicies 2. Ex Card. Lugo. Tempore distractionis sæpè fiunt actiones tam artificiosæ, vt non videantur à sola imaginativa dirigi posse, sunt enim opera artis: ars autem est habitus intellectualis. Respondet acutè Pallavicinus n. 105. aliud esse id quod requiritur ad aliquam artem comparandam, aliud verò id quod requiritur ad eam exequendam. Ad primum necessarius est intellectus, non item ad secundum, hoc est

ad vsum artis acquisitæ. Vnde licet nulla ars ab amente, ebrio, aut somniante posset rectè acquiri, benè tamen possunt ab illis exerceri, si jam sint acquisitæ. Ratio est, quia ad exercitium artis duo tantùm requiruntur; primum est, cognitio complexa earum actionum, quarum ordinatum vsum exigit ars, & hæc facilè excitatur à speciebus complexis ex habitu comparatis. Secundum est, æstimatio bonitatis in ejusmodi actionibus, & hæc pariter haberi potest sine operatione intellectûs, ex eo quòd aliàs judicaverimus tales actiones vt bonas, & in imaginativa remanserint species illius actionis vt bonæ: semper enim cognitionem intellectivam comitatur imaginativa, repræsentans aliquam secundariam bonitatem, appetitui sensitivo proportionatam, etiam in objecto honesto, & hujus phantasiæ species manent, ac deinde excitantur ob connexionem cum alijs prioribus excitatis, movéntque mediâ apprehensione imaginativâ ad actum prosecutionis, hoc est, ad actum appetitivum imperantem actiones externas.

§. IV

De Intentione indirecta.

692. DIcendum 3. Intentionem indirectam, in sensu superiùs explicato, non sufficere ad valorem Sacramenti. Declaratur in casu vulgari. Aliquis frequenti experimento edoctus, se in ebrietate vel somno solere proferre verba Consecrationis supra panem vel vinum, vult nihilominus se inebriare: tali casu si postea proferat verba, non consecrat. Ratio est, quia nisi verba intendantur directè à loquente, non dicitur per illa loqui, aut suam mentem manifestare humano modo: nam verba debent proferri animo manifestandi mentem: ergo debent directè vt medium intendi. An autem hæc directa intentio sufficiat jam videbimus.

§. V.

An sufficiat Intentio directè intendens actiones Sacramentales per Medium privans vsu rationis.

693. QUæritur jam vlteriùs, an valeret consecratio in casu posito, si Sacerdos directè intenderet actionem Sacramentalem mediante ebrietate, inebriando se in eum finem, vt deinde proferret verba consecrationis. Respondent DD. Negativè. Verùm admodum difficulter redditur hujus rei Ratio, & vix assignari potest discrimen inter hunc casum & illum, quo quis conficit Sacramentum cum tanta distractione, quæ impediat omnino libertatem circa actiones Sacramentales.

694. Card. de Lugo postquam varia tentâsset, tandem hanc rationem assignavit. [In casu quo ebrietas adhibetur vt Medium, verba non proferuntur humano modo, ad significandum idoneo.] Ego quidem hoc verissimè dictum existimo, atque ex omnium sensu. Verùm sic nondum est soluta difficultas: restat enim hoc ipsum declarandum, cur in ebrietate non fiant actiones humano modo, fiant tamen humano modo in distractione, etiam tollente libertatem actualem. Pergit ergo Cardinalis hoc declarare. [Verba, inquit, non significant, quid proferens nunc senserit de re significanda, sed quid nunc de præsenti, dum profert, sentiat: ebrius autem non potest de præsenti humano modo significare, potest tamen distractus, etiam quando non est ebrius, quia in ebrio potentia non est integra, & soluta, sed ligata, in distracto verò est tota potentia, licet non totaliter attendat ad objectum, in ebrio verò non est tota potentia, sed semipotentia.]

695. Non acquievit huic declarationi P. Dicastillo, quærens ex Cardinale, an illa *Semitentia* manens in ebrio, sit pars antica an postica, dextra vel sinistra, superna vel infera? Cui rùm pro Lugone respondeo, non ignorari invisibilitatem potentiarum, nec in tam crasso sensu dictam esse semipotentiam, sed sensum esse illarum: nempe in homine distracto dicuntur omnes animæ potentiæ esse solutæ ad operandum, quia licet non operentur circa illud objectum, circa quod est distractus, hoc ipso tamen quo ad alia est distractus, circa alia occupantur, & non feriuntur: in ebrio verò potentia intellectiva formaliter considerata perinde se habet, acsi non adesset, quia tota est otiosa & impedita ad intelligendum, quare in æstimatione prudentum ebrius est potius bestia quàm homo, & sic censetur habere semipotentiam.

696. Fateor nihilominus, quòd Responsio Cardinalis difficultatem non exhauriat. Primò, quia potest quis ita distractus esse, & ad alia objecta quoad intellectum ita abreptus, vt voluntas nullum planè proponatur objectum cum sufficienti indifferentia requisita ad libertatem, v. g. speculando aliquod objectum nullo modo eligibile. In quo casu potentia volitiva circa nullum objectum potest actum liberum exercere, sicut nec in ebrietate: ergo in hoc casu non erit disparitas cum casu ebrietatis. Secundò. Denique quòd nec potentia intellectiva nec volitiva in ligata simpliciter & absolutè in homine distracto, est tamen ligata respectivè, hoc est, respectu intentionis vel consecrationis faciendæ perinde est impedita, acsi nihil operaretur. quòd enim operetur circa alia objecta, est per accidens; quia illa operatio non influit in orationem aut consecrationem: ergo verba prolata à distracto non videntur magis quàm in ebrio posse significare mentem præsentem loquentis: reverà enim per distractionem mens in æstimatione morali hominum censetur penitus abesse.

697. Respondent ergo alij 2. & alijs significant discrimen inter ebrium & distractum: mirum quòd distractus censeatur moraliter ibi esse præsens, quia facillimè potest ad attentionem revocari

revocari ab extrinseco, v. g. si quis illum moneret: ebrius verò non potest ita ad sobrietatem & attentionem revocari.

Sed contra 1. Etiam somnians potest facilè excitari, & tamen de somniante non admittitur, quod admittitur de distracto. Contra 2. Fingamus, quòd ebrius haberet præsentissimum remedium ad pellendam in momento ebrietatem, & simul haberet hominem, qui posset ad libitum applicare remedium, non propterea valeret talis hominis consecratio. Contra 3. Ponamus distractum posse difficillimè ad se revocari, sicut ectatici, nihilominus illius consecratio valeret.

698. Tertiò respondent alij, discrimen esse, quòd ebrietas in casu posito, ita sit impeditiva rationis, vt simul ipsa sit caussa talis operationis v.g. consecrationis: quia consecratio non esset futura, nisi talis in ebrietate constitutus esset. & ideo dicitur homo operari vt impeditus ab vsu rationis. At verò distractio non est caussa operationis, quia operatio faciliùs & securiùs futura esset, si non adesset distractio, sed attentio, & ideo non dicitur homo operari reduplicativè vt impeditus seu vt distractus, sed specificativè, qui distractus.

Sed contra, quia potest fingi casus, in quo ebrietas non est caussa consecrationis, eò quòd hæc faciliùs esset futura, si abesset ebrietas, sicut modò de distractione dictum est. Fingamus ergo, aliquem bibisse vinum adustum in ea quantitate, quæ post horam sit caussatura plenam ebrietatem, etiamsi bibens non præviderit: deinde post tres quadrantes incipiat legere sacrum, v. g. in vigilia Nativitatis; huic præter omnem intentionem superveniet ebrietas, & tamen ex vi præcedentis intentionis sacrificandi, & deinde ex vi imaginativa jam excitata, perget ordinatè facere omnia, sicut fieri debent: atqui esset hæc omnia facturus, si ebrius non esset: ergo ebrietas non est caussa harum actionum, sicut non est distractio: atqui talis consecratio adhuc non valeret: ergo nihil interest, vtrum ebrietas sit vel non sit caussa seu conditio, sine qua non sequeretur consecratio.

699. Quarta ergo, & mihi vnicè sufficiens responsio est, quàm dat Card. Pallavicinus his verbis. [Verba requisita ad actum legitimum, debent vel ex vsu, vel ex pacto humano esse signa interioris animi, aut præsentis, aut præteriti non revocati: atqui verba prolata ab ebrio nec ex vsu, nec ex pacto humano sunt ejusmodi signa interioris animi, licet per accidens ab eo pendeant: ergo non sunt sufficientia ad legitimandum actum. Econtra ejusmodi Signa sunt Verba hominis distracti; item Epistola quæ obligat, etiamsi, quando ea accipientem alloquitur, voluntas eam scribendi jam diu sit transacta.] Hæc Pallavicinus: quæ adhuc magis explicari possunt, vt mihi videtur.

Illa itaque verba proferuntur Humano modo, quæ in Contractibus & obligationibus sunt apta significare animum se obligandi, & actum ipsum legitimandi, & insuper talem animum non fuisse revocatum. Duplici autem ex capite possunt habere hanc vim significandi: vel ex pacto, vel ex communi hominum vsu. Priori modo habet hujusmodi vim significandi Epistola scripta: si enim illi ad quem scripta est, non innotuit revocatio animi, quando eam legit, habet ex pacto vim inducendi obligationem, etiamsi interea animus esset revocatus, quia vi pacti præcedentis inefficax est hujusmodi revocatio. Posteriore modo habent verba hanc vim significandi, quando proferuntur ab homine distracto: cujus ratio est, quia hujusmodi distractiones sunt moraliter inevitabiles, & si impedirent valorem actûs, nullius ferè actûs valor sibi satis constaret, quin in dubium vocari posset, quod in humano commercio esset summum inconveniens. At verò verba prolata ab ebrio nec ex pacto habent vim significandi, neque etiam ex vsu communi hominum: non enim habet communis vsus, vt verba obligatoria proferantur in ebrietate moraliter inevitabili. Sed de hoc satis.

CONTROVERSIA III.

Vtrum ad valorem Sacramenti sufficiat Intentio Conditionata.

700. NOtandum 1. Intentionem ex intrinseco modo tendendi aliquando esse absolutam, aliquando conditionatam. Absoluta est, quâ aliquid volumus nullâ expressâ conditione. Intentio conditionata verò, quâ quid volumus non absolutè, sed cum restrictione ad certam conditionem.

Notandum 2. Duo esse genera Conditionum, quæ adjici possunt objectis volitis, v. g. in Confessione Sacramentorum. Aliquæ enim conditiones dicuntur inesse ex Natura rei, & illæ semper subintelliguntur, esto non exprimantur, vt: Ego te absolvo, si es baptizatus, si peccâsti, si habes requisitum dolorem &c. Aliæ conditiones sunt quasi extraneæ, sine quarum adjectione posset à Ministro confici Sacramentum: vt: si parentes tui consenserunt, ego te baptizo.

Notandum 3. Conditiones aliquando esse de præterito, aliquando de præsenti, aliquando de futuro. Porrò, conditiones de præsenti & præterito, faciunt vt intentio sit absoluta, etiamsi in modo tendendi sit conditionata: quare illæ conditiones sunt pars constitutiva intentionis in esse *intentionis absolutæ*: Nam intentio ex se potuisset esse non absoluta, si nimirum conditio defecisset.

Notandum 4. In conditionibus de futuro, posse esse deceptionem. Aliquando enim videntur esse de futuro, & reverà sunt de præsenti, v. g. *Absolvo te*, si Deus scit, te cras facturum restitutionem &c. hæc inquam est conditio de præsenti,

nempe scientia jam existens. Pari modo, vt bene notavit Arriaga, esset conditio de præsenti, si quis diceret: *Absolvo te, si cras restitues*, intelligendo: si hodie sit verum dicere, te restituturum: & hoc vel maximè in sententia eorum, qui omnia verificativa harum propositionum, volunt esse aliquid de præsenti. Verùm in communi acceptione reputantur inter conditiones de futuro, quia communiter accipiuntur in sensu suspensivo: v. g. dono tibi librum, si cras venerit mihi nuntius: Donatio fit quidem hodie, sed non fit pro hodie, sed pro crastino, & perinde est acsi dicerem: volo vt cras illo momento quo aderit nuntius, liber incipiat esse tuus. Et hinc est quòd Matrimonium sub tali conditione contractum, censeatur suspensum donec ponatur conditio: vnde consequens est, ante conditionem positam, posse tales contrahentes mutuo consensu resilire, & impedire, ne postmodum etiam posità conditione, sit matrimonium, vt tradit Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 8. n. 1. Pari modo si vnus contrahentium ante conditionem impletam aliam duceret absolutè, & sine omni conditione, hoc Matrimonium valeret, quod verum non esset, si Matrimonium non esset suspensum vsque in adventum conditionis. Quapropter si in alijs Sacramentis hujusmodi conditio adjiceretur, præsumeretur Minister velle effectum Sacramenti suspendere: quia verò in alijs Sacramentis effectus suspendi non potest, vt dicetur inferiùs, ideo intentio suspensiva non sufficit ad alia Sacramenta. His notatis

701. Conveniunt DD. omnes, validè administrari Sacramenta sub illis conditionibus, quæ ex Natura rei insunt Sacramentis. Controversum est, an validè administretur Sacramentum sub conditione præsenti, vel præterita vel futurâ extranea, cujus existentia nobis non constat.

702. DICO 1. Si conditio adjecta de præsenti existit, vel de præterito exstitit, etiamsi ejus existentia ignoretur, Sacramentum est validum. Hæc conclusio est communis contra P. Esparza; eam vocant certissimam Suarez, Lugo, Dicastillo. Procedit autem conclusio etiam in casu quo Minister conditionem in sola mente adjicit, neque verbis exprimit.

703. Probatur jam Conclusio 1. Ex inconvenientibus quæ contraria sententia debet admittere. Ponamus, quòd quis contrahens Matrimonium cum sponsa quam putat Virginem, & quæ reverà est Virgo, in animo suo alliget intentionem Virginitati, nemo sanè ausit dicere, tale Matrimonium esse nullum, etiamsi constaret talem intentionem esse adjectam: atqui secundum adversarium tunc esset nullum, quia conditio adjecta est extranea, & ejus existentia ignoratur: ergo &c.

Quia verò adversarius fortè in Matrimonio aliud diceret, propterea quòd simul habeat rationem contractûs civilis (quæ tamen ratio non facit ad rem, vt constabit) ideo ad alia Sacramenta argumentum transferamus. Sacerdos aliquis in Ecclesia Latina sciens esse graviter prohibitum, consecrare in fermentato, semper in animo solet hanc conditionem: *volo consecrare si panis non sit fermentatus.* quis, obsecro audeat dicere, quòd Sacerdotem nunquam validè consecrare? quia, attestante, & jurante Sacerdote, se habuisse hujusmodi restrictam intentionem, auderet hostias azymas tanquam non consecratas absumere sine panem profanum, aut iterum consecrare? & tamen hoc rectè fieret in sententia adversarij, quia conditio adjecta est extranea, nam etiam panis fermentatus potest validè consecrari: conditio autem extranea ignorata in sententia adversarij vitiat Sacramentum. Item absolvat aliquis sub hac conditione: *si non es excommunicatus, ego te absolvo.* Vel Episcopus ordinet aliquem sub hac conditione; si non es bigamus, aut alias irregularis: quis dicat hæc Sacramenta hoc ipso esse nulla, si conditio ignoretur, & reverà ille non sit excommunicatus, nec bigamus &c. cùm tamen hæ sint conditiones extranæ, quia quandoque excommunicatus potest absolvi, si ignoretur, & Bigamus validè ordinari.

704. Probatur Conclusio 1. & quid à priori. Quando adest intentio sufficiens, materia & forma debita, validum est Sacramentum: atqui hæc adsunt in casu posito: ergo &c. Minor quoad Materiam est certa: quoad formam probabit ex solutione objectionum: quoad intentionem probatur. Intentio absoluta faciendi Sacramentum sufficit: Intentio in casu quæstionis est absoluta: ergo &c. Minor probatur. Intentio conditionata transit in absolutam purificâ conditione: atqui conditio de præsenti vel præterito est purificata, vt ponitur in casu, ergo transit in absolutam.

705. Objicit P. Esparza. [Conditio, inquit, ignota, aut non certò cognita, est impossibilis in ratione Sacramentalis significationis, seu complentis Sacramentalem significationem, quia non potest nisi incertè ducere in cognitionem collationis gratiæ, cùm tamen sit de essentia Sacramenti, vt quantùm est de se, ducat in cognitionem illius, eamque certam.]

Hoc argumentum, nisi aliter promoveatur, non videtur habere difficultatem. Aliud ab hanc propositionem esse certam: *omne Sacramentum est de se causativum gratiæ*, & aliud: *hic et nunc datur Sacramentum causativum gratiæ.* Prius est de fide, & resolvitur in hanc conditionatam: si datur Sacramentum, & non est obex, causatur gratia. Posterior propositio nunquam est nobis certa nisi ex speciali Dei revelatione: quia ignoramus, an tam ex parte suscipientis, quàm ex parte Ministri adsint omnia requisita. Hanc solam incertitudinem inducit conditio extranea, & nullam aliam: nullam ergo inducit incertitudinem quam non etiam inducant conditiones inexistentes, seu essentialiter requisitæ. In forma ergo (quamvis reverà argumentum non habeat

habeat formam) distinguo. Sacramentum quantùm est de se (hoc est, si non adsit obex) est signum certum gratiæ quoad se, & in sensu jam explicato, & iterum explicando, concedo, quoad nos, subdistinguo. Illæ partes Sacramenti quæ nobis sunt sensibiles, sunt nobis certum signum gratiæ, hîc & nunc collatæ, certitudine omnino absolutâ, nego, certitudine conditionatâ, nempe, si etiam reliqua adsint, quæ non sunt immediatè sensibilia, vt est intentio Ministri, & suscipientis, concedo, & nego hanc non haberi in Sacramento sub conditione extranea collato.

706. Explico responsionem. Quoad se certissimum signum gratiæ est Sacramentum, quia intrinsecè includit efficacem virtutem eam causandi. Quoad nos verò, qui illud videmus administrari, sed non videmus existere omnes partes requisitas, tantùm certificat conditionatè, si nempe existant hîc & nunc etiam reliqua quæ sub sensum non cadunt. Sicut ergo incertitudo proveniens ab ignorantia Intentionis Ministri, non obstat significationi Sacramentali, ita neque incertitudo proveniens ab ignorantia conditionis extraneæ potest obstare, quia reverà hæc ignorantia non est alia ignorantia, quàm ignorantia intentionis in esse absolutæ. Et hæc ad argumentum propositum sufficiunt.

707. Cæterùm, vrgeri potest hoc modo. Verba Sacramentalia debent esse vera. sed si non adsit intentio absoluta quoad modum volendi, verba non sunt vera: ergo non sunt apta constituere Sacramentum. Minor probatur. Nam verba hæc: *Ego te baptizo, absolvo &c.* significant intentionem absolutam, & ab omni conditione liberam, quia nullam conditionem exprimunt: ergo si non adsit talis intentio, verba non sunt vera. atqui intentio adjiciens conditionem, non est talis. ergo &c. R. Negando Minorem. ad probationem nego antecedens, & dico, quòd verba illa significent, adesse intentionem faciendi Sacramentum, & conferendi gratiam, præscindendo tamen ab intentione absoluta & conditionata. Patet ex eo, quòd Intentio Ministri semper sit conditionata & alligata conditionibus necessarijs seu inexistentibus: ergo sicut hæc potest significari per verba Sacramentalia, ita etiam poterit, si sit alligata conditioni extraneæ.

708. Negabis paritatem, & disparitatem dabis ex communi modo loquendi hominum, qui conditiones inexistentes non solent exprimere, sed bene conditiones extraneas: quare verba Sacramentalia significabunt intentionem alligatam conditionibus inexistentibus, non item conditionibus extraneis.

Sed vrgetur. Quia innumeris instantijs ostendi potest, quòd homines etiam in communi modo loquendi non soleant exprimere conditiones etiam extraneas, & nemo eos arguit falsitatis aut fallaciæ, propterea, quòd verbis non exprimentibus conditionem sint vsi: Exemplum dedi suprà de Matrimonio sub tacita conditione contracto, nunc alia addo: v. g. aliquis sperat, se hodie accepturum pecunias, & hac spe nixus promittit creditori solutionem debiti, & tamen non vult solvere nisi sub conditione (quamvis absolutè posset alijs modis solvere) si acceperit pecunias: quam conditionem non exprimit: item opifex promittit alicui absolutè quidem quoad verba, sed animo conditionato, se hodie absoluturum opus constitutum, nempe sub hac conditione tacita: nisi superveniat alius labor valde necessarius, quem si prævideret, non promitteret, quamvis absolutè posset opus promissum præ illo expedire. Nemo tales arguit falsitatis aut fallaciæ, sicut in sententia contraria argui possent, si verba significarent intentionem absolutam; quia essent adhuc falsa, etiamsi conditio verificaretur, & solutio ex acceptis pecunijs fieret, & opus præstaretur: quod sanè est contra omnium sensum. Alia exempla plura occurrunt in Jure: vnum sufficiat. Quando quis fecit largam donationem alicui extraneo, nullâ expressâ conditione, nihilominus censetur intentio donandi fuisse conditionata: *nisi præter spem liberos acquisivero.* Idem esset, si nesciret se habere liberos, & præter spem apparerent liberi. Talis inquam donatio est revocabilis ob nullitatem ex defectu conditionis quæ præsumitur fuisse subintellecta, & tamen est conditio extranea, quia absolutè posset valere etiam tunc donatio. Nam si talis donatio facta fuisset Ecclesiæ, valeret, ex communiore DD. quia tunc non præsumitur intentio fuisse conditionata, vtpote remuneratoria & Deo facta, quamvis hoc ipsum aliqui negent, fundati in auctoritate S. Augustini, laudantis Episcopum Carthaginensem, quòd cuidam, qui cùm liberos non haberet, omnia sua donaverat Ecclesiæ, retento sibi vsufructu, deinde natis illi liberis reddiderit ei Episcopus, & ait S. P. [In potestate habuerat Episcopus non reddere, sed jure fori, non jure poli.] *c. fin. ca. 17. q. 4.* Ecce! quòd etiam verba absolutè prolata possint habere sensum conditionatum conditione extraneâ.

709. Veniamus nunc ad authoritatem Scripturæ, & videamus hujusmodi locutiones ipsius Dei, quæ spectatis verbis erant absolutæ, & tamen fatendum est, fuisse prolatas ex intentione conditionata, & ideo non fuisse falsas: vnde sequitur, quòd veritas propositionis non exprimentis conditionem in animo latentem, possit stare cum intentione conditionata conditione extraneâ. Primum exemplum est in prophetia Jonæ, quòd Ninive post 40. dies subvertetur, & tamen propter Ninivitarum pœnitentiam non fuit subversa post 40. dies, sed multò post. Secundum exemplum est Isaiæ 38. vbi Regi Ezechiæ dicitur: Dispone domui tuæ, quia morieris tu & non vives: & tamen postea propter ejusdem regis preces fuit vita prolongata: ergo latebat hæc conditio: nisi me roges &c. Tertium exemplum habetur 2. Reg. 24. vbi Gad propheta dixit ex ore Dei, futuram pestem per tres dies, & tamen deinde

deinde placato Deo non duravit tribus diebus. Quartum exemplum est Matth. 8. vbi Christus centurioni dixit: *Ego veniam & curabo eum.* & tamen propter fidem Centurionis non venit, sed absens sanavit. latebat ergo conditio: si Centurio non deprecabitur. Quintum exemplum est Gen. 20. vbi Deus dicit Regi *Abimelech. Morieris propter mulierem quam tulisti:* subintellecta est conditio: nisi te excuses, & habeas voluntatem restituendi. Sextum exemplum esse posset, quando Christus jungens se discipulis euntibus in Emaus, simulavit se longiùs ire: quæ fictio sive fuerit verbalis sive realis, fuit conditionata, nisi rogaretur, vt maneret. Sic nemo dixerit eum mentiri, qui amico dicit: *Vale: eo domum:* si deinde rogatus ab amico maneat ibi.

710. Dicendum ergo est, hujusmodi propositiones esse æquivocas, & duplicem sensum habere posse, vnum quidem frequentiorem, alterum minùs frequentem: sicut vox *Animal*, in vsu philosophorum significat genus ad rationale & irrationale, vulgò autem significat idem quod *brutum:* sic ergo propositiones absolutæ communiter quidem significant in specie Intentionem absolutam, præsertim in contractibus reciprocis, vbi, si lateret conditio, non servaretur æqualitas, & alter damnificaretur, vnde fit, quòd Contrahentes teneantur habere intentionem absolutam, & ideo meritò præsumuntur ab altera parte habere intentionem absolutam, quia fraus non præsumitur. Aliquando tamen habent illæ propositiones sensum abstrahentem ab intentione conditionata & absoluta, & ideo ad illas verificandas sufficit intentio conditionata, etiamsi verbis conditio non exprimatur.

711. Possunt ergo formæ Sacramentorum habere verum sensum, etiamsi procedant ab intentione conditionata; quamvis fatendum sit, quòd Minister adjiciens hujusmodi conditionem in animo, & foris occultans, per se & regulariter loquendo peccaret, quia sine causa legitima induceret incertitudinem majorem valoris Sacramenti.

Dixi: *per se & regulariter loquendo* peccaturum Ministrum. Posset enim contingere casus, in quo eam licitè adjiceret, imò ex charitate teneretur sub tali conditione conferre Sacramentum. Casus est iste. Ponamus adultum aliquem Judæum petijsse baptismum, dilatum tamen esse, quòd ob varia peccata mortalia, v. g. ob vsuram diu practicatam, & ob difficultatem restituendi bona injustè acquisita, non videretur dispositus ad fructum baptismi consequendum, sc. Justificationem: talem deinde incidere in amentiam, & fieri proximum morti inevitabili: dico, talem esse baptizandum sub hac conditione: si sit dispositus per pœnitentiam sufficientem ad Justificationem: hæc autem est conditio extranea, quia etiam sine ea valeret baptismus. Est, inquam, sub hac conditione & non absolutè baptizandus. Ratio est, quia homini non dispositio, non est conferendus baptismus, & si evidenter constaret quòd in amentiam incidisset constitutus in peccato mortali, ob reverentiam Sacramenti non esset baptizandus, vt tradit ex communi sententia Tannerus. Ergo si dubium esset, an esset saltem attritus de suis peccatis, non deberet absolvi, sed sub conditione baptizari. Non quidem absolvi. Ne fortè Sacramentum conferatur indigno. Sub conditione tamen: quia ex Charitate debet adhiberi Medium salutis necessarium, quod forte proderit, & quod non potest differri. Et hic casus, si alia deessent, mihi sufficeret, vt à sententia P. Esparza abstinerem. Aliud argumentum hoc potest ex ijs, quæ dicam in Tractatu de Eucharistia de modo quo Neomystæ debent velle conferre cum Episcopo ordinante.

712. DICO 2. Nullum Sacramentum, excepto Matrimonio, potest validè conferri in conditione de futuro contingente. Dixi: *excepto Matrimonio.* ita enim multorum sententia accipit, de qua non est hìc locus disputandi. Probatur Conclusio. Vel enim Minister intendit dilùm suspendere effectum Sacramenti, non tam valorem, vel etiam intendit suspendere valorem Sacramenti, vsque ad adventum conditionis. Neutrum dici potest. Non primum. Quando enim Sacramentum est ritè confectum, & nullus est obex in suscipiente, causat infallibiliter gratiam, ex institutione & voluntate Dei. Ergo si Minister nollet aliter valere Sacramentum, nisi posset suspendere effectum, nihil ageret: si tamen primariâ intentione vellet facere Sacramentum, conferret Gratiam, etiamsi secundariâ intentione nollet conferre Gratiam, eò quòd per errorem putaret se posse Sacramentum ab effectu separare, prout infrà magis declarabitur, quando agemus de Intentionibus contrarijs. Sed neque secundum dici potest. Nam omnium Sacramentorum formæ, prout à Christo sunt institutæ, significant nimum & intentionem conferendi Sacramentum nunc de præsenti, dum pronuntiatur forma: ergo si adderentur hæc verba: Ego te baptizo in crastinum: significatio verborum mutaretur. In Matrimonio autem potest illa forma adhiberi, quæ in alijs contractibus, & sicut possum dicere: *Ego dono tibi librum in crastinum:* ita possum dicere: *Ego te duco in crastinum.*

713. Dices. Ex hoc sequeretur, quòd etiam mutaretur forma Sacramentorum, quando adjicitur conditio, nam illa verba adjecta essent pars formæ, & tamen Christus non instituit formam talem. R. Negando sequelam, & negando quòd illa conditionalis Adjecta esset pars formæ, sicut non est pars formæ, quando ex Pontificio decreto adjicitur in forma baptismi, quando baptizatur aliquis, de quo dubitatur, an fuerit prius validè baptizatus. Ratio patet ex dictis. Nam forma à Christo instituta adæquatè sunt illa verba, quæ significant intentionem Ministri, prescindendo an sit intentio absoluta, an conditionata. Quare sicut conditiones tam inexistentes quia

quàm extraneæ, sunt quidem vltimum complementum Intentionis Ministri, *in esse intentionis absolutæ*, non tamen ideo sunt pars formæ, ità neque verba illas conditiones exprimentia, sunt pars formæ, licet significent partem intentionis.

Dici etiam posset, illa verba, quando expresse adjiciuntur, esse quidem partem formæ, sed partem integralem, non necessariam, sicut in absolutione Sacramentali secundùm multos, illa verba: *à peccatis tuis*, sunt pars formæ integralis, sed non necessaria. Porrò existentiam conditionis non debere per formam affirmari, patet: nam ne quidem conditiones inexistentes affirmantur adesse, alioquin Minister mentiretur, quia affirmaret se scire adesse illas, cùm tamen nesciat adesse.

CONTROVERSIA IV.

Quænam ex Intentionibus contrarijs censenda sit sortiri effectum.

714. NOtandum 1. Intentiones dupliciter posse contrarias inter se esse, vel explicitè vel implicitè. Explicitè certum est non posse simul & pro eodem instanti stare intentiones contrarias, quia hoc aliud non esset, quàm simul & semel idem secundùm idem expresse efficaciter velle & nolle, quod est tam impossibile, quàm idem simul expresse affirmare & negare. Implicitè dicuntur intentiones tunc esse contrariæ, quando quis per errorem existimans duo prædicata esse separabilia, vult obtinere vnum, & alterum non vult, sed potiùs vult negationem illius.

Notandum 2. Errorem circa illa prædicata posse iterum dupliciter se habere: aliquando enim potest quis per errorem judicare, illa prædicata esse inconjungibilia, quæ tamen defacto semper & necessariò conjunguntur: aliquando potest quis per errorem judicare, esse quidem illa prædicata conjungibilia, posse tamen ex intentione Ministri aut celebrantis contractum ab invicem separari. Exempla prioris sunt hæc. Hæreticus judicans consecrationem Eucharistiæ nec esse, nec posse esse sacrificium, vult consecrare Eucharistiam, sed non vult facere sacrificium, eò quòd putet hoc sibi esse impossibile: item vult conferre Baptismum, non tamen conferre Gratiam aut Characterem, quia putat hæc non posse conferri, & Romanam Ecclesiam errare, existimando posse conferri. Exempla posterioris esse possunt primò. Aliquis per errorem putat posse conferri absolutionem de præsenti, & suspendi ejus effectum, sc. gratiam, vult absolvere de præsenti, non verò conferre gratiam: item, existimans posse contractum Matrimonij inter Christianos fieri sine Sacramento, vult facere Contractum, sed non vult facere Sacramentum. Item Abissinus Schismaticus existimans Matrimonium posse in certis casibus dissolvi, vult contrahere Matrimonium etiam vt Sacramentum, sed dissolubile.

Notandum 3. Contrarias intentiones aliquando existere simul in tempore, vt in allatis exemplis, aliquando successivè, & pro tempore diverso, v. g. Petrus habet hodie intentionem offerendi crastinum Sacrum pro Paulo, verùm cras immemor hujus intentionis offert pro Joanne, quæritur, quis horum duorum consequatur fructum sacrificij.

715. In præsenti nihil agimus de his intentionibus successivis & contrarijs, quia in Sacramentorum administratione semper obtinet effectum secunda intentio, quæ tunc est quando actu administratur Sacramentum, hæc enim est à qua denominantur actiones fieri nomine Christi, non obstante voluntate contrariâ præcedente. Itaque hujusmodi intentiones successivè contrariæ specialem difficultatem habent in alijs dispositionibus, præsertim in Testamentis, quam tractabo in opere de Justitia.

716. Dicendum nunc est, & pro Regula statuendum. Illa intentio ex contrarijs implicitis prævalet, quæ appretiativè major est, hoc est, quæ magis vult objectum suum, illúdque simpliciter & absolutè alteri præfert. Vel sic. Illa intentio prævalet, quæ respectu alterius est absoluta, econtra altera respectu hujus est solùm conditionata. Declaratur Regula in exemplis suprà positis. Hæreticus vult baptizare, sed non vult conferre gratiam, eò quòd putet hunc effectum non causari per Baptismum: si ergo Minister iste ita constitutus sit, vt si sciret, ad hunc effectum causandum esse institutum Baptismum, adhuc baptizaret, intentio Baptismi prævalet intentioni non conferendi Gratiam, quia appretiativè magis vult suum objectum, vúltque illud absolutè; Nolitio verò conferendi gratiam vult suum objectum vel potiùs illud non vult tantùm sub conditione, si baptismus non est ad gratiam conferendam institutus, quæ conditio deficit; & ita quidem de hæreticis præsumit Ecclesia.

Item, aliquis existimans, posse à contractu Matrimonij inter Christianos separari rationem Sacramenti, vult facere Contractum Matrimonij, sed non Sacramentum: vt talis deprehendat, vtrum primaria intentio fuerit sufficiens ad faciendum Matrimonium vnà cum Sacramento, vel an potiùs habuerit intentionem alligatam conditioni impossibili, debet se reflectere, an voluerit Contractum Matrimonij absolutè, Sacramentum autem voluerit excludere conditionatè, si possit separari, & tunc valebit Matrimonium, & erit simul Sacramentum, quia malebat habere Matrimonium cum Sacramento, quàm vtroque carere. Si verò se contrario modo haberet, Matrimonium judicandum esset nullum.

CAPVT V.

DE SVSCIPIENTE SACRAMENTVM.

CONTROVERSIA I.

An, & quomodo Dispositio Suscipientis sit Mensura Gratiæ Sacramentalis.

717. DIcendum 1. Æqualiter dispositis non nisi æqualis confertur Gratia Sacramentalis, per idem specie Sacramentum. Ita communis contra Paludanum, Scotum, Gabrielem, Cajetanum, existimantes, vel ex voluntate Dei, vel propter merita parentum aut Ministri, aut circumstantiarum, aliquando conferri inæqualem Gratiam. Probatur Conclusio. Sacramenta non caussant Gratiam, nisi quam significant: atqui respectu æqualiter dispositorum, non significant, nisi æqualem gratiam: ergo.

Confirmatur. Virtus Sacramentorum provenit ex solis meritis Christi, qui solus in sua potestate habuit instituere Sacramenta, & illis sua merita applicare: ergo sicut medicina, quæ virtutem suam habet ab auctore Naturæ, non est magis aut minùs efficax ad caussandam sanitatem ex eo, quòd adhibita sit à Medico magis aut minùs sano, ita Sacramentum non potest esse magis aut minùs efficax ad sanctificandum, ex eo, quòd Minister sit magis aut minùs sanctus.

718. Dicendum 2. Inæqualiter dispositis, v. g. per majorem devotionem, confertur etiam ex opere operato inæqualis gratia per Sacramentum ejusdem speciei. Probatur 1. Auctoritate D. Damasceni lib. 4. c. 20. [Quamvis, inquit, peccatorum remissio omnibus æquè per Baptismum detur, Spiritûs tamen gratia pro fidei ac præcedentis purgationis modulo ac ratione comparatur.] Concilium Trid. sess. 6. c. 7. cùm dixisset, Baptismum esse caussam instrumentalem nostræ justificationis, id quasi explicando addit. [Justitiam in nobis recipientes vnusquisque suam secundùm mensuram quam Spiritus S. partitur singulis prout vult, & secundùm propriam cujusque dispositionem & cooperationem.]

Ratio Conclusionis desumitur à congruentia & paritate. Congruum erat, à Christo sic institui Sacramenta, vt homines allicerentur ad se diligentiùs disponendos & præparandos: atqui si meliùs dispositi plus Gratiæ accipiant, vtique alliciuntur ad se meliùs disponendos: ergo &c.

Deinde congruentia redditur à paritate caussarum physicarum agentium in passum magis minúsve dispositum: tunc enim quo passum est meliùs dispositum v. g. magis diaphanum, sicem ab eò majorem intensionem effectûs accipit à causs. v. g. plus lucis, caloris, impulsûs &c. Cum ergo Sacramenta habeant suam virtutem ex meritis Christi, quæ sunt valoris infiniti, & Gratia possit augeri in infinitum, si suscipiens sit meliùs dispositus, congruum est, vt etiam plus gratiæ accipiat.

719. Objicies 1. Sacramenta non significant plus gratiæ in eo qui est meliùs dispositus, quàm in eo qui est minùs dispositus: ergo nec plus gratiæ caussant. R. Negando antecedens. Sacramenta enim significant vt caussa, & quidem vt caussa habens virtutem aliquo modo illimitatam: atqui caussa significat effectum diversum & inæqualem pro inæqualitate & diversitate dispositionis, vt patet. Præterea, Sacramenta significant effectum suum Symbolicè v. g. Eucharistia per modum cibi, Baptismus per modum ablutionis: atqui melius dispositus melius nutritur, & melius abluitur: ergo sub tali conditione significat Sacramentum inæqualitatem effectûs à se conferendi.

720. Objic. 2. Ex nostræ Conclusionis fundamento sequi videtur, quòd ille qui altero est habitualiter sanctior, hoc est, habet plures gradus Gratiæ sanctificantis, etiamsi cæteræ omnes dispositiones essent pares, etiam plus gratiæ acciperet, quia majus augmentum Gratiæ videtur cum melior dispositio: consequens autem non reperitur assertum à Theologis.

Responderi potest 1. Concedendo sequelam. cum Suarez d. 7. s. 5. in fine. Conink q. 62. dub. 3. maximè à n. 51. Dicastillo d. 1. dubit. 2. à n. 71. Nec refert alios DD. hoc non ita expresse tradidisse, satis est quòd non negaverint, & fundamentum affirmandi dederint. Respondeo potest 2. Negando sequelam & paritatem. Nam imprimis major sanctitas videtur solùm dispone nere titulo Dignificationis, quatenus magis sanctus est dignus majori præmio, vt traditur in materia de Gratia: disponit ergo gratia tanquam forma dignificans ad præmium: atqui fructus Sacramentorum non est præmium accipientis Sacramentum, & Sacramenta dignificantur adæquatè meritis Christi. Doctores ergo videntur in præsenti quæstione loqui de dispositione non dignificante, sed quasi præparante subjectum. Unde videntur

videntur adhuc magis restringere ad illas solùm dispositiones, quæ sunt specialiter proportionatæ ipsi Sacramento recipiendo, & vt habenti specialem efficaciam ad auxilia talis rationis, v. g. quia Baptismus est Sacramentum Fidei, ideo ferventior Fides præcedens Baptismum, & ferventius propositum servandi legem Christi, disponet ad majorem gratiam Sacramentalem in baptismo consequendam : item quia Eucharistia est Sacramentum spiritualiter Nutritivum animæ, ideo ferventior Charitas præcedens, & desiderium perfectionis disponet ad majorem gratiam Eucharisticam, item quia Sacramentum Pœnitentiæ ordinatur ad auxilia specialia vitandi diligentiùs peccata &c. ideo major peccati detestatio & abominatio, disponet ad majorem gratiam &c. & sic de cæteris.

721. Objicies 3. Majora peccata præcedentia non inducunt inæqualitatem Gratiæ consequendæ per Sacramenta : ergo nec melior dispositio. Respondet P. Esparza, negando paritatem : quia licet peccata plura aut majora difficiliorem reddant demeritoriè remissionem peccatorum, & reditum gratiæ, in ratione tamen indispositionis nihil variant, quia quodvis peccatum Lethale removet à Deo totaliter, destruit quamcunque intensionem Gratiæ, & reddit indispositum etiam ad minimum gradum gratiæ absque discrimine : vnde difficiliùs quidem majori peccatori, sed non minor Gratia confertur cæteris paribus, vndecunque Gratia proveniat. At verò dispositio bona potest esse major & minor, & ad majorem ac minorem Gratiam, quia non quivis accessus ad Deum conjungit cum Deo totaliter, nec totam & omnem Gratiam inducit. Hæc P. Esparza, innuens tacitè doctrinam quam tradit de Incarnatione, circa quæstionem, an pura creatura possit condignè satisfacere pro peccato mortali, vbi negat cum DD. Salmanticensibus, posse opus bonum puræ Creaturæ adæquare bonitate malitiam peccati mortalis: de qua quæstione egi Superiore Tract. Nunc abstrahendo ab illa doctrina, quæ mihi difficilis est, vt ibidem ostendi,

Respondetur ad objectionem, negando paritatem. Pluralitas enim peccatorum mortalium resistit quidem magis Misericordiæ divinæ, quò minùs tam facilè conferat auxilia & media justificativa effectivè, ac conferret per se loquendo, si non adesset illa peccatorum pluralitas, quæ reddit hominem Deo magis exosum & detestabilem; nihilominus tamen, si non obstante illâ pluralitate peccatorum, Deus misericorditer indulget hujusmodi media, hoc ipso jam est superata illa resistentia peccatorum, & caussa justificativa est expedita ad operandum secundùm totam virtutem & dispositionem subjecti, perinde acsi illa resistentia nunquam præcessisset. Ratio vlterior est, quia Deus in justificatione peccatoris, obliviscitur practicè omnium peccatorum præcedentium, sive multa sive pauca ea fuerint, neque eorum destructio suscipit magis & minùs. Econtra verò bona præparatio & dispositio non solùm movet Deum ad libentiùs conferenda Media justificativa, sed etiam augent suo modò capacitatem subjecti, & meliùs applicant virtutem caussæ ad plus operandum, propter rationes in Conclusione allatas.

722. Objicies 4. Ex hoc sequi videtur, quòd in aliquo casu contingere posset, vt Sacramentum minoris dignitatis conferret plus Gratiæ, vel saltem tantum, quantum producit Sacramentum dignius ; consequens est inconveniens, quia à Sacramento digniore plus gratiæ confertur. R. Concedendo sequelam, & negando id esse inconveniens. Nam quod dicitur communiter, Sacramentum dignius conferre plus gratiæ, procedit, quando cætera sunt paria.

CONTROVERSIA II.

An, & quomodo Sacramentum cum Obice receptum reviviscat.

723. QUando Sacramentum aliquod validum quidem, sed sine fructu recipitur, dicitur Sacramentum *fictè* susceptum : Non accipitur autem *fictio* hoc loco pro simulata intentione suscipiendi Sacramentum : nam quando deest in adulto intentio, Sacramentum nullum est ab initio, nec tractu temporis potest convalescere. Per fictionem ergo intelligitur Obex, seu impedimentum ex parte suscipientis Sacramentum, quominùs consequatur suum primarium effectum, hoc est, Gratiam : & hoc quidem impedimentum quandoque ponitur sine culpa, v. g. si quis invincibiliter ignorans se peccâsse mortaliter, non eliceret dolorem ante baptismi receptionem. Quæritur ergo, an Sacramento cum tali obice suscepto, si postea obex removeatur, peccatum remittatur, & gratia infundatur ex opere operato, & vigore suscepti Sacramenti. Solet autem specialiter disputari de Baptismo.

724. Prima sententia negat hujusmodi reviviscentiam. Tribuitur Medinæ, & Joanni Andreæ. Rejicitur tamen à cæteris Theologis, & quidem maximè ob auctoritatem S. Augustini, qui agens contra Donatistas, volentes baptizatos ab hæreticis esse rebaptizandos, statuit, baptismum in hæresi aut schismate susceptum, tunc incipere prodesse ad remissionem peccatorum, atque operari salutem, quando fictè baptizatus postea corrigitur. Ob hanc inquam auctoritatem nemo Theologorum in dubium vocat reviviscentiam, sed eam diversimodè declarant & intelligunt. Itaque

725. Secunda sententia est, Baptismum fictè susceptum, recedente fictione non remittere ex opere operato culpam ipsam, nec conferre gratiam, sed ad hos effectus opus esse vel Sacramento Pœnitentiæ, vel Contritione ; Baptismum verò tantùm remittere totam pœnam temporalem, & hoc sensu reviviscere. Ita Scotus, Gabriel & Vasquez.

Quia verò Vasquez advertit, hac explicatione vim fieri verbis S. Augustini, ideo ex mente Scoti addit, Baptismum susceptum valere etiam postea aliquo modo ad salutem & remissionem culpæ, hac ratione. Sive enim homo postea justificetur per Sacramentum pœnitentiæ cum attritione, sive per contritionem perfectam extra Sacramentum, in vtroque casu conducit baptismus præteritus. Si enim justificetur homo per Sacramentum Pœnitentiæ, confitendo peccata post Baptismum commissa, jam conducit Baptismus ad illam Gratiam, quam homo consequitur per Sacramentum Pœnitentiæ, quia ratione & beneficio baptismi susceptus est capax Sacramenti Pœnitentiæ, cujus cæteroquin capax non esset: Si verò justificetur per contritionem, conducit Baptismus ideo, quia facit vt Contritio, etiam non includens baptismum in voto, seu votum baptismi suscipiendi, possit justificare, cùm alioquin si Baptismus non præcessisset, non posset Contritio justificare, nisi vt continens baptismum in voto, quatenus scilicet Contritio est voluntas servandi omnia præcepta, & consequenter etiam recipiendi baptismum: quando autem jam satisfactum est huic præcepto, non potest ampliùs Contritio esse votum illius, vt patet.

726. DICO 1. Baptismi Reviviscentia non explicatur rectè, & ad mentem S. Augustini per hoc, quòd reddat capacem Sacramenti Pœnitentiæ, & faciat, vt Contritio possit justificare sine voto baptismi. Probatur. Nam hac ratione non plùs, nec æstimabiliùs conduceret baptismus mediante contritione, quàm cum eadem contritione conduceret negatio baptismi: consequens est absurdùm, & alienum à mente S. Augustini. ergo &c. Sequela probatur. Nam hoc quod est Contritionem continere votum Baptismi, si loquamur de voto conditionato, est essentiale contritioni: est enim Contritio essentialiter desiderium seu votum servandi omnia præcepta, adeoque etiam baptismum suscipiendi, casu quo necdum susceptus sit: ergo in hoc sensu nunquam justificat Contritio sine voto baptismi, etiamsi baptismus præcesserit, essentia enim rei semper est eadem. Si verò loquamur de Contritione, vt est votum absolutum baptismi, hæc inquam denominatio provenit extrinsecè à negatione baptismi præteriti, vt fatetur Vasquez: ergo in tali casu non magis conduceret baptismus, quàm negatio baptismi. Probatur consequentia. Sicut enim baptismus præcedens facit vt Contritio justificet sine voto absoluto baptismi, quia hanc denominationem aufert à Contritione, ita negatio baptismi facit, vt Contritio justificet cum voto absoluto, quia hanc denominationem tribuit Contritioni: atqui vnus justificandi modus non est melior altero: ergo vera est sequela primi argumenti facti, quæ erat probanda.

727. DICO 2. Baptismus, remoto obice ita reviviscit, vt virtute illius immediatè remittatur culpa, & producatur Gratia, sicut producta fuisset, si tempore baptismi obex remotus fuisset. Ita S. Th. q. 69. a. 10. & hæc est mens S. Augustini. Probatur 1. ex illo celebri textu Scripturæ: Nisi quis renatus fuerit ex baptismo, non esse salvandum: hunc locum omnes intelligunt de baptismo in re vel voto; nam aliquos salvari post absque baptismo in re suscepto, & constat infantes salvari sine voto baptismi, certum est nemo tamen sine vtroque. Atqui in sententia contraria salvaretur aliquis, qui nec esset renatus ex baptismo in re (quia reiptâ non justificatur virtute baptismi) nec in voto, quia contritio post baptismum non est ampliùs votum baptismi: ergo talis salvaretur absque eo, quòd vllo modo esset renatus ex baptismo.

Probatur Conclusio 2. Ratione, quæ etiam procedit de Sacramento Confirmationis & Ordinis. Character est forma physica, intrinsecè & stabiliter ordinans hominem ad finem illum, hoc est, ad illas functiones exercendas, ad quas per Sacramentum imprimens characterem, homo est deputatus, vt suprà de Charactere dictum est: ergo recedente obice datur gratia Sacramentalis in tuitu Sacramenti præcedentis. Probatur consequentia. Illa auxilia specialiter conducentia ad tales functiones ex natura rei supponunt gratiam cui debeantur: sed non est cogitandum, quòd Deus hunc ordinem invertat: ergo Deus hoc ipso quòd per characterem ita ordinet subditum ad tales functiones, hoc ipso inquam removet gratiæ Sacramentalis obstaculo, dabitur istum Sacramenti ille gradus gratiæ, cui specialiter illa auxilia debeantur propterea, quòd illa gratia ex tali Sacramento obtenta sit.

728. Card. de Lugo explicat Reviviscentiam exemplo non incongruo Jubilæi. Nam Pontifex solet quandoque in Jubilæo concedere, vt quivis absolvi possit à quovis reservato peccato & vota commutari: in quo casu ex communi sententia, si quis tempore Jubilæi quod conabatur lucrari, oblitus esset confiteri peccatum reservatum, aut voti commutationem non potuisset fieri, potest adhuc elapso tempore Jubilæi, obtinere in virtute elapsi Jubilæi absolutionem à reservato, & commutationem voti, quia per Jubilæum acquirit Jus ad eas Gratias consequendas. Similem indulgentiam videtur Christus Sacramento Baptismi contulisse, vt ejus virtute plenissima remissio fieret semel in vita omnium debitorum pœnæ & culpæ, vsque ad tempus Baptismi contractæ: ad quam remissionem acquiritur Jus per Baptismum, ita vt si tempore baptismi non obtineat ob impedimentum, possit postea consequi ablato impedimento.

729. Objicitur 1. Ponamus hominem cum fictione baptizatum, peccare post baptismum mortaliter, deinde hoc peccatum confiteri, ac per Sacramentum Pœnitentiæ ab illo absolvi, & sic potè mò justificari: In hoc casu si baptismus reviviscet, tunc omnia peccata, tam quæ ante, quàm quæ post baptismum commissa sunt, remitterentur duplici

duplici titulo, nimirum directè & indirectè, sive, vt loquitur Vasquez, remitterentur per se & per accidens seu concomitanter. Nam peccata ante baptismum commissa remitterentur directè per baptismum, & quia non potest vnum mortale remitti sine altero, ideo etiam per baptismum remitterentur indirectè seu per accidens & concomitanter peccata post baptismum commissa. Econverso, peccata post baptismum commissa remitterentur directè per Sacramentum Pœnitentiæ, cætera verò præcedentia baptismum, remitterentur per idem Sacramentum Pœnitentiæ indirectè: ergo omnia & singula peccata remitterentur tunc tam directè quàm indirectè, quòd videtur inconvenienter dici.

730. Respondent DD. communiter & sufficienter, admittendo sequelam: In illo enim casu Deus intuitu diversi Sacramenti conferret diversas gratias; & quia non vult vnum mortale sine alio remittere, ideo per quodlibet Sacramentum remitteret, directè illa, ad quæ delenda Sacramentum est institutũ, cætera verò dimitteret indirectè.

731. Verùm expeditiùs responderi potest, distinguendo sequelam: remitterentur indirectè formaliter & realiter loquendo, negatur sequela, radicaliter seu virtualiter, conceditur sequela. Explico. Indirectè formaliter & realiter dicitur remitti peccatum, quando purè putè remittitur per concomitantiam, nullâ penitùs concurrente causâ directè illius remissivâ. hoc modo remittitur indirectè per Sacramentum Pœnitentiæ peccatum quod quis inculpabiliter in confessione omittit, vt traditur suo loco. hoc autem in nostro casu non contingit, vt patet. Indirectè radicaliter seu virtualiter remittitur, v. g. peccatum post baptismum commissum, quando virtute baptismi præteriti confertur gratia, quæ ex se est incompossibilis cum omni peccato mortali, adeoque est talis, vt si hîc & nunc non concurreret Sacramentum Pœnitentiæ, directè illa remittens, vi illius gratiæ etiam illa peccata indirectè formaliter remitterentur, quæ deberent per Sacramentum Pœnitentiæ directè remitti.

732. Vrget tamen Vasquez n. 22. In casu posito Sacramentum Pœnitentiæ operaretur suum effectum priùs naturâ quàm baptismus: ergo baptismus pro posterioti naturâ jam inveniret remissa indirectè peccata ante baptismum commissa per ipsum Sacramentum pœnitentiæ: ergo gratis dicuntur denuo & pro posteriori naturâ directè remitti per baptismum. Antecedens probat Vasquez, supponendo sententiam, quam etiam infrà tanquam veriorem amplectar, nimirum, quòd quando quis post baptismum fictè susceptum committit peccatum mortale, quòd, inquam, tunc non removeatur sufficienter obex ad effectum baptismi consequendum per solam attritionem, sed vel per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per Contritionem perfectam. ergo priùs justificabitur homo & accipiet Gratiam per Sacramentum Pœnitentiæ, quàm accipiat Gratiam baptismi.

733. Responderi posset primò, negando secundam consequentiam primi argumenti. Nam etiamsi daremus, virtute Sacramenti Pœnitentiæ remitti pro priori naturæ indirectè peccata ante baptismum commissa, non propterea gratis dicerentur in posteriori remitti directè virtute baptismi: sicut quando quis confitetur aliqua peccata, & aliqua ex oblivione non confitetur, absolvitur ab his indirectè, & tamen sunt postea iterum directè subjicienda clavibus, vt dicetur suo loco.

734. Respondetur tamen meliùs 2. Negando antecedens. ad probationem concedo antecedens, nego consequentiam. Nam contrarium potiùs inferendum est, nempe ex eo, quòd per Sacramentum Pœnitentiæ auferatur formaliter obex baptismi, in priori signo naturæ, hoc ipso vtrumque Sacramentum simul in posteriori signo Naturæ operari gratiam & remissionem peccatorum. Ratio est, quia quando duæ causæ sunt in eodem signo expeditæ, tunc earum effectus sunt in posteriore signo simultanei: atqui baptismus fit expeditus per remotionem obicis, & Sacramentum Pœnitentiæ est illa remotio: deinde Sacramentum Pœnitentiæ est etiam tunc expeditum; ergo vtriusque Sacramenti effectus sunt simultanei. Declaratur magis exemplo philosophico. In sententia asserente, Relationem prædicamentalem esse modum, positio termini est vltima conditio, quâ positâ resultat ille modus relationis, non tantùm in termino ipso, sed etiam in fundamento, & non resultat priùs in termino quàm in fundamento, sed in vtroque simul, simultate Naturæ. Pari modo Sacramentum Pœnitentiæ per seipsum formaliter aufert obicem baptismi, adeoq; est conditio pro priori Naturæ existens, vt possit operari baptismus in posteriori signo, in quo eodem signo operatur etiam Sacramentum pœnitentiæ: nam vtique existit causâ in priori signo, & effectus in posteriori. Ergo hoc ipso quòd formalis remotio obicis baptismi sit ipsa formalis existentia Sacramenti Pœnitentiæ, & remotio obicis sit vltima conditio vt baptismus operetur, hoc ipso effectus baptismi & pœnitentiæ sunt simul in eodem posteriore signo, quia vtrumque Sacramentum intelligitur in priore signo expeditum ad operandum.

735. Instat tamen iterum Vasquez n. 26. Quidquid sit in casu, quo cum revivisentia baptismi concurrit Sacramentum Pœnitentiæ, si tamen concurrat cum baptismo Contritio perfecta, & per hanc formaliter tollatur obex baptismi, tunc si baptismus directè deleret peccata ante baptismum commissa, sequeretur eadem peccata directè deleri à duplici causa adæquata, nimirum à Baptismo, & à Contritione. Sequela probatur. Nam contritio æqualiter pugnat cum omnibus peccatis mortalibus, & omnia quæ invenit, directè expellit. R. Concedendo sequelam, quæ omnibus est concedenda in casu quo quis in eodem instanti quo absolvitur baptismus, aut Sacramentum pœnitentiæ, eliceret contritionem perfectam.

CONTROVERSIA III.

Vtrum per Reviviſcentiam Baptismi poſſint indirectè remitti peccata poſt Baptismum commiſſa, ſine concurſu cauſſæ directè remißivæ.

736. MAjor controverſia eſt de caſu, quo quis fictè baptizatus, antequam removeret obicem, commiſit peccata mortalia, an, inquam, talis per ſolam attritionem, ſine Sacramento Pœnitentiæ, ſufficienter removeat obicem baptismi, ita vt conſequatur gratiam & fructum baptismi.

Prima ſententia affirmat eſſe probabile, quòd ſufficiat attritio. Ita Paludanus, Sylveſter, Suarez, Dicaſtillo.

Secunda negat ſufficere, ac proinde ad obicis remotionem requirit, vt ponatur cauſſa directè remiſſiva peccatorum poſt baptismum commiſſorum, nempe vel Sacramentum Pœnitentiæ, vel perfecta contritio.

737. DICO, hanc ſententiam ſecundam eſſe multò probabiliorem, quidquid ſit de probabilitate primæ. Suarez & Lugo probant Concluſionem hoc modo. Peccatum poſt baptismum commiſſum eſt ſubjectum clavibus: ergo remitti non poteſt niſi vel per abſolutionem Sacramentalem, vel per votum illius incluſum in contritione perfecta. Ad hoc tamen reſponderent adverſarij, attritionem etiam eſſe votum baptismi, quia eſt voluntas ſervandi omnia præcepta; & quia Sacramentum Pœnitentiæ eſt ſub præcepto, quando commiſſum eſt peccatum poſt baptismum, ideo attritio eſt etiam illius votum: atqui ſententia contraria requirit attritionem ad hoc vt baptismus reviviſcat: ergo etiam requirit votum Sacramenti Pœnitentiæ. Quando autem Lugo & Suarez dicunt, non quodcunque votum ſufficere, ſed votum contentum in perfecta Contritione, imprimis videntur petere principium, aſſumendo pro probatione, quod eſt in quæſtione, & quod adverſarij negant, & nobis eſt probandum: deinde etiam ſupponunt falſum, ſcilicet, non poſſe peccatum mortale poſt baptismum commiſſum remitti niſi vel per Sacramentum Pœnitentiæ, vel per perfectam Contritionem: falſum inquam hoc eſt, quia poteſt etiam remitti per Sacramentum extremæ Vnctionis cum attritione, quia hoc Sacramentum facit ex attrito contritum: ergo non eſt vniverſim verum, peccatum clavibus ſubjectum, nunquam remitti niſi vel in Sacramento Pœnitentiæ, vel per contritionem perfectam.

738. Probatur ergo Concluſio meliùs argumento quod inſinuat S. Thomas, & eo vtitur P. Conink.

Nec baptismus, nec vllum aliud Sacramentum, habet vim remittendi peccata futura poſt ſuſceptionem talis Sacramenti. Ratio hujus ſuperiùs indicata eſt. Nam ideo reviviſcit baptismus, aut aliud Sacramentum, quia quando exiſtebat informe, tribuebat jus ad effectum ſuum formel conſequendum, ſi removeatur obex: atqui quando baptismus exiſtebat, non tribuebat vllum jus ad remiſſionem peccatorũ futurorum: ergo &c.

739. Confirmatur 1. Sacramenta ſunt quædam actiones ac poſtulationes Chriſti: Chriſtus autem non petit per Sacramenta, vt virtute illorum remittantur futura: neque aliquis vere dici poteſt ablui nunc à maculis futuris: ablutio enim non minùs quàm abſolutio ſupponit materiam abluendam jam exiſtere.

Confirmatur 2. Vtique baptismus reviviſcens, ſe ſolo non poteſt plus operari, quàm operatus eſſet, ſi dum exiſtebat, nullus obex adfuiſſet: atqui ſi tunc nullus obex adfuiſſet, non remiſiſſet peccata poſtea committenda: ergo nec reviviſcens poteſt illa remittere, quæ poſt baptismum commiſſa ſunt. Major probatur. Quia Reviviſcentia eſt quaſi quædam Retrotractio, quæ quandoque fieri ſolet per leges Civiles in contractibus vel donationibus ab initio quidem inefficacibus, ſed qui poſtea adveniente aliqua circumſtantiâ dicuntur fictione juris retrotrahi ad illud tempus, quo ſunt celebrati, vt perinde habeant acſi effectum ſortiti eſſent.

Confirmatur 3. Si peccata poſt baptismum commiſſa remitterentur virtute baptismi reviviſcentis, tunc vnâ deberet remitti omnis pœna illis peccatis annexa: hoc autem eſt falſum, vt meritò ſupponit hîc S. Thomas, & conſtat inde, quia ſunt ſubjecta Sacramento Pœnitentiæ, in quo poteſt ac debet adhuc poſtea pœnitentia injungi.

740. Objicies 1. Sacramentum Pœnitentiæ & extrema Vnctio, poſſunt aliqua peccata indirectè remittere: ergo hoc non eſt negandum baptismo. Diſtinguo antecedens. poſſunt indirectè remittere peccata commiſſa ante ſuſceptionem illorum Sacramentorum, concedo, poſt commiſſa, nego. quare autem illud poſſint, redditur ratio in loco. Baptismus autem non poteſt indirectè, ſed tantùm directè remittere peccata ante baptismum commiſſa: ergo ſi aliqua indirectè remittere poſſet, illa eſſent poſtea commiſſa.

741. Objicit 2. P. Dicaſtillo n. 113. Comparatione Baptismi non eſt obex ipſum peccatum, ſed defectus attritionis, quâ poſitâ ſufficienter tollitur obex, etiamſi peccatum ſit in ſubjecto: ita in caſu de quo diſputamus, ex parte ſubjecti ponitur quidem peccatum, ſed cum attritione illius: ergo nullus adeſt obex: ergo producetur gratia. R. Quando poſt baptismum committitur peccatum novum mortale, tunc ponitur novus obex ipſi reviviſcentiæ, qui obex non eſt quidem ipſum peccatum præcisè ſpectatum, ſed peccatum cum negatione cauſſæ per ſe delerivæ illius, vt hactenus probatum eſt: & ſic patet, quomodo diſtinguenda ſit major propoſitio, quæ ſolùm vera eſt reſpectu peccati ante baptismum commiſſi.

CON-

CONTROVERSIA IV.

Qualis Intentio requiratur in suscipiente Sacramentum.

GLossa in cap. *Majores de Baptismo* docuit, in adulto sufficere, si suscipiens ore consentiat, etiamsi corde dissentiat. Cajetanus verò docuit, sufficere, si corde non dissentiat, etiamsi non consentiat positivè.

742. Dicendum est, requiri consensum positivum ad valorem illorum Sacramentorum, non quidem qui tunc actu existat; sed satis est existere Habitualiter, hoc est, aliquando exstitisse & nunquam fuisse revocatum. Ita S. Thomas q. 68. a. 7. Colligitur imprimis ex Concilio Carthaginensi & Arausicano, quæ solùm permittunt conferri Baptismum illis adultis, qui saltem per alios habent testimonium voluntatis suscipiendi, sicut & Rituale Romanum Pauli V.

743. Dices: ex his Concilijs plus non colligi, quàm quòd non possint licitè ministrari non petentibus, non tamen quòd non possint validè. Sed contra. Quia si tantùm esset sermo de licentia conferendi Sacramentum, & non supponeretur, Sacramentum fore invalidum, non deberent Concilia prohibere, ne Baptismus conferretur illi, qui vsu rationis privatus est, nec antea petijt Baptismum: tali enim deberet conferri tanquam medium necessarium ad salutem, vt benè observavit Arriaga.

Ratio seu congruentia sic instituendi Baptismum, insinuatur à S. Thoma & Innocentio III. in citato cap. *Majores*, quia per Baptismum subjicitur quis legi novæ irrevocabiliter: hanc autem subjectionem nemo debet nisi volens subire, qui voluntatem propriam habet.

744. De Sacramento Confirmationis adducta Ratio non ita clarè procedit: quia in hoc Sacramento non imponitur onus, sed tantùm augentur vires ad faciliùs ferendum onus jam antè susceptum, & ad faciliùs satisfaciendum obligationi jam antè contractæ.

745. Cæterùm adhuc congruum erat, vt tantus favor & honor, quo quis deputatur specialiter ad Christi militiam, non conferretur nisi desideranti & consentienti, si aliquando potuit desiderare. Quæ ratio etiam de extrema Vnctione suo modo procedit, cujus favores non debent nisi aliquo modo volenti conferri, si potuit aliquo modo velle. dixi: *aliquo modo*. nam valde implicitam & generalem voluntatem Mediorum salutis ad hoc Sacramentum sufficere, receptum est, & in praxi observatur. Denique eadem ratio Sacramento Ordinis applicari potest; nam licet hoc Sacramentum non afferret onus adulto, v. g. obligationem servandi castitatem, si posset invito conferri validè, quia tamen afferret magnum honorem & magnas prærogativas, jam erat congruum, vt non nisi volenti posset conferri validè.

746. Quoad Infantes est alia ratio. Nam licet Baptismus illis afferat onus novæ legis, simul tamen etiam tanta commoda affert, vt infanti optabilius sit baptizari, quàm non baptizari; & ideo ejus voluntas suppletur ab Ecclesia, vt sic per alienam voluntatem possit à servitute Diaboli liberari, cui per alienam quoque voluntatem subjectus erat. Quoad Sacramentum Confirmationis & Ordinis, quia infanti nullum æstimabile onus, sed potiùs commodum & honorem afferunt, etiam congruum erat, vt infanti validè (quamvis non licitè) conferri possent, ad quod non erat opus, vt Ecclesia suppleret illius voluntatem, quia dignitas potest etiam non desideranti nec potenti desiderare, conferri; sic potest infans legitimari, nobilitari &c.

747. Objicit Cajetanus 1. ex cap. *Majores*, vbi sic habetur: [Tunc Characterem Sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non invenerit.] Quibus verbis Pontifex plus non requirit, quàm absentiam contrariæ voluntatis. R. Si verba præcedentia legantur, quibus prohibetur, ne alij quàm Catechumeni baptizentur ex ijs qui amentes facti sunt, adeóque non nisi illi qui Baptismum priùs petierunt, apparet requiri à Pontifice & Concilio consensum positivum.

748. Objicies 2. Ex nostra Conclusione sequitur, Sacramenta non habere eadem essentialia requisita in parvulis, quæ habent in adultis, & malè dixisse Eugenium Papam, Sacramenta tribus perfici, inter ea numerando Intentionem Ministri, & omittendo Intentionem suscipientis. R. Formaliter loquendo esse eadem requisita in omnibus; requiritur enim consensus habitualis in omnibus, non quidem absolutè sed conditionatè, si aliquando fuerit proprio arbitrio præditus. Ad id quod addebatur de Eugenio Papa, respondet Dicastillo, Pontificem voluisse enumerare requisita vniversaliter in omnibus, qualis non est intentio suscipientis, quæ in infantibus non requiritur, sicut nec in Eucharistiæ Sacramento vlla suscipientis intententio requiritur ad conficiendum hoc Sacramentum. Addit Card. de Lugo, Intentionem suscipientis posse subintelligi ex parte materiæ, sicut enim ablutio non quæcunque, sed corporis vivi est materia debita, ita etiam est ablutio hominis volentis ablui. Breviùs respondetur, intentionem suscipientis esse complementum Intentionis Ministri in esse *absolutæ*, quia est conditio inexistens.

749. Objicitur 3. Extrema Vnctio solet concedi etiam illis, qui vsum rationis perdiderunt, nec antea illud Sacramentum petierunt. R. Hoc ipso quòd quis fuerit Christianus, & voluerit talis vivere aç mori, jam præsumitur voluisse & consensisse implicitè in illos ritus, quos in bonum animæ illius Ecclesia solet adhibere.

750. Ex hac responsione, quæ communis est & vera, nascitur difficultas non levis, an in adulto ad valorem baptismi sufficeret, si nihil quidem

dem vnquam in specie de baptismo cogitâsset, sed tamen habuisset aliquando generalem, & nunquam retractatam voluntatem servandi omnia præcepta, v. g. habuisset attritionem ex motivo vniversali.

Prima sententia affirmat. Ita Coninck q. 64. a. 8. dub. 5. n. 103. & P. Dicastillo.

Secunda negat. Suarez d. 14. s. 2. Concl. 1. circa finem, vbi docet, in baptismo requiri magis expressam & formalem intentionem, quàm in extrema vnctione. Suarezio accedit Lugo, Arriaga.

751. DICO 1. Voluntas servandi omnia præcepta, non sufficit, vt validus sit baptismus collatus homini dormienti vel ebrio. item non sufficit, vt sit validus, quando modus conferrendi alioquin in se esset illicitus, v. g. si conferretur sine debitis Solennitatibus. Probatur. In tantùm illa voluntas sufficeret, in quantùm esset implicita voluntas servandi omnia præcepta, & hoc ipso etiam recipiendi Baptismum, & eo modo recipiendi, quo modo ex præcepto recipi debet: atqui talis modus recipiendi Baptismum v. g. in ebrietate, somno &c. non est sub præcepto, imò est contra præceptum: ergo voluntas servandi omnia præcepta non est, ne quidem implicitè, voluntas hoc modo recipiendi Baptismum, imò est voluntas non sic recipiendi.

752. DICO 2. Homini Judæo aut Gentili, habenti voluntatem generalem servandi omnia præcepta ex motivo consequendæ salutis æternæ, posset validè & licitè conferri baptismus, constituto in extrema necessitate, v. g. in amentia perpetua, & finali, ita vt alioquin ipsi æternùm pereundum esset, nisi baptizaretur. Hoc concedo primæ sententiæ, & reipsâ consensit Lugo *d. 9. n. 128. & seqq.*

Probatur à paritate extremæ Vnctionis, & quidem à fortiori. Sciendum autem est, extremam Vnctionem non ideo præcisè posse conferri in casu, quo quis repentè venit in extremam necessitatem, & est privatus vsu rationis, quia talis homo habuit fortasse voluntatem generalem servandi omnia præcepta, hæc, inquam, voluntas non sufficeret: quia est probabilis opinio, extremam Vnctionem non esse sub præcepto, vt docet Dicastillo: vnde non contineretur in illa voluntate: sed ideo, quia de tali homine rationabiliter præsumitur, habuisse voluntatem moriendi vt Christianum decet, cum omnibus spiritualibus adjumentis & subsidijs quæ posset consequi ab Ecclesia, etiamsi non sint præcepta. Hac voluntate censetur implicitè consentire in extremam Vnctionem: qui enim vult Finem, censetur etiam consentire in Media, non tantùm simpliciter necessaria, sed etiam in illa, quæ sine suo incommodo possunt ad illum finem plurimùm conferre.

Hinc argumentor ad casum nostrum, & probo idem procedere de Baptismo. Qui enim vult efficaciterFinem, vtique consentit in omnia Media necessaria ad finem, sive deinde illud medium sit proximè sub præcepto, sive tantùm remotè, propter illius ignorantiam: atqui in casu Concisionis est medium necessarium ad salutem, & sibi fuit intenta ab illo homine per generalem voluntatem consequendi salutem: ergo habet consensum in Baptismum.

753. Dices. Ergo si habuisset Contritionem perfectam, non posset baptizari, quia Baptismus non esset illi amplius necessarius, vtpote iam justificato per Contritionem. Respondent aliqui, nihilominus adhuc posse & debere baptizari, quia Baptismus adhuc est sub præcepto: Contra autem est voluntas servandi omnia præcepta: ergo adhuc est voluntas sufficiens recipiendi baptismum. Sed contra hanc responsionem vrget Lugo Baptismum non esse sub præcepto proximè & absolutè, nisi respectu illorum, qui illius necessitatem & vtilitatem cognoscunt, qualem notitiam non habet ille, de quo disputamus: Ergo Contritio in tali homine non est voluntas, ne quidem implicita, Baptismi, nisi sub conditione, si agnosceretur ejus necessitas: atqui in casu nostro hæc conditio non purificatur: ergo voluntas Baptismi, inclusa in Contritione, non transit in absolutam: ergo non sufficit ad recipiendum Baptismum, quia requiritur voluntas absoluta.

Verùm nec ipse Lugo negare potest, quòd Contritio sit votum baptismi etiam in illo homine, qui ignorat præceptum & necessitatem baptismi, vt constabit ex dicendis in tr. de Eucharistia, vbi ex ipso Lugone dicemus, Contritionem istam esse Votum Baptismi, quia est voluntas servandi omnia præcepta, & Baptismus est sub præcepto: ergo sufficit esse sub præcepto remotè, vt Contritio dicatur esse voluntas illius. Quare adhuc non est satis eversa data responsio. Nihilominus

754. Aliter adhuc ad replicam respondeo, & dico 1. In tali casu debere baptizari saltem sub conditione; quia non constat, nec potest iste revelatione constare certò, quòd habuerit perfectam Contritionem. Dico 2. posse talem absolutè baptizari. quia præsumi potest velle Baptismum non quidem vt necessarium ad salutem, sed tamen vt servientem ad majorem sanctitatem, sine vllo suo incommodo, consequendam. Ratio est, quia omnis qui vult esse amicus Dei, vtique consentit in majorem gradum amicitiæ, quem consequi potest sine majoribus impensis, vt de extrema Vnctione dictum est. Et hæc de Sacramentis in genere.

TRACTATVS

[IHS] [MRA] [IPH]

TRACTATUS III.

DE AVGVSTISSIMO EVCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CAPVT I.

DE PARTIBVS CONSTITVTIVIS EVCHARISTIÆ.

CONTROVERSIA I.

An ſpecies ſeu Accidentia Panis & Vini ſint Partes Euchariſtiæ.

755. Dicendum eſt contra Durandum, ſpecies Sacramentales quæ ſenſibus percipiuntur, eſſe partes conſtitutivas Sacramenti Euchariſtiæ. Deſumitur ex cap. *cùm Marthæ §. diſtinguendum eſt: de Celebr. Miſſar.* qui textus vt intelligatur;

Sciendum eſt, ſolere Theologos, ad imitationem antiquorum, in Sacramentis novæ legis tria ab invicem diſtinguere; quorum vnum vocant, *Sacramentum tantùm:* alterum, *rem tantùm:* tertium, *rem & Sacramentum ſimul.* Sacramentum tantùm vocant illud, quod ſignificat, & non ſignificatur; & hoc ſemper eſt aliquid intrinſecè pertinens ad conſtitutionem Sacramenti, v. g. in baptismo verba & ablutio ſunt Sacramentum tantùm, quia ſimul ſumpta ſignificant ablutionem ſpiritualem, ſed non ſignificantur: nam licet verba videantur ſignificare ablutionem corporalem, hæc tamen non eſt terminus Sacramentaliter ſignificatus, ſed hoc ſignificant ex impoſitione hominum. Alterum, nempe Rem tantùm, volunt eſſe illud, quod ſolummodo ſignificatur & non ſignificat: & hoc non eſt aliud quàm Gratia ſanctificans, ac proinde non eſt pars conſtitutiva Sacramenti, ſed effectus primarius illius. Tertium, nempe Sacramenrum & rem ſimul, dicunt eſſe illud, quod & ſignificat, & ſignificatur; & quandoque eſt, quandoque non eſt conſtitutivum Sacramenti. In tribus Sacramentis eſt Character. In Matrimonio aſſignatur indiſſolubilitas radicalis: in Euchariſtia Corpus & Sanguis Chriſti: in extrema vnctione & pœnitentia eſt major difficultas, quidnam ſit Res & Sacramentum ſimul, de qua videri poteſt Lugo d. 2. ſ. 8. Hoc poſito

In allegato cap. cùm Marthæ, Innocentius III. tradit, ſpecies viſibiles eſſe *Sacramentum tantùm,* atqui, vt diximus, id quod eſt Sacramentum tantùm, ſemper eſt intrinſecè pertinens ad rationem Sacramenti: ergo ſpecies ſunt etiam intrinſecè pertinentes ad Sacramentum Euchariſtiæ.

756. Probatur 2. ex Trid. *ſeſſ. 13. c. 1.* vbi definitur, in Euchariſtiæ Sacramento poſt conſecrationem Chriſtum verè contineri ſub ſpecie rerum ſenſibilium: quibus verbis videtur ſupponere, hoc Sacramentum ſecundùm quod eſt permanens, non in ſolo Chriſto conſiſtere, alioquin non rectè diceret, Chriſtum in Sacramento contineri: atqui nihil aliud poteſt aſſignari quod præter Chriſtum conſtituat hoc Sacramentum in eſſe permanentis, quàm ſpecies ſub quibus Chriſtus continetur: ergo &c.

Probatur 3. ex definitione Sacramenti, quòd debeat esse signum sensibile: atqui Eucharistia non est signum sensibile nisi ratione specierum: ergo per species constituitur in ratione signi sensibilis: ergo etiam in ratione Sacramenti.

757. Objicies, in illo solo debet constitui hoc Sacramentum, quod habet rationem cibi: sed sola substantia, & non accidentia possunt habere rationem cibi, quia sola substantia nutrit: ergo Sacramentum Eucharistiæ consistit in solo Corpore & Sanguine Christi. R. Distinguendo minorem: de cibo corporali conceditur, de spirituali & mystico cibo negatur. sicut enim nutritio spiritualis non tendit ad terminum substantialem producendum, sed accidentalem, nempe gratiam, ità non est necesse, vt cibus consistat in sola substantia.

CONTROVERSIA II.

Vtrum, & quomodo in Eucharistia importetur Corpus Christi & Species.

758. Dicendum est 1. Corpus & Sanguis Christi pertinet intrinsecè, & vnà cum speciebus constituit Sacramentum Eucharistiæ. Est contra Scotum & Marsilium. Probatur 1. ex Scriptura, in qua Christus loquens de hoc Sacramento tanquam de cibo spirituali ait suam carnem & sanguinem esse hunc cibum & potum. Io. 6. Probatur 2. ex PP. S. Augustinus relatus in canone: *Hoc est* 48. de Consec. dist. 2. ait, Sacrificium altaris duobus constare, scilicet, visibili elementorum specie, & corpore Christi, sicut Christi Persona constat & perficitur Deo & homine. S. Irenæus l. 4. c. 34. dicit, Eucharistiam duabus rebus constare, alterâ terrenâ, alterâ cælesti. S. Damascenus lib. 4. c. 4. ait, Eucharistiam esse cibum compositum, sicut nos sumus compositi.

Objicies. In alijs Sacramentis illud quod est res & Sacramentum simul, non est intrinsecè constitutivum Sacramenti, nimirum Character: atqui in hoc Sacramento Corpus Christi est res & Sacramentum simul, quia significat & significatur: ergo non est intrinsecè pertinens ad rationem Sacramenti. R. Imprimis antecedens non esse vniversaliter certum etiam de reliquis Sacramentis; multi enim volunt in Sacramento Pœnitentiæ dolorem esse rem & Sacramentum, & tamen est pars Sacramenti Pœnitentiæ. Quidquid tamen sit, transeat antecedens, nego consequentiam & paritatem. Primò, quia Corpus Christi significat practicè gratiam tanquam cibus, non item character, qui est effectus simultaneus cum gratia. Secundò, quia vt dicemus Concluſ. 3. Corpus Christi importatur in recto in Eucharistiæ Sacramento, & ideo necessariò est pars. Character autem est merum connotatum, & effectus.

759. DICO 2. Strictè & Metaphysicè loquendo solæ illæ partes constituunt intrinsecè hoc Sacramentum, quæ vi verborum formaliter & non merè per concomitantiam ponuntur in hoc Sacramento. Supponimus autem, quod de fide certum est, aliquas Christi partes non poni in Eucharistia præsentes vi verborum formaliter, sed merè per concomitantiam, v. g. sub specie hostiæ seu panis ponitur sanguis merè per concomitantiam, quia per vocem *corpus* non significatur formaliter sanguis: pariter sub specie vini ponitur per concomitantiam corpus, quia per vocem sanguis, non significatur formaliter corpus. item sub vtraque specie ponitur per concomitantiam Anima & Divinitas. Hoc supposito Probatur Conclusio. Illud solùm Corpus Christi constituit hoc Sacramentum, quod vi verborum fit sensibile: sed solæ illæ partes Christi fiunt vi verborum sensibiles, quæ vi verborum formaliter ponuntur: nam cæteræ solùm per consequentiam deducuntur adesse, propter vnionem cum partibus formaliter significatis. Ergo &c.

Objicies. Tridentinum dicit, etiam Animam & Divinitatem contineri in hoc Sacramento. R. Concilium non loqui secundum rigorem & sensum Metaphysicum, seu, de continentia metaphysica, sed definit contra hæreticos, nec omnia ibi esse præsentia: qui modus loquendi non est improprius sed vulgaris: sic enim dicuntur in homine contineri scientia & virtus. Ita Lugo.

760. DICO 3. Corpus Christi sub speciebus panis, & Sanguis sub speciebus vini importantur in recto. Est communis. Prob. 1. Hoc Sacramentum dicitur à Tridentino *sess.* 13. c. 5. adorabile cultu latriæ: ergo saltèm aliquid illius importatum in recto debet esse tali cultu adorabile seu coadorabile cum divinitate: atqui species non sunt adorabiles nisi cultu respectivo, sicut purpura Regis, vt tract. 1. hujus libri dictum est: Corpus autem Christi propter vnionem cum Verbo potest adorari cultu absoluto latriæ, vt ibidem probatum est: ergo importatur in recto. Probatur 2. ex recepto loquendi modo Patrum, dum dicunt hoc Sacramentum esse Corpus, Carnem, Sanguinem Christi. videantur apud AA.

761. Dissensio tamen aliqua est circa species & Verba, quomodo importentur. Communis valde sententia vult importari in recto. Contrarium asserit Lugo; & quia hanc illius sententiam 53. abhinc annis Vallisoleti docuerat aliqui Salmanticenses Theologi singulariter vocârunt, ideo nunc pro ea citat VValdensem, Bastium, Sylvium, Alanum.

In quæstione parvi momenti, malo cum communi sentire, species etiam importari in recto: tum quia ipse Lugo fatetur, hoc Sacramento tum sæpè ita accipi, vt etiam species importet in recto; tum quia hoc est conformius aliis omnibus Sacramentis quæ important in recto illud, quod est *Sacramentum tantum*. tum quia argumentum Lugonis commodè solvi potest. Itaque

762. Ob-

762. Objicit Lugo. Sancti Patres dicunt, Eucharistiam esse Corpus Christi, & nullam faciunt mentionem specierum : atqui si etiam species importarentur in recto, falsa esset illa propositio, sicut hæc est falsa : *Humanitas est anima.* Hoc est totum fundamentum Lugonis. ad quod tamen pari facilitate responderi potest, qua, vt paulò antè retuli, respondet ipse Lugo ad textum ex Tridentino allatum, nimirum Tridentinum non esse locutum in rigore Metaphysico; pari, inquam, jure respondemus, Patres non fuisse locutos in rigore Logico aut Metaphysico : nam eorum institutum erat, docere populum ea de quibus poterant dubitare, & errorem pernicioſum incurrere, hujusmodi erat præsentia corporis Christi : quòd autem Eucharistia importet aliquo modo species, erat extra controversiam. Item Patres volebant populo inculcare Excellentiam hujus Sacramenti, ad quod vtique maximè conducebat explicare præsentiam Christi, quæ movet ad reverentiam & devotionem.

Confirmatur 1. alijs exemplis. In Symbolo S. Athanasij dicitur : Sicut anima rationalis & caro vnus est homo &c. qui tamen modus loquendi, secundùm principia Lugonis, non est Scholasticus, quia τὸ *Homo*, importat in recto Subsistentiam. Item in Symbolo Apostolorum dicitur, quòd Christus descendit ad inferos, & tamen sola anima descendit, quæ non est Christus in Recto. Sicut ergo in vulgari loquendi modo sæpè partem vocamus totum, vt cùm dicimus S. Petrum esse in Cælo, ita poterant Patres, & possumus etiam nos Corpus Christi vocare Sacramentum, licet in rigore metaphysico sit tantùm pars recti.

Confirmatur 2. Baptismus, secundùm Lugonem, importat in recto non solùm ablutionem, sed etiam verba, & ita docet cum Vasquez contra Scotum : & tamen in definitione Baptismi quæ traditur à Magistro sententiarum, & recipitur ab omnibus Theologis, sola ablutio ponitur in recto : definitur enim *ablutio corporis exterior sub præscripta forma verborum.*

Confirmatur 3. & probatur argumento, quo Lugo movetur ad dicendum, quòd baptismus importet in recto etiam verba. Partium integrantium proprium est, vt omnes importentur in recto per nomen totius. sic nomen *Domus* non importat in recto fundamentum, & in obliquo tectum, sed vtrumque in recto. ita habet *d. 2. s. 3. n. 66.* subsumo. atqui species Eucharistiæ sunt pars integralis Eucharistiæ, non minùs quàm verba sunt pars integralis baptismi : ergo importantur in recto non minùs quàm verba in baptismo.

CONTROVERSIA III.

An Verba Consecrationis sint intrinseca Eucharistiæ Sacramento.

763. NEgant Scotus, Gabriel, Victoria, Catharinus, Vasquez, Bellarminus, Conink, Comptonus.

DICO Verba Consecrationis constituere intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ. Ita Suarez, Valentia, Lugo, Tanner, Arriaga, Esparza, post S. Thomam *q. 60. a. 6. ad. 2.* & Catechism. Roman. *p. 2. c. 1.*

Probatur 1. auctoritate Florentini, in Decreto Eugenij IV. vbi in §. *Tertium est.* habetur, formam Eucharistiæ esse Verba consecrationis : atqui omnis forma est constitutiva illius compositi, cujus est forma, nec forma quà forma habet alium modum causandi, quàm componendo totum. Ergo &c.

Probatur 2. Illud constituit intrinsecè Eucharistiam in ratione Sacramenti, à quo species Sacramentales habent formaliter, vt sint sensibile signum Corporis Christi, & gratiæ per ipsum conferendæ : sed hoc habent formaliter à verbis consecrationis : ergo &c. Minor probatur. Nam Corpus Christi in se non est sensibile prout existit in Eucharistia, sed neque est sensibile per species panis secundùm se sumptas : significarent enim potiùs substantiam panis adesse, quàm Corpus Christi : ergo in quantùm substant verbis affirmantibus ex institutione Christi præsentiam Corporis Christi.

764. Objicies 1. Eucharistia est Sacramentum permanens : ergo omnes ejus partes debent esse permanentes : atqui verba sunt jam præterita, etiam quando manet hoc Sacramentum : ergo non sunt partes. R. Distinguendo consequens : omnes partes debent esse permanentes vel physicè vel moraliter concedo : debent semper esse permanentes physicè, nego conseq. & explico distinctionem. Sacramentum Eucharistiæ dicitur permanens comparativè ad alia Sacramenta, quia alia solùm dum conficiuntur, habent vsum, quia formaliter consistunt in vsu, & ideo eorum vsus physicus non potest esse posterior tempore post primam Sacramenti existentiam. At verò vsus physicus Eucharistiæ potest esse, imò semper est posterior primâ confectione & existentiâ hujus Sacramenti : ad hoc autem sufficit aliquas partes esse physicè durantes & vsurpabiles ac applicabiles passo, seu recipienti Sacramentum ad producendum effectum, ad quem illud totum morale est ordinatum, & quia vnà cum partibus physicè existentibus & applicabilibus verba quamvis præterita concurrunt, quatenus vnà cum speciebus exigunt perseverantiam Corporis Christi sub speciebus, & vnà cum corpore Christi causant moraliter gratiam tanquam pars signi practici, ideo censentur verba adhuc

esse moraliter præsentia & permanentia, hoc est, perinde serviunt ad vsum Eucharistiæ, acsi essent physicè præsentia: & hæc moralis præsentia seu permanentia tunc primum desinit, quando species panis desinunt continere Corpus Christi: vel meliùs: quando desinunt esse species panis.

765. Objicies 2. Potest totum hoc Sacramentum explicari per formam physicè præsentem: ergo non est cur recurramus ad verba præterita. Probatur antecedens. Possumus dicere, Sacramentum hoc vltra corpus & species constitui per negationem revocationis verborum. Nam etiamsi verba præcessissent, si tamen postea essent revocata à Christo (nam revocatio Ministri non sufficeret) jam non ampliùs servirent ad hoc, vt species essent signum præsentiæ Christi. Ità olim philosophatus est Romæ P. Antonius Mangilius.

℟. Negando antecedens: ad probationem Respondeo, eâ ad summum probari, præter verba præterita etiam includi negationem revocationis, seu meliùs: includi voluntatem Dei non auferendi vnquam Corpus Christi post verba prolata, quamdiu manent species panis: sed non probatur, verba præterita non etiam includi: quia semper verum est, quòd per verba præterita fiat nobis sensibilis præsentia Corporis Christi, adeoque in ratione Sacramenti includantur verba præterita.

CONTROVERSIA IV.

Vtrum Intentio Ministri sit Pars Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum.

768. CArd. de Lugo hanc quæstionem excitavit, & docuit, in omnibus Sacramentis, exceptâ Eucharistiâ, Intentionem Ministri esse partem constitutivam Sacramentorum: quam sententiam deduxit ex Regula partium: Nam cæteris omnibus positis, solâ intentione non positâ, non est positum Sacramentum. De fundamento excipiendi Eucharistiam postea videbimus.

Hanc Lugonis doctrinam, quâ vult, Intentionem esse partem aliorum Sacramentorum, exagitat P. Dicastillo tanquam singularem, toti antiquitati, & manifestæ rationi contrariam. Verùm P. Dicastillo omni suo conatu apud posteritatem adeo nihil effecit, vt famosi Recentiores, cæteroquin opinionibus Lugonis non singulariter addicti, in hoc tamen puncto Lugonem sint secuti: Antonius Perez, Pallavicinus, Arriaga, Esparza.

DICO. Intentio Ministri est intrinsecè constitutiva omnium Sacramentorum, etiam Eucharistiæ. Quoad alia Sacramenta probatur Conclusio ex Regula partium, & de hoc jam suprà dictum est. Nunc id agendum, vt Conclusionem argumento vniversali probemus. Illud est intrinsecè constitutivum Sacramenti, sine quo, cæteris omnibus positis, non est signum sensibile, habens virtutem caussandi gratiam: sed solâ intentione non positâ, cætera omnia non constituunt signum sensibile caussativum gratiæ: ergo &c. Minor probatur. Sacramenta in ratione signi caussativi Gratiæ, constituuntur per hoc, quòd includant actiones vel verba prolata nomine Christi, vt suprà dictum, & communiter est receptum. atqui seclusâ intentione, omnibus cæteris positis, actio & verba inclusa in Sacramentis non habent hanc denominationem, quòd fiant nomine Christi: ergo solâ intentione absente, cæteris omnibus positis, non manet signum caussativum Gratiæ. Minor est evidens, quia denominatio hæc: *aliquem hanc esse factam nomine Christi*; habetur formaliter ab intentione Ministri. cùm enim illa prolatio verborum secundùm se sit indifferens vt fiat vel nomine proprio vel alieno, debet per aliquid determinari, vt fiat nomine alieno: atqui non determinatur ab alio quàm ab intentione Ministri, vt jam superiùs declaratum est. Ergo.

Hoc argumentum procedit æquè de Eucharistia ac cæteris Sacramentis. Nam verba consecratoria (quæ Lugo fatetur includi in Eucharistia) non quomodocúnque sumpta, nec Corpus Christi præcisè prout subsistat speciebus, habent vim Sacramentalem caussandi gratiam, sed verba vt prolata nomine Christi, & corpus vt constituens sub speciebus vi verborum prolatorum nomine Christi: sic enim & non aliter Christus suo corpori & sanguini applicavit sua merita. Et hoc denique argumento respondetur ad fundamentum quo Lugo inductus est, vt Eucharistiam excipieret.

769. Objicit ergo Lugo: Intentio non requiritur formaliter ad constituendum Sacramentum in ratione *sensibilis*, sive, non est ipsa sensibilitas Eucharistiæ. Nam ipsa intentio in se non est sensibilis, sed sentitur per verba: vltertis intentio tantùm requiritur, vt Corpus Christi sub speciebus ponatur per verba, quo effectu obtento nihil vlteriùs operatur, sed Corpus Christi sub speciebus operatur adæquatè gratiam. ℟. 1. Hoc argumento probaretur, quòd nec verba essent constitutiva hujus Sacramenti: si enim Corpus Christi sub speciebus existens est caussa adæquata Gratiæ, tunc hoc complexum est adæquatè Sacramentum: sed in hoc complexo non includuntur verba Ministri, quibus conficit hoc Sacramentum: ergo &c. Itaque

℟. Sensibilitatem hujus Sacramenti non esse quidem ipsam intentionem, sed verba: verum verba reddunt indivisibiliter & æqualiter sensibilem tam præsentiam Christi quàm intentionem Ministri, quia verba non significant præsentiam Christi nisi dependenter ab intentione Ministri: verba enim significant Christum esse præsentem vi intentionis Ministri: hinc si verba sint signum falsum respectu intentionis, sunt inanea ad constituendum Sacramentum: atqui essent signum falsum, si non adesset intentio: ergo sine intentione non possunt verba constituere

stituere hoc Sacramentum : atqui verba constituunt hoc Sacramentum, vt fatetur Lugo : ergo etiam intentio constituit hoc Sacramentum. R. 3. Corpus Christi non esse adæquatam causam Gratiæ, sed vnà cum verbis, prout sunt verba Christi : hoc autem formaliter habent per intentionem, vt probatum est : ergo non minùs Intentio quàm verba constituunt Eucharistiam.

770. Objicies 2. & vniversaliter, ad probandum, quòd nullum Sacramentum constituatur per Intentionem Ministri. Si Intentio Ministri esset intrinsecè constitutiva Sacramentorum, tunc etiam potestas Ministri esset intrinsecè constitutiva Sacramentorum quæ administrat ; nam de illa pariter procedit regula, scilicet, quòd ablatâ potestate, manente intentione & omnibus cæteris, non daretur Sacramentum : consequens est absurdum : ergo &c. Minor probatur : nam si hoc concedatur, vlteriùs deducetur, quòd in Sacramento Ordinis, quo quis consecratur Sacerdos, includatur non solùm character baptismalis ipsius ordinandi, sed etiam ordinantis character duplex, videlicet baptismalis & Episcopalis : item includerentur omnes characteres omnium retrò Episcoporum in ea serie, quâ ab invicem sunt successivè creati, quia per horum omnium characteres videtur constitui potestas ordinantis : ergo si potestas ordinantis includatur in Sacramento Ordinis, omnes illi characteres includentur, quod vtique videtur inconveniens.

R. 1. Si Regula partium æquè procederet de his omnibus, sicut procedit de Intentione, tunc concedendæ essent omnes sequelæ, & negandum esset, eas absurdas, sicut non est absurdum concedere (prout vi regulæ concedendum est) quòd in denominatione, quâ ego denominor *Posterus Adami*, includantur omnes Generationes retrò factæ meorum majorum vsque ad Adamum : quia quâcunque mediâ generatione ablatâ, cæteris manentibus, ego non ero posteris Adami. Cæterùm

Ad Objectionem R. directè, concedendo primam sequelam & negando minorem : ad cujus probationem negatur sequela & paritas. Concedo quidem includi Characterem baptismalem ipsius ordinandi, & Characterem Episcopalem Ordinantis, nego tamen characterem priorum ordinantium includi, quia de illis Regula partium non procedit. Nam si per possibile vel impossibile existerent isti duo characteres cum cæteris actionibus ad ordinationem requisitis, & nullus alius character præcessisset, esset valida ordinatio & verum Sacramentum, quia actiones procederent ab habente potestatem, quæ adæquatè constituitur per characterem, & per voluntatem Christi instituentis hoc Sacramentum : Character dici potest Potestas Ordinis intrinseca, Voluntas verò Christi Potestas extrinseca.

771. Objicies 3. Intentio Ministri sæpè est peccaminosa, vt quando Sacramentum administrat ex malo fine, vel in Statu peccati : atqui actus peccaminosus non potest esse constitutivus Sacramenti, quod est opus Dei : ergo &c. Hoc argumentum bene retorquet Lugo in Sacramento Matrimonij, cujus constitutivum est consensus internus, & tamen ille consensus sæpè est peccaminosus. Respondet ergo citatus Card. n. 139. nullum esse inconveniens, quòd Sacramentum constituatur & componatur partialiter ex peccato. Nam illa actio non caussat Gratiam, nec movet Deum vt est actio hominis hujus qui est Minister, sed vt est actio facta nomine Christi, & vt sic est laudabilis, laudabilitate extrinsecâ : sicut quando famulus dat Eleemosynam, ex jussu domini, per actum peccaminosum, quæ datio Eleemosynæ prout est actio domini dantis Eleemosynam per famulum, movet Deum ad retributionem, & quandoque Ecclesiam ad concedendas Indulgentias, & pauperem accipientem movet ad gratiarum actionem, licet prout est à famulo, si famulus det ex mala intentione, displiceat Deo, & non mereatur gratiarum actionem, nec Indulgentias.

CONTROVERSIA V.

An, & quâ ratione substantia Panis & Vini constituant intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ.

772. CErtum est, substantiam panis & vini non esse partem Eucharistiæ secundùm existentiam præsentem pro tunc quando est Eucharistia. Nam de fide est, hanc desinere post consecrationem. Imò negatio hujus existentiæ seu durationis significatur per verba consecrationis, vt infrà probabo. Hoc supposito

Quæstio est, an, hoc quod est : panem & vinum præexstitisse sub speciebus istis, sit de essentia Eucharistiæ.

Quidam Recentiores apud Card. de Lugo & Arriagam dixerunt, Concilium Florentinum, quando dixit, Materiam hujus Sacramenti esse panem & vinum, per panem & vinum non intellexisse ipsam substantiam, sed solas species remanentes. Quæ assertio si vera esset, sequeretur, substantiam panis & vini ne quidem in ratione præexistentis & termini transeuntis esse de essentia Eucharistiæ. quia si darentur species sine substantia panis & vini ante consecrationem, sicut dantur post consecrationem, haberetur sufficiens materia consecrationis & Sacramenti.

Card. de Lugo, & Arriaga, pro certo supponunt, quòd in hoc casu non posset fieri consecratio : hoc tamen non aliter probant, nisi quòd Florentinum assignaverit pro Materia Panem & Vinum.

Ad hoc tamen fundamentum responderi posset, Florentinum locutum esse de casibus occurrentibus secundùm præsentem cursum rerum, & non de casu nunquam eventuro, qualis esset, si darentur species sine substantia ; sicut etiam ibi-

dem dicitur, Materiam Calicis esse *Vinum de vite*. & tamen Theologi omnes fatentur, quòd si daretur vinum miraculosè productum, vt in Cana Galilææ, quòd inquam in tali vino consecrari posset: cur non ergo in casu quo darentur species sine substantia? Nihilominus supponendo sententiam, quòd in tali casu non posset fieri consecratio, procedit quæstio, an præexistentia panis & vini sub his accidentibus, constituat intrinsecè Sacramentum Eucharistiæ, sicut præexistentia peccati dicitur esse constitutiva Sacramenti Pœnitentiæ, vt infrà probabo.

773. DICO, substantiam panis & vini in ratione termini præexistentis & transeuntis constituere hoc Sacramentum. Probatur. Illud omne est intrinsecè constitutivum Sacramenti, quod est intrinsecè constitutivum potestatis, quæ est pars hujus Sacramenti, vt probatum est. sed præexistentia substantiæ panis & vini est constitutiva potestatis consecrandi hîc & nunc completæ: ergo &c.

Dices. Præexistentia panis & vini tantùm requiritur ad hoc, vt possit Corpus Christi poni sub accidentibus panis, & sanguis sub speciebus vini, sicut compressio uvarum requiritur, vt possit haberi vinum: sicut ergo compressio uvarum non est pars vini, ita nec præexistentia panis & vini erit pars Eucharistiæ. Respondeo, hac instantiâ probari quidem, quòd præexistentia panis & vini non sint pars Corporis Christi, sed non probari quòd non sint pars Sacramenti, eo modo quo peccata sunt pars Sacramenti pœnitentiæ. sicut enim ideo peccata vt præexistentia sunt pars pœnitentiæ, quia nisi præcessissent, omnibus cæteris positis non esset Sacramentum pœnitentiæ, quia absolutio careret materiâ circa quam versaretur, ita præexistentia panis & vini erunt pars Eucharistiæ, quia nisi præexstitissent, omnibus cæteris positis non daretur potestas consecrandi, vt fatentur Lugo & Arriaga: deficiente autem potestate consecrandi deficit pars Eucharistiæ in ratione Sacramenti, vt superiùs probatum est. Sed quia in hoc puncto non potest fieri nisi altercatio Logica, ideo non est immorandum.

CONTROVERSIA VI.

An vsus seu sumptio Eucharistiæ sit pars Eucharistiæ.

774. CErtum est, sumptionem esse illud, quo completur virtus Sacramenti in ratione potentis proximè caussare gratiam, quia est applicatio virtutis: applicatio autem virtutis reddit formaliter virtutem expeditam ad operandum, vt tradunt philosophi. Verùm hoc non sufficit, vt simpliciter dicatur constituere virtutem Sacramenti, sicut applicatio ignis non dicitur constituere virtutem ignis, prout virtus contradistinguitur à conditione. Pari modo Sacramentum Eucharistiæ ejusque virtus non constituitur per negationem obicis, & præexistentiam gratiæ non recipientis, & tamen in multorum sententia præexistentia Gratiæ complet vltimò virtutem Eucharistiæ, vt proximè possit producere Gratiam. Quæstio ergo est, vtrum in ratione caussæ, & tanquam conditionis, sit pars virtutis, seu virtus partialis. Affirmavit Aureolus apud Capreolum, & communiter multis defendere P. Dicastillo à n. 57.

DICO, Sumptionem non esse de ratione constitutiva hujus Sacramenti in ratione Sacramenti. Ita communis cum S. Thoma *q. 73. a. 1. ad. 3* vbi ait: Sacramentum Eucharistiæ perficitur in ipsa consecratione Materiæ, alia verò Sacramenta perfici in applicatione materiæ ad hominem ad sanctificandum hominem.

Probatur Conclusio 1. ex Tridentino *sess. 13. cap. 3.* vbi traditur discrimen inter Eucharistiam & alia Sacramenta his verbis. [Reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur: at in Eucharistiæ sanctitatis auctor ante vsum est.]

Probatur 2. ratione. Nam sicut cibus temporalis est cibus ante sumptionem, quæ tamen est applicatio illius, ita etiam sumptio Eucharistiæ, tanquam cibi spiritualis, est contradistincta virtute illius: hæc autem virtus jam meretur hoc Sacramentum, adeo vt etiamsi nunquam sumeretur, nihilominus verum esset dicere, extare Sacramentum.

775. Objicies 1. Illud est pars Sacramenti, per quod habetur ratio signi Gratiæ: sed vt sumptionem habetur ratio signi gratiæ: ergo &c. R. Negando minorem. Quia jam antecedenter ad sumptionem Eucharistiæ est sufficiens signum gratiæ, prout requiritur ad rationem Sacramenti. De ratione enim Sacramenti non est, esse signum gratiæ absolutè, sed sub conditione, si non adsit obex vel impedimentum: licet ergo peccatum existens in suscipiente non impedit, quominus Sacramentum habeat sufficientem rationem signi, licet impediat absolutam significationem Gratiæ, quia tollit conditionem, sub qua Sacramentum significat gratiam, ita negatio sumptionis non impedit rationem signi sufficientis in Sacramento permanente, ad quod sufficit significare Gratiam sub conditione: si applicetur. applicatio autem virtutis non est ipsa virtus, ne quidem partialis.

Objicies 2. Si Eucharistiæ vsus esset mera conditio, & non pars Sacramenti, tunc pariter dici posset, quòd Vnctio non esset pars Sacramenti extremæ Vnctionis, sed mera conditio, ità vt hoc Sacramentum adæquatè consisteret in Oleo benedicto, antecedenter ad omnem illius vsum, dicto, antecedenter ad omnem illius vsum, dicimus, Eucharistiam esse Sacramentum antecedenter ad vsum: consequens est falsum. Ergo. R. Negando paritatem. Disparitas est, quam etiam insinuat S. Thomas *q. 78. a. 1. in C.* quia Vnctio subsistat formæ Sacramentali, & est actio facta nomine Christi, adeoque habens illam dignitatem motivam, quæ requiritur ad virtutem Sacramenti; quod

quodsi esset mera conditio, & applicatio, non requireretur certus Minister, & Sacerdos, imò posset quis seipsum inungere, sicut potest sibi applicare Eucharistiam.

Vrgebis cum quodam Recentiore. Saltèm sumptio erit pars integralis, sicut est in Sacramento Pœnitentiæ satisfactio: ad hoc enim non requiritur, vt sit actio facta à Ministro aut nomine Christi. Ad hanc replicam, quam quidam ex suo Magistro Hispano aliquando objecit, respondi, & iterum respondeo, negando paritatem. Quia Satisfactio ideo est pars integralis, quia subitat verbis absolutionis, & per ea significatur remissio pœnæ per satisfactionem obtinenda: at verò sumptio Eucharistiæ nullo modo significatur per hæc verba: *Hoc est Corpus meum.*

CAPVT II.

DE VNITATE ET NECESSITATE EVCHARISTIÆ.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Eucharistiæ Sacramentum sit vnum specie infimâ.

776. Quæstio est, vtrum Eucharistia, prout sub vtraque specie continetur, sit vnum Sacramentum speciei infimæ, conflatum ex duobus partialibus Sacramentis, vel an sint duæ species infimæ totales, adeoque Sacramentum Eucharistiæ sit potiùs genus quàm species infima.

Dicendum, cum S. Thoma cæterisque Theologis, contra Aureolum, Sacramentum Eucharistiæ esse vnam speciem infimam. Conclusionem expressit Catechismus Pij V. his verbis. [Licet duo sint elementa, panis scilicet & vini, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum significetur, non tamen plura esse Sacramenta, sed vnum tantùm, Ecclesiasticâ auctoritate confitemur.

Probatur Conclusio. Si essent duæ species totales & atomæ, jam darentur octo species Sacramentorum: hoc autem est contra Tridentinum sess. 7. can. 1. dicens. *Qui dixerit, Sacramenta novæ legis esse plura aut pauciora quàm septem &c.* Minor probatur. Si Tridentinum non loqueretur de speciebus infimis, sed pro Eucharistia numeraret genus, tunc nullâ ratione damnandus esset, qui diceret, dari octo Sacramenta, loquens nimirum de speciebus infimis, & malè numeraret Concilium inter species infimas, dividentes genus Sacramenti, vnum genus tanquam membrum dividens, præsertim quia ambæ species facilè potuissent assignari.

Confirmatur. Nam hac ratione posset dici, esse tantùm duo Sacramenta, hoc est, duo genera, vnum vivorum, alterum mortuorum.

777. Objicies 1. Eucharistia vocatur in Collectis Missarum *Sacramenta* in plurali: vt: *Purificent nos quæsumus Domine, Sacramenta quæ sumpsimus.* R. Cum S. Thoma, Eucharistiam dici plura Sacramenta materialiter non formaliter: quia formaliter illæ duæ species complent vnum Convivium spirituale, & significationem refectionis spiritualis completæ, quæ non in solo cibo, aut solo potu, sed in vtroque simul consistit. Est ergo Eucharistia vnum Sacramentum vnitate formali seu Perfectionis, licet non vnitate Elementi, seu materiali.

Objicies 2. Eucharistia vt contenta sub specie panis, differt specie ab Eucharistia vt contentâ sub specie vini: ergo sunt duæ species infimæ. Probatur antecedens. Illud Sacramentum differt specie ab altero, quod significat & caussat gratiam diversam Sacramentalem in ordine ad diversa auxilia, vt superiùs dictum tr. 2. Sed Eucharistia vt contenta sub specie panis, significat & caussat diversam gratiam Sacramentalem, ab ea, quam caussat Eucharistia vt contenta sub specie vini, ergo sunt Sacramenta specie diversa. Minor probatur. Nam Eucharistia vt contenta sub specie panis, habet rationem & significationem non solùm nutrimenti vt sic in genere, sed significationem cibi in specie. Econtra Eucharistia sub specie vini, habet rationem & significationem potûs quà talis: atqui effectus cibi & potûs sunt formaliter diversi. Ergo &c. R. Negando antecedens. ad probationem distinguo majorem: si significat significatione completâ, & caussat gratiam completam in ea ratione in qua ex sua institutione significat, concedo, secùs nego majorem: & distinguo minorem. significat diversam Gratiam significatione completâ, & caussat completam in ea ratione in qua eam ex institutione sua significat, nego: significat eam incompletam & incompletè,

completè, an qualibet specie seorsim, transeat minor, & nego consequentiam. Dixi: *Transeat.* Nam de hoc ipso puncto est specialis controversia infrà resolvenda.

778. Objicies 3. Ex nostra sententia sequitur, quòd qui accipit vnam speciem, non accipiat integrum Sacramentum Eucharistiæ: & quòd in sacrario non asseruetur integrum Sacramentum, vbi tantùm asseruatur vna species. R. Cum Card. de Lugo, loquendo in rigore metaphysico de Sacramento totali, posse sine inconvenienti omnes hujusmodi sequelas admitti. Cæterùm in vulgari & communi modo loquendi, Corpus Christi sub speciebus panis appellandum est *Sacramentum simpliciter.* Responderi potest 2. cum S. Bonavent. *distinct.* 11. *a.* 2. *q.* 2. fideles accipere in vna specie totum Sacramentum quoad efficaciam causandi sufficientem & necessariam refectionem spiritualem, non tamen quoad significationem. Eodem planè modo respondet Suarez *disp.* 39. *s.* 3. §. *ad primum.* Respondetur tamen tertiò clariùs cum eodem Suarez. in vna specie accipi totum Sacramentum, intelligendo per *Sacramentum* illud, quod secundùm Scholasticos & PP. est *Sacramentum & Res*, scilicet Christum, qui totus est sub quavis specie, non accipi verò totum Sacramentum, intelligendo per Sacramentum, id quod per eosdem dicitur *Sacramentum tantùm*, vt suprà explicatum est, nempe species. R. 4. Cum Card. de Lugo, eum qui sumit vnam tantùm speciem, dici sumere totum Sacramentum, totalitate quam acquirit per separationem moralem vnius speciei ab altera, quæ separatio fit per sumptionem, non autem totalitate quam habet ante talem separationem, & secundùm quam est terminus adæquatus institutionis Christi, includens ambas species: sicut vna pars aquæ ante separationem & discontinuationem non est vna aqua totalis, est tamen per separationem, per quam acquirit totalitatem.

Objicitur 4. Denominatio totius non potest convenire parti: sed vnicuique speciei hujus Sacramenti convenit denominatio totius Sacramenti: ergo sunt duo Sacramenta specie distincta. R. 1. Distinguendo majorem: in eo sensu & acceptione *totius* in qua & secundùm quàm non habet rationem partis concedo, in alia acceptione totius in qua etiam habet rationem partis, nego majorem: sic, inquit Suarez, vna propositio est simpliciter oratio, & tamen est etiam pars longioris orationis, adeóque nomen *Oratio* convenit tam toti, quàm alicui parti ejusdem totius. R. 2. Distinguendo minorem. Vnicuique speciei convenit denominatio totius ante separationem ab altera, quæ fit, quando vna sumitur sine altera nego: convenit post separationem, subdistinguo: convenit denominatio totius in ratione convivij pleni nego, in ratione Sacramenti causativi Gratiæ, quæ sit sufficiens refectio spiritualis concedo minorem, & eodem modo distinguo consequens, ac declaro in exemplo vulgari. Si inferatur mensæ Gallus Indicus, dicitur esse vnus cibus, cujus vna pars est ala vel pes: si pes vel ala auferetur, & in separata patina vni apponatur fercula, dicitur illi apponi integer cibus, hoc est sufficiens portio, non tamen cibus totus in ratione Galli Indici. Ita pariter vtraque species Sacramentalis simul juncta, est vnum Sacramentum, si vna species ab altera separetur, potest etiam dici integrum Sacramentum, quatenus est sufficiens refectio animæ, licet non sit integrum Sacramentum in ratione formalis convivij, quod dicit & cibum & potum.

CONTROVERSIA II.

An & quomodo hoc Sacramentum numero multiplicetur.

779. LOquendo de speciebus ejusdem rationis, v. gr. de speciebus panis, quæri solet, an & quando Sacramentum numero multiplicetur, ita vt dici possint plura Sacramenta. Resolvitur autem hæc quæstio diversimodè secundùm diversas opiniones circa Rectum & Obliquum hujus Sacramenti. Qui dicunt, solum Corpus Christi importari in Recto, consequenter docent, dari vnicum numero Sacramentum, quantumvis multiplicentur hostiæ & species. Adducunt autem ipsi pro se imprimis testimonium Scripturæ 1. ad *Cor.* 10. Omnes vnum corpus sumus, qui de vno pane participamus. Secundò adducunt S. Ambrosium relatum in can. *in Christo* de consecrat. distinct. 2. vbi ait: [Vna hostia, non multa, sicut enim quòd vbique offertur, vnum est corpus & non multa corpora, ita & vnum sacrificium] (id est victima.) Ad hæc tamen testimonia responderi facilè potest, in illis considerari & exprimi id quod præcipuum est, & quod est *Sacramentum & Res*, vt paulò antè notavi. & in hoc sensu semper est vnicum; cum hoc tamen sint, quòd in alio sensu possit dici multa.

Alij qui dicunt, præter Corpus Christi importari in Recto etiam species, fatentur, talium inadæquatè multiplicari numero ad multiplicationem specierum, & à fortiori id ipsum docent, qui cum Vasquez putant, solas species importari in Recto. Habent autem isti AA. pro se textum satis apertum in canone: *tribus gradibus de consecrat. dist.* 2. vbi Clemens Papa ait, tanta holocausta offerenda esse in altari, quot populo possint sufficere. vbi Pontifex loquitur in plurali: de miror, quòd Suarez & Lugo velint hæc verba explicare, quasi Pontifex locutus esset de particulis nondum consecratis, nam oppositum constat ex sequentibus: [Quodsi, inquit Pontifex, remanserunt, cum timore & tremore Clericorum diligentiâ consumantur.]

780. In hac ergo sententia, quæ communior est, physicè loquendo tot dici possunt Sacramenta, quot sunt species ab invicem discontinuatæ. Vt autem moraliter loquendo dicantur plura Sacramenta,

Sacramenta, non sufficit quæcunque discontinuatio: sicut enim qui per plures bolos absumit vnum ferculum sibi appositum, non dicitur absumpsisse plures cibos, sic moraliter loquendo non dicitur Sacerdos sumere plura Sacramenta, quando simul aut successivè in altari sumit plures particulas, in quas hostia est divisa, quia, vt ipse Vasquez fatetur, illæ particulæ non causant nisi vnam gratiam.

Confirmatur. Nam licèt illæ plures species sint in actu primo remoto sufficientes ad significandas diversas gratias, sunt tamen adhuc indifferentes, vt in actu primo proximo significent vnam vel plures gratias, & ad hoc determinari possunt per vnam vel diversas sumptiones. Ergo antecedenter ad sumptionem, non habent illæ species multiplicationem moralem, desumptam à significatione Gratiæ. Econtra antecedenter ad sumptionem, habent quandoque talem conjunctionem localem, vt ab illa denominentur vnum Sacramentum, sic dicitur vnum Sacramentum esse in sacrario, vt notat Lugo.

CONTROVERSIA III.

An Eucharistia sit necessaria necessitate medij ad salutem, in re vel in voto.

§. I.

Explicatur differentia inter necessitatem Medij, & Præcepti.

781. EX ijs quæ sunt necessaria ad consequendam salutem, non omnia sunt eodem modo necessaria, sed aliqua dicuntur & sunt necessaria necessitate præcepti seu ex præcepto, hoc est, quæ vnicè ideo sunt necessaria, quia præcepta sunt: vt est, auditio Missæ die Festo, observatio Jejunij &c. restitutio rei alienæ. Alia sunt necessaria necessitate medij, sine quibus ex ordinatione divina salus obtineri non potest, etiamsi omnis præcepti violatio seponatur. vt sunt Baptismus, Gratia sanctificans, fides in adulto &c.

Discrimen fundamentale est hoc: Necessitate præcepti præcisè necessaria sunt illa, quæ ideo debent fieri, vt evitetur grave peccatum, sive, cujus omissio esset grave peccatum, & sic poneretur obex Gratiæ, & per consequens etiam saluti æternæ. Necessitate medij necessaria sunt, quæ conducunt ad salutem non præcisè removendo peccatum tanquam obicem gratiæ, sed quia vel causaliter vel formaliter ponitur aliquid sine quo salus haberi non potest, etiamsi omissio talis rei fieret sine peccato, quia fortasse invincibiliter ignoratur, vel deest copia illius: sicut alimentum est necessarium ad vitam sustentandam.

Hinc autem eruitur aliud discrimen. Nam quæ sunt necessaria necessitate præcepti tantùm, si ex invincibili ignorantia, vel ex impotentia vndecunque proveniente omittantur, adeóque omissio non sit peccaminosa, nullum quoque est salutis impedimentum: quæ verò sunt necessaria necessitate medij, si omittantur, quantumvis sine culpa, adhuc omissio obstat saluti.

782. Objicies. Non apparet, quare Baptismus sit necessarius necessitate medij, & non etiam restitutio rei furto ablatæ. Sicut enim Baptismus non est necessarius, nisi disjunctivè, in re vel in voto, ità etiam restitutio est necessaria vel in re vel in voto: nisi enim fur rem restituat, vel reipsâ, vel saltem habeat voluntatem implicitam illam restituendi, non salvabitur.

Respondetur, illud solùm in sensu proprio & Theologico dici necessarium in re vel in voto, quod ex se & ex sua institutione aptum est causare effectum necessarium ad salutem, hoc est, ipsam Justificationem, ità vt ejus votum seu voluntas, nempe dilectio Dei, in tantùm conferat illum effectum necessarium, in quantùm substituitur tanquam vicaria ipsius rei cujus est votum.

Declaratur, & ostenditur, quomodo hoc non conveniat restitutioni & similibus. Baptismus (& idem est de Sacramento Pœnitentiæ post baptismum, si peccatum mortale commissum est) est adulto necessarius necessitate medij in re vel in voto incluso in dilectione Dei, non item restitutio furti. quia baptismus est ex se & sine dilectione Dei aptum medium, & ad hoc institutum, vt conferat Justificationem quæ est necessaria ad salutem. Et quia Deus hanc aptitudinem baptismo ita contulit, vt tamen adulto non deesset omne medium salutis, casu quo sine culpa deberet carere baptismo in re, voluit hoc medium esse dilectionem Dei: quia verò simpliciter voluit hanc Justificationem quæ per dilectionem Dei obtinetur, etiam adscribendam esse baptismo, id hoc modo effecit. Conveniens vtique erat, vt voluntas reputaretur pro facto, quando factum est nobis impossibile: porrò, non quæcunque implicita aut explicita voluntas baptismi placuit Deo vt haberet prærogativam & privilegium justificandi, essétque vicaria baptismi, sed voluit hoc esse speciale dilectioni Dei: restabat ergo efficiendum, vt Dilectio Dei esset voluntas seu desiderium implicitum Baptismi: non est autem Dilectio Dei vniversim & ex essentia sua desiderium baptismi, nisi baptismus sit sub præcepto: ergo necessarium erat vt Deus baptismum constitueret sub præcepto: sic enim omnis dilectio Dei evadit ejus desiderium & votum, hoc ergo modo dicitur baptismus justificare in dilectione tanquam voto sui, & sic dicitur necessarius in re vel in voto.

783. Veniendo nunc ad restitutionem, apparebit statim disparitas inter eam & baptismum. Restitutio enim nec est apta, nec instituta ad conferendam per se justificationem, sed est merum removens prohibens, nempe removens materiam peccati, & voluntatem retinendi alienum, adéoque est tantùm caussa negativa & indirecta. Hinc etiamsi homo justificari non possit, nisi habeat voluntatem & votum restituendi, non

propterea recte diceretur Restitutio justificare in re vel in voto : nam formaliter loquendo, votum seu voluntas alicujus actionis ponendæ, si daretur occasio, non potest plus operari, quàm operaretur ipsa actio cujus est votum, si ipsa actio poneretur : est enim votum actionis quasi vicarium actionis, quia voluntas pro facto reputatur : ergo si restitutio realis non est nisi removens prohibens, hoc ipso ejus votum formaliter & quà tale tantùm erit removens prohibens : ergo Dilectio Dei licèt sit votum restituendi, non tamen quatenus est votum restitutionis, sed quatenus est votum Sacramenti ex sua institutione justificativi justificat, & per consequens ipsum Sacramentum & non restitutio dicitur justificare in voto.

§. II.

Doctrina tradita applicatur Eucharistiæ.

784. Dicendum est, Eucharistiam nec in re nec in voto esse necessariam necessitate medij, sed solùm necessitate præcepti. Probatur. Si Eucharistia esset necessaria necessitate medij, vel hoc verificaretur respectu primæ gratiæ acquirendæ, vel respectu amissæ recuperandæ, vel respectu perseverantiæ in gratia jam acceptæ. Nihil horum dici potest. Non primum aut secundum. Illud enim solum est tali respectu necessarium, quod per se & ex primaria sui institutione est medium idoneum ad primam gratiam conferendam, vel amissam recuperandam, vt præcedente §. declaratum est : atqui Eucharistia per se & ex primaria sui institutione, non est medium idoneum ad primam gratiam conferendam, aut amissam recuperandam, quia potiùs gratiam supponit, cùm sit Sacramentum vivorum, & ordinetur primariò ad nutritionem, quæ supponit vitam : ergo &c.

Sed neque tertium dici potest. Nam vel est Sermo de perseverantia ad breve tempus, vel ad longum tempus, vel omnino vsque ad mortem, vocatúrque perseverantia finalis, sive deinde tempus sit breve sive longum. Si de primo sermo est, contra est, quia nullum exstat præceptum statim sumendi Eucharistiam post baptismum aut Sacramentum Pœnitentiæ. & potest quis perseverare virtute Gratiæ acceptæ per baptismum aut Pœnitentiam : ergo ne quidem votum Eucharistiæ est necessarium necessitate medij ad perseverandum per breve tempus in gratia.

Si verò sermo sit de secundo ; Contra est. Perseverantia diuturna non est effectus necessarius ad salutem, potest enim quis post acceptam justificationem brevi mori, vel incidere in perpetuam amentiam, & salvari : posset item brevi iterum peccare, & resurgere per pœnitentiam, & sic sine diuturna perseverantia in gratia salvari. Debet ergo tandem esse sermo de Peseverantia finali.

Sed Contra est. Omnis effectus Sacramentalis debet aliquo modo esse infallabilis, si Sacramentum sit dignè susceptum : sed illa perseverantia finalis non est effectus infallibilis in illis semel dignè communicârunt, vt patet. ergo perseverantia finalis non est effectus Sacramenti Eucharistiæ, in ordine ad quem Eucharistia possit necessaria necessitate medij : talis enim effectus debet omnino esse infallibilis Sacramento dignè susceptо : ergo à primo ad vltimum, Eucharistia non est necessaria necessitate medij ad salutem.

785. Dices. Saltèm auxilia vberiora quæ conferuntur intuitu Eucharistiæ sunt infallibiliter ergo respectu horum poterit Eucharistia dici necessaria necessitate medij. R. Concesso antecedente nego consequentiam. Antecedens concedunt communiter Theologi, non quidem in sensu, quòd simpliciter & absolutè infallibiliter conferantur illa vberiora auxilia, sicut infallibiliter confertur Gratia sanctificans : quia enim quis statim sumpto Sacramento moritur ? Sensus ergo antecedentis debet esse, quòd concurrentibus occasionibus, & quando homo non ponit obstaculum, sed proximè causa est, ea accipiet. Cæterùm hinc non infertur, quòd Eucharistia sit necessaria necessitate medij ad salutem, quia illa auxilia non sunt simpliciter necessaria ad salutem, quandoquidem cum his ordinarijs, & quæ virtute baptismi aut pœnitentiæ dabuntur, salvari quis posset. Præterea illa auxilia abundantiora, quæ virtute Eucharistiæ danter ad præservandum à mortalibus, de quibus loquitur Tridentinum *sess. 13. c. 2.* tantùm indirectè concurrunt ad salutem, scilicet ad observationem mandatorum, adeóque removendo peccatum : hîc autem sermo est de effectu directè conducente ad salutem, qualem debent conferre illa media, quæ dicuntur esse necessaria necessitate medij, vt præcedente §. dictum est.

786. Objicitur 1. S. Thomas hîc art. 1. ubi nostræ Conclusioni contradicere videtur. R. Mentem S. Thomæ expressam haberi *q. 65. a. 4.* vbi ex instituto disputans de necessitate medij Sacramentorum, docet, respectu hominum singulariter & in individuo spectatorum, duo tantùm esse necessaria simpliciter, Baptismum & Pœnitentiam : respectu totius Ecclesiæ verò etiam Sacramentum Ordinis : cætera verò Sacramenta tantùm ad melius esse, seu ad faciliùs consequendum finem. In præsenti ergo articulo tertio intelligendus est imprimis non de ipso Sacramento formaliter, sed de Re Sacramenti, quæ est Vnitas Corporis Mystici, sine qua salus haberi non potest. hæc autem vnitas acquiritur per Gratiam collatam in baptismo, & per se loquendo præcedere debet ipsum realem sumptionem Eucharistiæ, ac proinde per Eucharistiam quidem significatur, sed non realis effectus illius. Quia verò Baptismi susceptionem votum implicitum seu desiderium Eucharistiæ, tantum quam finis omnium Sacramentorum, & consummationis vitæ spiritualis, ideo verissimum est, votum Eucharistiæ prout inclusum in Baptismo, esse necessarium necessitate medij ad salutem. Et hoc

hoc autem non sequitur, quòd Eucharistia sit necessaria in re vel in voto, prout agnoscit ipse S. Thomas, dum in fine Corporis sic concludit. [Et ideo hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis sicut baptismus.] Plura de mente S. Thomæ videri possunt apud Vasquez.

Simili ferè modo explicandæ sunt quædam locutiones SS. Patrum, præsertim S. Augustini dicentis, illa verba Christi Jo. 6. Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: hæc inquam verba dicit S. P. non tantùm de adultis, sed etiam de parvulis esse intelligenda. Respondetur enim, SS. Patres ea intellexisse de manducatione spirituali & mystica, hoc est, de participatione Corporis & Sanguinis Christi, quæ fit in susceptione baptismi per fidem inclusam in baptismo, quo fructus Corporis & Sanguinis Christi percipitur, & sic Christus mysticè etiam à parvulis manducatur. Hunc autem fuisse sensum illorum Patrum, colligitur ex toto contextu, loquebantur enim de participatione Corporis & Sanguinis Christi prout necessaria ad tollendum peccatum originale, quod tollitur per baptismum.

Alij Patres, vt Cyrillus & Cyprianus, locuti sunt de necessitate morali, respectu illorum, qui habent commoditatem sumendi Eucharistiam, & ex tædio negligunt.

787. Objicies 2. Eucharistia est cibus spiritualis animæ: sed cibus spiritualis non est minùs necessarius animæ, quàm cibus corporalis corpori: & hic est necessarius necessitate medij: ergo Eucharistia est necessaria necessitate medij. R. 1. Hoc argumento nimiùm probari: probaretur enim quòd Eucharistia esset necessaria necessitate medij in re, & non vel in re, vel in voto. quod manifestè falsum est. R. 2. directè negando paritatem: quia vita spiritualis, vtpote consistens in Gratia sanctificante, potest aliis medijs conservari, neque in allegorijs & symbolis debet omnimoda paritas quoad omnia prædicata requiri, alioquin sicut cibus corporalis debet converti in substantiam Corporis aliti, ità cibus iste spiritualis deberet converti in substantiam animæ alitæ.

Objicitur 3. Effectus Eucharistiæ specialis est Resurrectio gloriosa corporum, dicente Christo: *& ego resuscitabo eum in novissimo die.* R. Cùm parvuli sint resurrecturi, qui nunquam sumpserunt Eucharistiam, intelligendum est, quòd sit maxima congruentia resurrectionis, quæ desumitur ex reali conjunctione corporis nostri cum Corpore Christi in Eucharistia; hinc enim congruenter infertur, quòd etiam gloriam corporis simus cum Christo habituri.

CAPVT III.

DE MATERIA REMOTA EVCHARISTIÆ PANE ET VINO.

CONTROVERSIA I.

Qualis Panis, & quale Vinum requiratur.

788. PAnem & Vinum esse materiam hujus Sacramenti, constat ex sex Concilijs apud Suarez, maximè autem ex Florentino, vbi hoc clarè definitur: & quidem in specie, quòd sit panis triticeus, quæ non tantùm est necessaria necessitate præcepti, sed quæ est necessaria necessitate Sacramenti. Vnde sententia Cajetani (prout ei tribuitur à Dominico Soto, fortassis enim vocabulum *Frumentum* strictiùs vsurpavit) volentis sufficere panem ex quocunque frumento, graviter notatur à Theologis, & est suppressa & expuncta in editione Romana, aliisque posterioribus.

Quia verò Triticum paulò latiùs patet, quàm illa nobilissima species ex qua fiunt Semellæ, & à Germanis *VVaitzen* vocatur, ideo videndum est, quænam aliæ species vel quasi species frumenti sufficiant.

Dicendum 1. Non solùm Triticum pressè sumptum, sed etiam aliæ species vel quasi species, quæ cum illo maximam similitudinem & cognationem habent, tam similitudine naturæ, quàm communi hominum vsu, esse materiam idoneam ad validam consecrationem. Dico *ad validam.* Nam communiter monent DD. quòd quando possunt haberi hostiæ ex tritico pressè sumpto, non debeant adhiberi ex farina inferioris notæ, propter majorem certitudinem. Ità docet S. Thomas *q. 74. a. 3. ad. 2.* Quibus autem vocabulis latinis illæ species exprimantur, non conveniunt Auctores, imò nec ipsa Lexica. *Siligo* olim significabat triticum pressè sumptum, hoc est speciem nobilissimam; jam verò ab aliquot centenis annis communi vsu significat idem quod Germani vocant *Rocken*, & inde conficitur panis nigrior, sed tamen etiam in mensis dominorum

& nobilium vsitatus & quotidianus. ac præterea etiam quoad ipsam naturam non videtur differre specie physicâ à Tritico presse sumpto, quia vt S. Thomas testatur, in terris debilioribus ex semine boni tritici nascitur siligo, & econtra testatur Arriaga, quòd eadem siligo in terra fertiliore reddat triticum, vt in Hungaria passim, & in quibusdam Hispaniæ terris. De Siligine ergo non potest prudenter dubitari, esse materiam sufficientem.

Quod de Siligine dictum est, idem & à fortiori dicendum videtur de Spelta, Germanicè *Fesen* seu *Kern*, quod quidem negavit S. Thomas, sed fortè in alia significatione accepit. Nam ex Spelta fit panis simillimus pani triticeo, & licet dum granum est inclusum paleæ, sit similius hordeo, paleam tamen facillimè dimittit, & granum semper est duplex, & gerit formam tritici, éstque panis melior siligineo.

Denique quod de Siligine dictum est, extendunt etiam DD. ad illam speciem quam Germani *Dünkelkorn* vocant, aliqui volunt latinè dici *Far*, quod tamen vocabulum apud Calepinum est genericum, sed non est novum, nomen generi-cum speciei applicari.

Econtra certum est, Hordeum, Avenam, Orizam, Milium, Fabas, Cicera, Pisa, & similia legumina, etiamsi soleat quandoque inde panis fieri, non esse tamen hujusmodi panem consecrabilem, quia non est panis triticeus, in quo tanquam vsitato tunc temporis & loci Christus instituit Eucharistiam.

789. Objicies. Sacramentum Eucharistiæ institutum est pro toto genere humano, & vt vbique gentium celebraretur: ergo materia illius talis esse censenda est, quæ vbique gentium reperiatur: atqui non vbique reperitur panis triticeus, quamvis vbique reperiatur aliquis panis: ergo videtur in illis locis sufficere illa materia, ex qua ibi panis conficitur. R. Negando consequentiam, alioquin etiam inferendum esset, posse consecrari calicem non in solo vino de vite, sed etiam in quibusdam liquoribus, qui alicubi locorum sunt loco vini, quod nemo præter quosdam hæreticos dicere vnquam ausus est. Cæterùm, in hoc puncto potiùs admiranda est divina Providentia, quæ Vniversum ità disposuit, vt vbique Terrarum, etiam vbi Triticum & Vinum in proprio solo non crescit, aliunde tamen in ea copia afferatur, quæ ad celebrandum hoc mysterium sufficiat.

Panis debet esse coctus ex aqua naturali, non ex alio liquore, v. g. butyro, oleo, lacte. Ita S. Thomas & omnes PP. apud Sylvestrum in Summa. v. *Eucharistia*, ac cæteri omnes DD. nisi quòd Cajetanus, si iterum Soto credimus, hoc in dubium revocet, imò in contrariam partem flectatur, vt loquitur Sotus. Ratio Conclusionis est, quia de constitutivo panis vsualis est aqua naturalis, & in hoc puncto pluris facienda est constans observatio & auctoritas, quàm rationis paritas, alioquin via aperiretur multis temerarijs assertionibus circa hoc & alia Sacramenta. Vnde nec Arriagam laudo, quòd Cajetanum secutus censeat esse probabile, quòd panis lacte & non aquâ factus, sit materia idonea consecrationis.

790. Dicendum 3. Non solùm panis azymus, sed etiam fermentatus est materia idonea quoad valorem consecrationis. Conclusionem probat praxis Ecclesiæ Græcæ & Latinæ. In Ecclesia latina ex præcepto Ecclesiastico debet adhiberi panis azymus. Estque hoc fundatum in veriore sententia, Christum 14. Mensis Lunaris instituisse hoc sacramentum, quæ est quæstio ad historiam pertinens. Fuit autem decima quarta prima dierum azymorum Ecclesiastica, hoc est, post solis occasum panis azymus erat in antiquo Testamento sub præcepto: ergo Christus in azymo hoc sacramentum instituit. Neque probabilitatem habet, quòd Christus (opinione Græcorum) vno die prævenerit solennitatem Paschalem, eò quòd illi Judæi celebraverint die Veneris, Christus autem die Jovis.

Nihilominus Græcis ob suam opinionem historicam permittitur ab Ecclesia Romana consecratio in fermentato. Et quidem Græci non minùs obligantur ad consecrandum in fermentato, quàm Latini in azymo, quamdiu vnusquisque in sua Ecclesia domicilium retinet. Itaque Christus neutrum determinatè instituit cum alterius exclusione, sicut nec exclusit vinum rubrum, etiamsi fortè consecraverit in albo, vel econtra.

791. Dicendum 4. Materia consecrationis Calicis est vinum de vite. Ità definitum est in Florentino, quod tamen non est secundùm litteram accipiendum, quasi de essentia sit, quòd vinum verè in vite creverit: nam vinum in Cana Galilææ productum ex aqua, vtique fuisset consecrabile: sufficit ergo, & requiritur, vt ex vua naturæ & speciei, vt naturaliter non nisi ex vite haberi possit. Pontifex enim per illa verba: *ex vite*, solùm excludere intendebat vina quædam impropriè dicta, vt ex pyris, pomis, granatis, radicibus; imò & loram, hoc est, aquam racemis jam in torculari expressis affusam, quam pauperes & mercenarij loco vini bibunt.

792. Dubitatur 1. de Musto. R. Ex doctrina communi esse materiam validam, imò & in casu necessitatis permissam. *c. cum omne de Consecr. dist. 2.* Reverà enim est & vocatur Vinum Lucæ 5. *Nemo mittit vinum novum in vetres veteres.* Jerem. 48. *Vinum de torcularibus sustuli.* Ex paritate cum Musto deducunt recentiores Theologi, etiam succum ex vvis passis expressum esse consecrabilem, quia talis succus à musto non differt, nisi quòd hujus grana sint recentia, illius verò arida. Hujusmodi autem succum habere veram rationem vini (contradicente licèt P. Andreâ Mendo) affirmant viri peritissimi apud Dianam *p. 7. tr. 1. Miscell. resol.* & confirmatur: quia ægyptij vinum succo ab vvis expresso, & in eo consecrant, vt affirmant Genebrardus, Fagundez, Franc. Alvarez, qui

qui dicit se fuisse testem oculatum, vt refert Gabr. Henao. 1. p. de sacrif. Missæ. d. 4. s. 4. n. 12. Hinc defendi potest praxis cujusdam Ecclesiæ celebris in Germania (vt mihi quidem relatum est, nescio an ex vero) in qua solent Sacerdotes nocte Nativitatis, in reverentiam festi, consecrare in vino Hispanico, prout Augustæ Vindelic: venditur, de quo asserunt viri fide dignissimi, illud non esse vinum ex Hispania allatum, sed ex uvis Hispanis expressum succum, vtique cum affusione alicujus vini Germanici. Ego tamen talem consuetudinem nunquam probarem, quia constat, vina hujusmodi corrumpi per ad mixtionem mellis vel mulsi. Sed de hoc viderint illi, qui illi Ecclesiæ præsunt, si vera est relatio, & adhuc viget illa consuetudo, de qua mihi non constat.

793. Dubitatur 2. De Aceto. R. Si sit verum acetum, & non vinum fugiens seu acescens (de quo videtur esse locutus Alexander Pontifex & glossa *in can. 2. de Consecr: dist. 2.*) non esse materiam validam, quia non est vinum vsuale, quidquid sit an physicè differat vel non differat specie à vino.

Dubitatur 3 De vino congelato. R. cum communi contra Armillam, Ledesmam, & Vasquez, esse materiam validè consecrabilem. Non enim obstat, non esse proximè potabile; nam etiam panis durissimus non est proximè manducabilis, & tamen consecrabilis. Imò Lugo observat, quòd quis ejusmodi glaciem per bolos sumendo, non frangeret jejunium, & ideo potum potiùs quàm cibum sumpsisse dicendus esset.

794. Dubitatur 4. De succo adhuc exstante intra folliculum clausum, an sit consecrabilis. Richardus apud Vasquez judicat probabilem quorundam opinionem affirmativam. Communis tamen & vera sententia est negativa, quæ proinde ob auctoritatem certior est, quàm sit ejus probatio. Omissis varijs rationibus minùs efficacibus, illa mihi semper optima visa est, quòd uva, dum est munita clausurâ naturali, vi cujus est retentiva ipsius succi, tanquam instrumenti domestici, servientis ad fovendum semen, quòd inquam in hoc statu non veniat nomine *Vini* aut *Potûs*, sed potiùs nomine *Cibi*: Vnde ex communi sententia frangeret jejunium, qui comederet uvas in majori quantitate, quàm quæ est licita die jejunij, quod tamen non frangeret, si tantundem musti biberet. Neque dicas, ideo frangi jejunium, quia pelliculæ sumuntur, nam etiam absque his assumptis frangeretur jejunium, si intra os expressæ abjicerentur, vt observat Arriaga.

Neque refert, quòd physicè loquendo idem sumeretur in vno atque in altero casu in quo mustum biberetur. Nam in istis materijs non attenditur ratio purè physica, sed simul etiam moralis, nimirum modus sumendi, fundatus in ipsa natura Uvæ integræ, quæ à natura talis est, vt non ad modum potûs, sed ad modum cibi sumi soleat & possit.

Ratio vlterior est, quia nomen *Vinum* significat liquorem in ratione vnius totius, seu vt aliquod totum per se, & non vt partem alicujus totius: dùm autem uva est integra, succus seorsim consideratus nondum est vnum totum, sicut est vinum in dolio, sed est adhuc pars physica, & physicè vnita cæteris partibus cum quibus facit vnum totum per se, nempe cum pellicula & pedunculo: vnde sicut non potest dici: *hoc est sanguis*; designando hominem, ita non potest dici: *hoc est vinum*, designando uvam, cùm tamen rectè dicamus, *hoc est vinum*; designando dolium, vt observavit Coninck.

In hoc ipso sensu videtur S. Thomas dixisse, uvas integras non posse consecrari. ergo tacitè supponit, quòd si non essent ampliùs integræ, possent consecrari: ergo integritas facit, vt ille succus non habeat rationem potûs, & vini. Item Suarez dicit, quòd si uva acu pungeretur, & exiret succus, licet adhuc continuus cum reliquo succo, & mediatè cum pellicula, quòd inquam posset consecrari, vtique non ob aliam causam, quàm quia integritas est sublata, vi cujus natura uvæ adhuc continebat succum: ergo *Vinum* significat succum in eo statu positum, quo natura non ampliùs amat illius continentiam intra pelliculam.

CONTROVERSIA II.

Ex quo præcepto aqua sit vino admiscenda.

785. CONveniunt Catholici 1. Vino ante consecrationem rectè misceri aquam, quod negârunt Armeni, reprehensi in Concilio Florentino, idémque tenent hæretici nostri temporis. Ratio sententiæ Catholicæ est exemplum Christi, quidquid dixerit VValdensis. Nam S. Jacobus in sua Liturgia sic habet. [Similiter postquam cænavit, accipiens calicem, & permiscens ex aqua & vino, & aspiciens in cælum, ac ostendens tibi Deo & Patri, gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu Sancto, dedit nobis discipulis suis dicens. &c.] S. Marcus sic: [Factáque vini & aquæ commixtione] S. Jerenæus statim post tempora Apostolorũ scribens, sic habet: [Dominus temperamentum Calicis suum sanguinem confirmavit] Concilium Carthaginense tertium, cui S. Augustinus interfuit, præcipit can. 24. vt in Sacramento Corporis & Sanguinis Domini, nihil ampliùs offeratur, quàm ipse Dominus tradidit, hoc est, panis & vinum aquâ mixtum.

Duæ sunt præterea significationes hujus mixtionis. Prima est, ad significandum, quòd de latere Christi fluxerit sanguis & aqua. Secunda, ad significandam vnionem Ecclesiæ seu populi cum Christo, & Humanitatis cum Deitate.

Conveniunt DD. secundò, hanc mixtionem non esse de Necessitate Sacramenti, quasi absque ea purum vinum consecrari non posset. Op-

positum tamen sentit Armacanus, persuasus difficilibus verbis S. Cypriani. Sed cæteri omnes consenti unt S. Thomæ, idque colligunt ex Florentino dicente, Materiam Calicis esse vinum de vite, cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet: quibus verbis indicat, mixtionem hanc esse solùm de præcepto, alioquin debuisset Armenos monere de invaliditate consecrationis eorum, quod tamen non fecit, sed tantùm reprehendit, quòd ab vniversali Ecclesiæ observantia discrepent. Tridentinum verò clariùs adhuc dicit sess. 22. c. 7. præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino misceant.

Cyprianum verò explicat S. Thomas, quòd solùm locutus sit de necessitate præcepti, neque comparationem, quam inter vinum & aquam instituit, procedere quoad gradum necessitatis. Alij addunt, eum disputâsse contra Aquarios solam aquam adhibentes, quibus quasi permittendo, aquam esse de necessitate Sacramenti, voluit insuper persuadere, non minùs necessarium esse vinum.

796. Ego, salvo aliorum judicio, paulò aliter interpretarer S. Cyprianum. Verba illius hæc sunt. [Calix Domini non est aqua sola, & vinum solum, nisi vtrumque misceatur: quomodo nec corpus Domini potest esse farina sola & aqua, nisi vtrumque scilicet farina & aqua fuerit adunatum.] Horum verborum sensus legitimus contra Aquarios, volentes aquam solam seorsim consecrari posse, hic mihi esse videtur. Sicut farina, nisi per aquam adunetur, non est consecrabilis, quia non est panis, ita aqua, nisi vino misceatur, non est consecrabilis, quia sine hac mixtione non accipit denominationem vini. Solùm ergo voluit dicere S. Cyprianus, non valere consecrationem quoad vtrumque liquorem, si quis aquam & vinum seorsim consecrare vellet. Quòd enim secundùm S. Cyprianum consecratio vini puri valeret, colligitur ex alijs ejusdem verbis, quæ habet lib. 2. ep. 3. [Si aliquis, inquit, de antecessoribus nostris, vel ignoranter vel simpliciter non observavit, vt aquam vino misceret in Sacramento, potest simplicitati ejus venia concedi.] Quibus verbis admittit, posse aliquem præsumi, præceptum mixtionis ex simplicitate non observâsse, præsertim si præceptum non est divinum, sed humanum: nemo verò præsumeretur ignorâsse essentialia.

Exemplum Christi non probat, hanc mixtionem esse de necessitate Sacramenti. Non enim præcepit Christus omnia quoad omnes circumstantias fieri sicut ipse fecit, ità vt vnâ non observatâ non fieret Sacramentum, alioquin vel Græci vel Latini non consecrarent Corpus Christi.

797. Quæritur, an hæc mixtio sit præcepti divini an humani. R. Mixtionem aquæ non esse necessariam nisi ex præcepto humano. Ità communiter tenent Theologi contra Alexandrum Hosium, Henriquez, Valentiam, Aresium. Probatur 1. Quia hoc videtur supposuisse Eugenius, quando Armenos reprehendit, quòd ab vniversali consuetudine recederent. atqui non dicuntur hæc ex vniversali consuetudine Ecclesiæ, quæ fuerit ex præcepto divino. Probatur 2. Authoritate Concilij Tridentini, quod dicit, hanc mixtionem ab Ecclesia præceptam esse. Quodsi PP. Concilij agnovissent præceptum divinum, non debuissent illud dissimulare, & solius præcepti humani facta mentione, ansam præbere Doctoribus Ecclesiæ agnoscendi solum præceptum Ecclesiasticum, adeóque in Ecclesia esse potestatem, abrogandi hanc mixtionem.

CONTROVERSIA III.

Vtrum ad hoc, vt aqua convertatur in sanguinem, priùs convertatur conversione physicâ in vinum, an potius immediatè, sicut vinum, convertatur in sanguinem.

798. Quandoquidem aqua est admiscenda vino, & certum est vinum per consecrationem converti in sanguinem, quæritur, an non etiam post consecrationem maneat quoad substantiam aquæ sine sui conversione, vel an priùs virtute vini cui admiscetur, convertatur physicè in vinum, & sic evadat materia consecrationis, vel denique an ipsa aqua etiam non conversa in vinum, immediatè vi verborum consecrationis convertatur in sanguinem.

Prima sententia docet, aquam nunquam immediatè converti in sanguinem, sed vel remanere aquam, etiam post consecrationem, vel priùs converti physicè in vinum, & deinde per consecrationem in sanguinem. Ita Thomistæ communiter, quos sequuntur ex nostris Suarez, Vasquez, Tannerus, Gaspar Hurtadus, Amicus, Arriaga. & fuit hæc opinio communis apud antiquos, quam etiam tenuit Scotus, Bonaventura, alij cum S. Thoma videbimus.

799. DICO, probabilius esse, etiam non conversam in vinum, vi consecrationis immediatè converti in sanguinem. Hanc sententiam tenent quatuor Cardinales, Alanus, Toletus, Baronius, Lugo. præterea Jansenius Episcopus Gandavensis, Paulus Aresius, Pesantius, Petrus Sotus, Canus, Diana, Salmeron, Henriq: Conimbr: Scotus, Præpositus, Layman, Conink, Dicastillo. Remotissimè P. Martinus Esparza, quamvis vtramque sententiam problematicè defendi posse putet, attamen, se plusculum inclinare ad majorem probabilitatem hujus nostræ sententiæ, fatetur. quam probabilitatem hujus nostræ sententiæ, fatetur. dat autem hanc majorem probabilitatem vnicè principio philosophico, relictis argumentis Theologicis, existimans, auctoritates Patrum subtiliter potiùs & contentiosè quàm nervosè expendi, in quo ego huic auctori neutiquam assentior.

Itaque Probatur

Probatur Conclusio 1. Authoritate Patrum hoc modo. Si non solùm substantia vini, sed etiam aquæ vino admixtæ asseritur à Patribus esse Materia Calicis & consecrationis, tunc secundùm eosdem aqua existens in calice tempore consecrationis transit immediatè in sanguinem: sed verum est antecedens: ergo & consequens. Sequelam admittunt adversarij, & ratio est, quia illud solum dicitur materia consecrationis, quod per consecrationem convertitur, adeóque immediatè. Minor verò probatur. Illud omne secundùm SS. Patres est Materia Calicis, quod dicitur offerri, benedici, consecrari &c. sed aqua dicitur à SS. PP. offerri, benedici, consecrari &c. ergo aqua est Materia consecrationis secundùm SS. PP. Major est certa, nam vt advertunt DD. illa omnia apud SS. PP. pro synonimis habentur. Minor probatur. S. Justinus circa annum post Christum natum 150. Apologiâ 2. ad Antoninum Pium prope finem sic scribit. [Ii qui apud nos Diaconi dicuntur, dant vnicuique eorum qui adsunt, percipiendum panem, vinum & aquam, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, atque cibus hic apud nos Eucharistia vocatur.] Ecce! non minùs aqua quàm vinum & panis dicitur distribui & consecrari, quod falsum esset, si priùs deberet in vinum converti. S. Irenæus eodem ferè tempore lib. 4. c. 57. [Temperamentum, inquit de Christo, calicis suum sanguinem confirmavit, & lib. 5. c. 2. Quando mixtus calix & fractus panis percipit Verbum Dei, fit Eucharistia sanguinis & Corporis Christi.] S. Hieronymus in c. 14. Marci: [Formavit, inquit, sanguinem suum in calice, vino & aqua mixtis, vt alio purgemur à culpis, alio redimamur a pœnis: sanguine namque Agni servatur domus à percussione Angeli, & aquâ maris rubri extinguuntur inimici.] S. Ambrosius lib. 4. de Sacrament. c. 4. & refertur Can. 55. de Consecr. dist. 2. [Ante verba Christi calix est vini & aquæ plenus, vbi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur.] S. Augustinus lib. de bapt. vt refert fide dignissimus Gaufredus Monachus Clarevallensis doctissimus, in Epist. ad Card. Albanensem, sic habet. [Vnde & aqua mittitur in calicem, & fit sanguis consecratione Verbi Cælestis.] quæ verba vel temporum injuriâ vel alicujus fraude perierunt, sed aliquando exstitisse suadet auctoritas Gaufredi, & sunt sanè clarissima. S. Joannes Damascenus lib. 4. Orthodoxæ fidei c. 14. [Quid tandem afferri potest, quin ex pane Corpus, ex vino & aqua sanguinem suum efficere queat? & infrà. Panis autem vinum & aqua per S. Spiritûs invocationem & adventum, mirabili modo in Christi corpus & sanguinem vertuntur.] Theodoretus Dial. 1. in Mysteriorum traditione Deus corpus appellavit & sanguinem id quod in calice infusum & commixtum est. Paschasius Abbas ante 800. annos de Corpore & Sanguine Domini sic habet. [Vnde licèt priùs mysticè vinum & aqua commisceantur, post consecrationem tamen non nisi sanguis bibitur. & paulò pòst. aqua consecratur, non quòd aqua permaneat, sed vertatur in sanguinem.] Plura videri possunt apud Aresium & Dicastillo, quæ mihi certò persuadent, illorum Patrum tempore sensum communem in Ecclesia fuisse, nunquam aquam remanere in Calice consecrato, etiam quando immediatè priùs est infusa, aut ob vini debilitatem non potuit converti in vinum, sed vi consecrationis immediatè converti in sanguinem: alioquin qui fieri potuisset, vt nullus eorum monuisset, aquam priùs esse convertendam in vinum? cur ita rotundè pronuntiâssent, nihil bibi nisi sanguinem, aquam non minùs quàm vinum converti in sanguinem?

800. Ad hæc testimonia respondent adversarij, illos PP. dicere quidem, aquam converti in sanguinem, sed intelligendos esse, quòd mediatè, & per se loquendo ac regulariter ità contingat. Verùm quàm violenta sit hæc interpretatio, deprehendet, qui verba syncerè ponderaverit. & quidem hanc responsionem non posse aptari verbis S. Ambrosij & Damasceni (æquè parùm verbis S. Augustini) fatetur ex Adversarijs Suarez, cùm dicant, aquam manentem vsque ad consecrationem converti. atqui cæteri PP. in eodem sensu locuti esse censendi sunt, etiamsi non ità disertè & reflexè id dixerint, juxta regulam quâ vsus est Bessarion Theologus in Concilio Florentino, probans Processionem Spiritûs Sancti à Verbo, quia scilicet Patres aliqui id clarè docent, quare cæteri obscuriùs loquentes sunt secundùm illos intelligendi. Deinde, quis sanæ mentis sibi persuadeat, illos omnes Patres tanquam indubitatum supposuisse, vino competere vim physicam convertendi in se aquam: cùm hoc celebriores Philosophi & Physici semper negaverint, vt tradit Innocentius III. in cap. cum Marthæ mox referendo?

Confirmatur. Patres indubitatè tradiderunt, aquam aliquando converti in sanguinem, prout fatentur adversarij: atqui si vino non competit virtus convertendi in se aquam, nunquam aqua converteretur in sanguinem: ergo si Patres non supposuerunt hanc vim inesse vino (sicut non potuerunt prudenter supponere quod semper dubium fuit) illorum intentio fuit asserere, aquam converti in sanguinem, quidquid esset de illa virtute vini, daretúrne an non. ergo suam doctrinam non fundârunt in principio philosophico adeo dubio, & probabiliùs falso, sed in virtute verborum Christi, illiúsque institutione, adeóque vi consecrationis converti in sanguinem. Quapropter dum adversarij respondent, Patres abstraxisse an aqua convertatur mediatè vel immediatè, non subterfugiunt eorum auctoritatem vllo modo, quia jam fatendum est adversarijs, quòd Patres agnoverint vim convertendi aquam in sanguinem immediatè, saltèm conditionatè, si non possit priùs converti in vinum: atqui sive hoc possit sive non possit fieri, non minuitur nec augetur virtus consecrationis: ergo si vi consecra-

tionis

tionis potest converti immediatè, casu quo vino non insit talis virtus, etiam poterit converti, casu quo quidem inest, sed ob temporis brevitatem nondum actu convertit. Et quia hic casus admodum frequens est, non debuissent Patres ità vniversaliter loqui, si tantùm mediatam conversionem agnovissent. Et hæc circa auctoritatem Patrum, quæ vtrum nervum habeant, viderint alij, mihi tam nervosa videntur, vt plus non desiderem.

801. Probatur Conclusio 2. Auctoritate Concilij Florentini, hoc modo. Si Christus Dominus instituit Eucharistiam in vino & aqua, tunc non solùm vinum, sed etiam aqua est materia consecrabilis in sanguinem: sed verum est antecedens: ergo & consequens. Major est clara: nam ideo dicitur Panis esse materia Eucharistiæ & vinum similiter, quia Christus in illis instituit: ergo idem de aqua inferre licebit. Minor habetur in Florentino, vbi Pontifex dicit: [aqua autem ideo admiscetur, quoniam juxta testimonia Patrum & Doctorum Ecclesiæ creditur ipsum Dominum in vino aquâ permixto hoc instituisse Sacramentum.]

Probatur 3. Exemplo Christi. Si Christus (cui æquè facile fuit aquam ac vinum convertere in sanguinem) voluisset solum vinum convertere, aquam verò non nisi priùs conversam in vinum, debuisset tanto temporis intervallo aquam priùs miscere vino ad Apostolorum instructionem, vt aqua posset à vino in vinum converti: sed hoc Christus non fecit: ergo voluit aquam non minùs quàm vinum immediatè convertere. Major est mihi certissima, & vana prorsus est suspicio Arriagæ, quòd fortè Christus miraculosè priùs aquam in vinum converterit: quidni enim pari divinandi licentiâ diceret alius, defacto semper id miraculosè fieri, quando tempus convertendi nimis breve est? Æquè parùm credibile est, Christum, quando dixit Apostolis: *Bibite ex eo omnes. hic est enim &c.* porrexisse Apostolis vnà cum suo sanguine aquam; habuerunt enim Apostoli ex verbis Christi causam cogitandi, quidquid liquoris in calice esset, esse sanguinem Christi. Minor ergo argumenti probatur. Nam Christus brevissimâ morulâ ante consecrationem calicem miscuit: primò enim S. Jacobus verbis suprà relatis, totam seriem actionum Christi per participia referens, significat, vno tractu illas actiones fuisse peractas, videlicet mixtionem, oculorum elevationem, ostensionem Patri Cœlesti, gratiarum actionem, benedictionem, consecrationem, & traditionem. 2. S. Marcus in sua liturgia sic loquitur. [Similiter & calicem postquam cœnavit accipiens, factâque vini & aquæ commixtione, suspiciens in Cœlum ad te Patrem suum, Deúmque nostrum & Deum vniversorum, gratias egit, benedixit, Sanctificavit, implevit Spiritu Sancto, & tradidit.] quis hîc sibi persuadeat, Christum his actionibus mediam horam impendisse? quæ tamen vix sufficeret ad physicam conversionem, præsertim cùm Christus non exiguam guttulam infuderit, vt indicat S. Basilius in sua liturgia dicens: *Misce aquis.*

802. Probatur 4. Ex praxi quam præscribit Ecclesia in Rubricis Missalis Romani, vbi agens de defectibus occurrentibus, statuit, vt celebrans ante consecrationem advertat, aquam non esse appositam, statim apponat & consecret: item si deprehendat etiam post hostiam sumptam in calice non vinum, sed aquam fuisse, affundat vinum cum aqua, & statim consecret. In his ergo eventibus aqua non convertitur physicè in vinum ante consecrationem, vt fatentur adversarij: ergo vel manet mixta sanguini, vel convertitur immediatè in sanguinem. Non primum: ergo non præciperet Ecclesia affundi aquam, si putaret non esse in sanguinem convertendam, quia ea non apponitur cæremoniæ solùs causâ, sed vt materia calicis.

Confirmatur. Ponamus in die Natalis Domini in prima Missa ante consecrationem advertere Sacerdotem, se non affudisse aquam, & deinde juxta rubricam eâ affusâ statim consecrare, quo casu aqua non convertitur in vinum: ergo si non convertitur immediatè in sanguinem, Sacerdos non erit ampliùs jejunus: ergo non poterit secundam Missam facere: quod tamen nec adversarij audent asserere. Respondent Arriaga, in tali casu censeri Ecclesiam dispensare. Sed contra est, quia cùm hæc dispensatio omnibus lecta legatur, & ex mera præsumptione asserat, poterit alius Sacerdos, qui deprehendit post inceptam hostiam se loco vini aquam infudisse, de præcepto Ecclesiæ iterum calicem consecrat, poterit, inquam, etiam præsumere dispensationem, & secundam Missam celebrare, quod nemo concedit. ergo nec in priore casu concedendum est.

803. Probatur Conclusio 5. ex significatione, quam in hoc Sacramento semper agnovit Ecclesia, & ipsi adversarij fatentur. In hoc, inquam, Sacramento præter significationem primariam, adsunt aliæ, quæ quidem non sunt de necessitate Sacramenti, sed tamen sunt intentæ, nempe illæ quæ fiunt per admixtionem aquæ: significatur enim conjunctio populi cum Christo, aqua enim populum significat, Apoc. 17. Porrò hæc significatio non adest antequam consecretur Sacramentum, est enim significatio ipsius Sacramenti, vt advertit Alexander Alensis *p. 4. q. 10. membro 4. a. 1. dub. 5.* [Quantùm, inquit, ad plenitudinem sive perfectionem esse Sacramentalis requiritur aqua, & est de substantia Sacramenti, quia ista aqua admixta etiamsi habeat Sacramentum effectus suos quantùm ad esse spirituale, non tamen quantùm ad esse Sacramentale sive significativum.] Idem S. Thomas *3. p. q. 74. a. 7.* [Appositio, inquit, aquæ ad vinum, refertur ad significandam participationem hujus Sacramenti à fidelibus, vnde plenitudo fidelium non est de necessitate Sacramenti, sed est aliquid consequens ad Sacramentum.] His positis sic argumentor. Si aqua debet admisceri, vt signi-

vt ejus species sit pars Sacramenti, tunc aqua non debet priùs converti in vinum: ergo debet immediatè converti in sanguinem. consequentia patet. antecedens probatur. Si enim aqua convertitur in vinum, hoc ipso species indicativæ aquæ non ampliùs adsunt, sed solummodo adsunt species vini, certè non adsunt species aptæ ad indicandam naturam aqueam, esto paucula quædam accidentia maneant, quæ possint æquè cum forma vini ac cum forma aquæ consistere.

Confirmatur à paritate cum materia *Confirmationis*, quæ est balsamum oleo mixtum, de qua docet Suarez, quòd si adeo vetus sit, vt odorem balsami amiserit, non foret apta Materia Confirmationis. Subsumo. atqui si aqua convertitur in vinum, perierunt etiam accidentia indicativa aquæ, sicut in casu posito perierunt accidentia indicativa balsami, quod miscetur oleo, sicut aqua vino: ergo quatenus aqua requiritur vt Materia Sacramenti, jam non adesset ampliùs materia perfecta tota. Paritas eò tendit, quòd aqua manens aqua sit pars materiæ idoneæ Eucharistiæ, sicut balsamum est pars Materiæ Confirmationis.

804. Probari solet nostra Conclusio 6. ex principio philosophico, quòd non possit aqua naturaliter converti in vinum, quæ est sententia communior philosophorum, quam videtur tenere Aristoteles 1. *de Gen. c.* 10. *tex.* 34. *lib.* 14. *historiæ Naturalis c.* 35. Philo Hebræus de confusione linguarum circa finem, quos communiter sequuntur Medici & Chymici, quibus in arte sua prudenter creditur, esto rem non omnino demonstrent, & eorum judicium præferendum est paucis contrarium opinantibus. Rationem illius opinionis philosophicæ paucis refert Card. de Lugo. [Vinum, inquit, licèt non sit substantia vivens, est tamen succus substantiæ viventis, elaboratus intra uvam per virtutem nutritivam, sicut sanguis elaboratur in jecore animalis: quare sicut sanguis separatus non habet virtutem ad transmutandam substantialiter aquam in similem substantiam, sic nec vinum separatum ab uva.]

P. Arriaga contemnens hoc argumentum, respondet, hæc magis concionatoriè quàm scholasticè dici. Optandum erat, vt Arriagà magis scholasticè respondisset aut probâsset oppositum, & non consuetâ probatione negativâ, *Non repugnat.*

Confirmari solet Opinio illa philosophica ab experientia, quâ chymici ex vino lymphato extrahunt aquam, vnde inferunt, aquam puram ibi exstitisse permixtam vino. Hæc tamen experientia non multùm vrget: dicunt enim adversarij, etiam ex vino non lymphato extrahi humorem aqueum. Respondent insuper cum Alberto Magno, ligna naturæ aqueæ, vtpote nata in aqua, attrahere ad se partes vini magis degeneres & aqueas, easque convertere in aquam. Quidquid sit de his, non immeritò concludit Arsius, illam sententiam in quæstione theologica meritò cæteris præferri, quæ philosophorum jaculis & criminationibus minùs exposita est. talis autem est nostra, quæ cum quocunque philosophorum placito cohæret.

805. Probatur Conclusio 7. Si aqua nunquam immediatè converteretur in sanguinem, sequeretur, sæpè aquam mixtam sanguini Christi, adorari à populo adoratione latriæ, quia totum illud adoratur, quod in Calice proponitur.

Hoc argumentum, quasi à P. Conink excogitatum esset, ridet Reverendissimus D. Hyacinthus Petronius, Magistet Sacri Palatij. Sed P. Conink poterat illud accepisse à S. Thoma *q.* 74. *a.* 8. *in C.* Verba sunt hæc. [Quidam dicunt, quòd aqua adjuncta vino per se manet, vino converso in sanguinem. Sed hæc opinio stare non potest, quia in Sacramento altaris post consecrationem NB, nihil est nisi corpus & sanguis Christi, alioquin non totum adoraretur veneratione latriæ.] Hæc S. Thomas.

P. Arriaga respondet, hoc argumentum non vrgere quidquam, alioquin si fuisset ibi Musca, etiam illa transijsset in sanguinem, ne scilicet adoraretur cultu latriæ. Sed hæc Musca facilè abigitur, cùm nulla sit paritas. Aqua enim miscetur ex intentione vt fiat materia adorationis, & intentio populi fertur in omne & solum illud, quod constituit illum potum in Calice, quod quidem facit aqua, non item musca.

Approbat argumentum P. Esparza. Ecclesia præcipit, vt aqua misceatur vino immediatè ante consecrationem, si fortè priùs non fuerat infusa, quo casu aqua non convertitur in vinum, & tamen etiam tunc verba consecrationis & adoratio fidelium feruntur indiscriminatim ad totum mixtum: nec de discretione intentionis, quâ consuleretur periculo falsæ significationis verborum vel adorationis, exstat vllum præceptum aut documentum, quod tamen opus esset, si totum non converteretur in sanguinem Christi, quandoquidem vterque liquor non per accidens adest & ignoranter, vt aliqua alia non consecrabilia fortuitò & præter opinionem adjuncta, sed ex lege, & cum notitia manifesta ad sensum.

Solvuntur Objectiones.

806. OBjicitur 1. Auctoritas Innocentij III. *in cap. cum Marthæ de Celebr. Missarum*, vbi consultus Pontifex à quodam Episcopo Lugdunensi, vtrum aqua cum vino in sanguinem convertatur, respondet, super hoc opiniones apud Scholasticos variari. Postea refert sententiam illorum qui volebant aquam converti in aquam è latere Christi fluentem. Deinde procedit ad secundam opinionem & ait: [alij verò tenent, quòd aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, cùm in vinum transeat mixta vino, licèt physici contrarium asserant, qui aquam à vino per artificium separari posse asserunt.] Post hæc refert tertiam sententiam, asserentem, quòd aqua nullo modo convertatur in sanguinem: deinde subjungit.

jungit. [Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari.] Hæc Pontifex. Subsumunt adversarij. atqui secunda opinio fuit, transmutari mediatè. ergo huic opinioni favebat Pontifex, nostræ autem opinionis nullam mentionem facit.

Rr. 1. Certum est, in hoc puncto Pontificem nihil definiviſſe, sed solùm declarâſſe, quid probabilius judicetur apud Scholasticos. Vnde ille ipse Pontifex *lib. 4. de sacrif. Missæ c. 29.* cùm moviſſet quæstionem de immediata conversione in sanguinem, dixit: *Quis audeat hoc definire?* Quapropter nunc ipsi adversarij fatentur, Pontificem plus noluiſſe declarare, quàm aquam aliquo modo converti in sanguinem, præscindendo an immediatè vel mediatè, quod scholis reliquit.

Rr. 2. Consideratis omnibus circumstantijs, Pontifex magis in nostram sententiam propendiſſe videtur, nempe, quòd casu quo falsum esset, aquam converti in vinum, aqua converteretur immediatè in sanguinem. Floruit Innocentius circa Annum Domini 1212. & cùm esset vir doctiſſimus, non potuit ignorare opinionem illam, quæ jam tunc à viginti quatuor annis apud Gallos erat celebris, aquam nunquam converti in vinum, vt constat ex Epistola Gaufredi ad Episcopum Albanensem: imò quod amplius est, illi ipsi Lugdunenses, quorum Episcopus hanc quæstionem Pontifici proposuerat, in ea fuêre sententia, aquam non converti in vinum, vt notat Aresius: alioquin vana fuiſſet quæstio, nam si priùs in vinum converteretur, indubitatum fuiſſet, eam mediatè converti in sanguinem.

807. Vlteriùs advertendum & ponendum est, quòd Pontifex referendo secundam opinionem, asserentem aquam converti in sanguinem, addiderit rationem, quâ quidem illius sententiæ patroni eam defendebant, & explicabant, nempe quòd aqua priùs convertatur in vinum, statim tamen subjunxerit, hanc rationem à physicis negari, & quidem indefinitè, adeóque à potiori.

Advertendum denique, Pontificem approbâſſe quidem hanc secundam opinionem tanquam probabiliorem, sed rationem quam ex aliorum mente pro ea priùs retulerat, & quam ipsemet de Veritate suspectam fecerat ex contrario physicorum judicio, postmodum in illius approbatione penitùs omiſiſſe, & illius loco aliam rationem, & quidem theologicam substituiſſe, quæ probat conversionem aquæ in sanguinem, sive priùs convertatur in vinum, sive non convertatur: & quia illud prius erat extra controversiam, ideo de secundo videtur vnicè quæstio consulentis Episcopi proceſſiſſe. Rationem ergo Pontifex adjecit his verbis. [Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior judicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari, vt expreſſiùs eluceat proprietas Sacramenti. nam cùm aquæ multæ sint populi multi, juxta quod alibi legitur: Beati qui seminatis super aquas: ideo vinò aqua misceri, vt Christo populus adunetur.] Hæc Pontifex.

Vnde apparet, quòd noluerit Pontifex statuere aut dare majorem probabilitatem suæ opinioni fundatæ in arenoſum illud principium philoſophicum, quod aqua convertatur in vinum, sed supra certum fundamentum à Patribus agnitum, & jam supra explicatum, nempe supra Sacramentalem significationem.

Itaque Pontifex secundam sententiam ita retulit, vt simul insinuaret, eam in duas subdividi posse, quarum vna dicat, aquam converti in sanguinem tantùm mediatè, altera autem dicat, eam converti immediatè, eò quòd ex physicorum receptiſſima sententia non possit physicè in vinum converti. Ipse verò Pontifex, abstrahendo à quæstione hac physica, adhuc judicavit dirimendum esse, quòd convertatur in sanguinem, sive priùs convertatur sive non convertatur in vinum, quia ut sæpè non convertitur, ob brevitatem temporis, etiamsi demus, posse tandem converti.

Confirmatur. Si enim doctiſſimis Canonistis credimus, qui in dictum capitulum *cum Matthæ* commentaria scripserunt, ipsi judicant, quod Pontifex supposuerit veram esse sententiam physicorum. Et vt alios taceam, Antonius de Burgo supra hunc textum: *Nota*, inquit, *ordinarios physicis in arte sua, & quibuslibet etiam peritis. l. 5. de inspiciendo ventre. & l. 7. ff. de statu homin.*

808. Objiciunt 2. Auctoritatem S. Thomæ *hîc quæst. 74. a. vlt.* Rr. S. Thomam non asseruiſſe ex professo contrariam sententiam. Titulus illius articuli non est de præsenti nostra controversia, sed an aqua sit affundenda in magna quantitate, & respondet S. Thomas, quòd non. Vt autem hoc probet, adducit Auctoritatem Innocentij tertij, asserentis probabiliorem esse opinionem eorum, qui asserunt, aquam converti in vinum, & vinum in sanguinem: vnde inferre ergo modica aqua est affundenda. Porrò vt hæc consequentia sit bona, non est necesse, vt conversio aquæ in vinum sit physica, sed sufficit si sit moralis, & alterutra requiritur, vt aqua convertatur in sanguinem vnà cum vino cui affunditur: dicitur autem moraliter converti, quando ita est modica respectu quantitatis vini, vt non auferat à vino prædicatum vini vsualis. Itaque vt censet Aresius, & suspicatur Lugo, S. Thomas prescindebat ab vtraque conversione sicut Pontifex Innocentius. P. Esparza existimat, S. Thomam habuiſſe vitiosum exemplar Extravagantis Innocentij, quia non refert verba Pontificis prout habentur in Extravagante. Quidquid de hoc sit, Card. de Lugo ex alio loco non incongruè colligit, S. Thomam intelligi posse de Conversione morali: nam eâdem quæst. *a. 3. ad 3. arg.* cum Materiam panis tritici, scilicet quod vix inveniatur farina Triticea, quæ non habeat aliquid admixtum, ità respondet. [Dicendum, quòd modica permixtio non solvit speciem, quia id quod est modicum, quodammodo abſorbetur

absorbetur à plurimo, & ideo si sit modica admixtio alterius frumenti ad multò majorem quantitatem tritici, poterit exinde confici panis, qui est materia hujus Sacramenti, si verò sit magna permixtio (puta ex æquo vel quasi) talis permixtio speciem mutat: vnde panis exinde confectus non erit debita materia hujus Sacramenti.] Hæc S.D. Ex quibus possumus ad nostrum propositum sic argumentari. Juxta S. Thomam a. 8. aqua debet admisceri vino cum eo moderamine quantitatis, vt non dissolvatur species vini, & sic aqua erit vnà cum vino materia Sacramenti: atqui hoc servatur absque eo quòd aqua physicè convertatur in vinum, modò ab excessu vini absorbeatur, quæ est conversio moralis, prout docet S. Thomas de materia panis triticei in verbis allatis, quia hordeum v. g. aut avena non convertitur physicè in triticum: ergo in materia Eucharistiæ S. Thomas non requisivit conversionem physicam, sed illi sufficiebat moralis.

Confirmari potest inde, quòd S. Thomas docuerit Parisijs, cùm inter Gallos agitaretur quæstio de immediata conversione aquæ in sanguinem, & tamen hanc sententiam non rejecerit, nec de hoc puncto specialem articulum instituerit: quia nimirum agnovit, sufficere moralem conversionem aquæ in vinum vt converteretur in sanguinem: de physica conversione noluit disputare, quòd ad physicos ea quæstio pertineret.

809. Objiciunt 3. ex Concilio Florentino, vbi Eugenius Papa dicit, Materiam Calicis esse vinum de vite, cui modicissima aqua misceri debet: atqui non apparet ratio cur debeat affundi modicissima, nisi vt converti possit in vinum. Ergo &c. R. Hanc non potuisse esse rationem Pontificis, alioquin debuisset etiam monere, vt notabili tempore ante consecrationem admisceretur, & non primùm in Offertorio: item monere debuisset, vt semper adhiberetur vinum generosum, nam debile non habet illam vim convertendi. R. 2. Fuisse alias causas Pontificis. prima quam assignat S. Thomas, ne periculum sit, vt aqua corrumpat vinum, seu physicè seu moraliter, tollendo denominationem vini vsualis. Secunda, quia aqua significat Populum Christi, & Humanitatem ejusdem, quæ si comparentur cum Divinitate significata per vinum, sunt quid minimum. Tertia poterat esse, vt eò magis recederetur ab hæresi Aquariorum.

810. Objiciunt 4. ex Concilio Tridentino, dicente. *sess.* 13. *can.* 2. post consecrationem manere duntaxat species panis & vini: atqui secundùm nos remanerent etiam species aquæ. R. Species aquæ mixtas speciebus vini in modica quantitate, subire denominationem specierum vini, & hoc sensu comprehenduntur verbis Concilij, & à nobis asseruntur manere. Deinde per verbum *duntaxat*, voluit Concilium excludere substantiam panis & vini, quia canonem illum constituit contra hæreticos, cum quibus nunquam lis fuit circa species aquæ, sed circa permanentiam substantiæ.

811. Objicitur 5. Ex can. 3. vbi dicitur, totum Christum contineri sub singulis cujusque speciei partibus separatione factâ: atqui hoc non esset verum in nostra sententia: si enim per artem chymicam species aquæ separarentur à speciebus vini, non continerent Christum. R. Tridentinum loqui de speciebus, quæ factâ separatione merentur dici species panis & vini: atqui species aquæ separatæ non ampliùs possent, dici species vini, ergo ob hanc caussam non retinerent ampliùs Christum, sicut nec illum retinerent species fermenti aut salis, si separarentur à speciebus panis quem consecrant Græci.

812. Objicit denique P. Amicus. Ex nostra sententia sequitur, quòd si pani admisceatur aliquid de butyro, melle, vel alio liquore, quòd, inquam, talis substantia converteretur in Corpus Christi, quia non variaret prædicatum panis vsualis. Item si hostia madefieret aquâ: imò & aër receptus in poris converteretur. Respondet P. Dicastillo, concedendo sequelam de melle, saccharo & butyro. Alij tamen meliùs negant paritatem, quia hæc non constituunt ex communi vsu hominum panem vsualem, sicut aqua constituit vinum vsuale. Et hæc de Materia remota Eucharistiæ.

CAPVT IV.

DE CORPORIS ET SANGVINIS CHRISTI SVB SPECIEBVS PANIS ET VINI PRÆSENTIA.

CONTROVERSIA I.

An Christus sit præsens in Eucharistia, & qualis illa sit præsentia.

813. CAtholica veritas Præsentiæ Christi, contra Zwinglium & Calvinum aliósque Sacramentarios, definita est à decem Concilijs, quæ videri possunt apud Bellarminum & alios Controversistas. Lubet fundamenta breviter indicare.

Probatur itaque ex Scriptura, in qua consecrationis verba, *Hoc est Corpus meum*, *Hic est Sanguis meus*, quater leguntur. quæ verba etiam Luthero tam clara fuerunt, vt fassus sit, se illa non potuisse accipere tropicè, tametsi maximè vellet. Ratio autem quare debeant accipi in senso proprio, est, quia est locutio Dei de opere suo, de quo non debet Deus dici locutus esse tropicè & impropriè, quia nihil cogit. Si quid enim nos cogeret ad illa verba tropicè intelligenda, vel esset repugnantia illius præsentiæ, vel quia licèt non repugnet, sit tamen admodum durum & creditu difficile. Neutrum valet. Non primum. quia ab adversarijs nulla afferri potest: vnde nisi adesset mera libido contradicendi Romanæ Ecclesiæ, non difficiliùs admitterent hanc miraculosam præsentiam, quàm Mysterium Trinitatis & Incarnationis. Secundum ineptè dicitur. Quando enim aliquid non repugnat, non est Deo difficilius quàm quidvis aliud, quod quotidie videmus oculis, fieri: ergo si Deus hoc mysterium æquè claris verbis revelavit, non debemus minùs prompti esse ad hoc quàm ad quidvis aliud credendum, quia fides ne quidem partialiter niti debet facilitate naturalis intelligentiæ circa Mysteria.

814. Confirmatur. Incredibile prorsus est, potuisse in Ecclesiam vniversalem irrepere errorem de præsentia reali corporis Christi, si vnquam ab eadem Ecclesia fuissent verba consecratoria tropicè intellecta; facillimum enim fuisset etiam rudissimis hunc tropum explicare, & à tam crasso errore præservare, vtpote quibus longè faciliùs persuasum fuisset, verba tropicè quàm propriè intelligenda esse, idque haberi ex perpetua traditione ab ipsis Apostolis derivata.

Hujus Mysterij institutionem promiserat Christus Jo. 6. nam illo loco sermonem esse de hoc Mysterio docet Concilium Trid. *sess.* 13. *& sess.* 21. *c.* 1. vbi probat non esse ex divino præcepto vtramque speciem Laicis dandam. vnde graviter hallucinati sunt quidam Catholici 200. volentes ibi sermonem esse de manducatione per fidem, quæ est interpretatio modernorum hæreticorum.

Eandem veritatem tradidit Corinthijs S. Paulus c. 10. dum ait: *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne Communicatio Sanguinis Christi est, & panis quem frangimus, nonne Communicatio corporis Domini est?* & c. 11. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit non dijudicans Corpus Domini.* Ex quo loco fit validum argumentum contra hæreticos, volentes Christum tantùm spiritualiter per fidem manducari. Si enim, vt hæretici tradunt, fides hominem justificat, impossibile est Christum per fidem indigne manducari, qui enim justus est, non est indignus. Præterea ridiculum est dicere, quòd Christus indignè manducetur in sua figura, ita vt debeat ille prius probare, & conscientiam examinare, num dignus sit, qui manducet figuram Christi in lino vel butyro impressam, ne sibi judicium manducet. Sed de his plura apud Bellarm. & alios qui fidei controversias scripserunt. Inter Scholasticos

815. Quæritur 1. Quid realiter loquendo sit Præsentia Christi Eucharistica. R. brevissimè. Qui in veriore philosophia docent vbicationem rerum creatarum esse modos superadditos, hic eorum que talem supperaddunt, ob rationes easdem philosophicas. Verùm, quia inter philosophos ulterior controversia, an singulæ entitates aliquæ compositi habeant suas proprias vbications, vel an aliquæ vbicentur per vbicationem alterius sibi vnitæ, v. g. anima per vbicationem quantitatis sibi vnitæ, prout tenet Vasquez, hinc etiam in præsenti posset quæri, an Christus vbicetur per vbicationem accidentium sibi vnitorum. Verùm Respondeo negativè. Nam quidquid sit de aliis de quibus procedit sententia Vasquez, accidentia Eucharistica secundùm communiorem

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

mihi veriorem sententiam non sunt physicè vnita Corpori Christi ita vt cum illo faciant vnum per se.

P. Martinus Esparza asserit, Christum vbicari sub accidentibus Eucharisticis per Vbicationem supernaturalem, subjectatam in solis accidentibus, & ad Christum solùm terminativè se habentem, sicut se habet Vnio hypostatica ad Verbum. In hac sententia duo mihi difficilia apparent. Primum, quòd vbicatio Corporis Christi Eucharistica, non informet corpus Christi, cùm corpus Christi capax sit divinitùs plurium vbicationum simultanearum: nam ex communiore sententia posset etiam circumscriptivè in pluribus locis replicari. Secundò, difficile apparet, quòd illa vbicatio recipiatur in accidentibus Eucharisticis, & tamen illis non tribuat effectum formalem *vbicati*: vbicantur enim per propriam vbicationem naturalem. Cæterùm non lubet his philosophicis quæstionibus discutiendis immorari.

816. Quæritur 2. An supposito, Vbicationem Eucharisticam recipi informativè in Corpore Christi, ea sit quoad substantiam supernaturalis, vel tantùm quoad modum. Pz. Probabilem mihi videri sententiam P. Arriagæ, illam esse tantùm supernaturalem quoad modum. Dici enim potest, quòd tota supernaturalitas illius consistat in hoc, quòd punctum corporis, A. vbicetur in eodem spatio, in quo vbicatur punctum B. C. D. & sic de cæteris: quæ supernaturalitas aliud non est, quàm Decretum Dei, ponendi plures vbicationes diversorum punctorum secundùm se naturales, in eodem spatio simul, contra exigentiam punctorum volentium poni extra se & non penetrata: hæc autem est superuaturalitas quoad modum tantùm, sed de his plura alij.

CONTROVERSIA II.

In quonam consistat Vnio Corporis Christi cum speciebus.

817. CErtum est 1. inter Corpus Christi & species intercedere aliquam vnionem seu alligationem, vi cujus Christus comitatur species quocunque moventur, & vi cujus dicitur Sacerdos attolere Christum, deglutire &c. item vi cujus Christus per illa accidentia est designabilis, dicendo: *Hoc est Corpus Christi.*

Certum est 2. Corpus Christi non accipere ab illis accidentibus illos effectus formales, quos accipiebat substantia panis præcedens: non enim Christus sit quantus, albus, dulcis, figuratus, rarus, densus &c. Ratio est, quia, vt in Concilio Constantiensi definitum est, accidentia illa sunt sine subjecto substantiali physico: atqui huic soli tribuunt illos effectus formales.

818. Prima sententia est Valentiæ *disp. 6. pu. 3.* Ochogaviæ *tr. 10. q. 14.* & plurium apud P. Tannerum *hic q. 4. dub. 5. n. 68.* quòd producatur Vnio substantialis Corporis Christi cum speciebus. Sed hæc sententia facilè rejicitur. Nam substantia non potest accidenti vniri vnione substantiali, quia non constituit substantiam.

Secunda sententia est, inter Corpus Christi, & accidentia (saltèm quantitatem) intercedere veram vnionem physicam accidentalem, vi cujus non quidem fiat vnum per se, sed tamen *vnitum per accidens*, neque Christum accipere alium effectum formalem, præterquam, *esse vnitum.* vnde fit, vt moto vno extremo moveatur & alterum, quia hoc requirit vnio physica. Hanc Vnionem aliqui ponunt in substantia Corporis Christi, & dicunt habere respectum transcendentalem ad quantitatem panis, & ex natura rei pendere ab illa tanquam extremo. alij ponunt eam in accidentibus, & dicunt, Corpus Christi esse terminum extrinsecum, sicut Verbum est Vnionis hypostaticæ. Hanc sententiam retulerat Lugo: deinde eam amplexus est P. Dicastillo, & videri potest esse P. Vasquez *d. 190. c. 5. n. 50. cum præcedentibus.*

Tertia sententia est, continentiam Christi sub speciebus, in duobus consistere: primum est, quòd Corpus Christi instrumentaliter conservet species sine inhærentia, adeóque creativè: secundum, quòd in ipsis accidentibus producatur quædam virtus quasi magnetica, vi cujus accidentia trahant secum corpus Christi, quocunque moventur, & quidem cum intima præsentia. Hanc sententiam tuetur Lugo sect. 2. nullum pro ea adducens auctorem. Vasquez tamen *d. 190. c. 4. n. 42.* eam retulerat ex quibusdam illius temporis Recentioribus.

Quarta sententia est Card. Pallavicini, qui *c. 19. n. 262.* junctis ijs quæ priùs dixerat, docet, Vnionem illam Corporis Christi consistere in qualitate supernaturali intrinseca Corpori Christi, relativa ad promissionem Dei: eo scilicet modo, quo eum superiùs philosophantem de caussalitate Sacramentorum audivimus: vi hujus qualitatis, ait, Christum gerere munus substantiæ erga accidentia panis, ità vt ei tribuantur actiones & passiones ipsarum specierum, exceptis illis prædicatis, quæ parerent æquivocationem, ac tribuerentur Christo ratione sui.

Quinta sententia est, hanc Vnionem aliud non esse, quàm inseparabilitatem quoad locum, provenientem ex decreto divino: neque requiri vllo modo efficientiam Christi erga accidentia. Ita Scotus, Gabriel, Okam, Major, Argentinas, Petrus de Aliaco, Nominales, quos sequuntur Arriaga & Præpositus.

819. DICO 1. Inter Corpus Christi & quantitatem panis, non datur vera & formalis vnio, qualem ponebat secunda sententia. Probatur 1. Si enim daretur talis Vnio, hoc ipso accidentia tribuerent suos effectus formales; sed hoc nemo admittit: ergo &c. Sequela probatur. Nam Corpus Christi est capax hujusmodi effectuum formalium: ergo ad illos accipiendos nihil aliud deest, quàm Vnio formalis physica cor-

poris cum accidentibus : ergo hac posità dabitur effectus formalis.

Probatur 2. Vnio formalis physica contradistincta ab extremis vnitis, habet hoc ex essentia sua, vt non possit dari nisi inter ejusmodi extrema, quorum saltèm alterutrum perficiatur ab altero, & accipiat specialem aliquem effectum formalem : sic etiam Vnio hypostatica hoc habet, vt per eam Humanitas accipiat effectum formalem *subsistentis* : atqui accidentia Eucharistica non accipiunt à Corpore Christi effectum formalem *Subjectati*, quia, vt definitum est, existunt sine subjecto substantiali : ergo assignandus est alius specialis effectus formalis, qui tribui possit per vnionem absque effectu formali *Subjectati* : qualis tamen nullus hactenus assignatus, nec facilè assignari poterit.

Confirmatur 1. Ex nullo alio fundamento denominatur aqua calida, nisi quia calor est illi physicè vnitus, neque dicitur præcisè accipere effectum formalem *Vniti*. atqui si posset dari vnio faciens præcisè effectum formalem *Vniti*, tunc sine vllo inconvenienti posset quis dicere, talem esse vnionem caloris cum aqua, quia calor est aquæ contrarius : ergo signum est, quòd ad vnionem physicam non sufficiat facere effectum formalem generalem *Vniti*, sed debeat insuper tribuere effectum formalem specialem, vt, *esse calidam*.

Confirmatur 2. Nisi hæc sit natura Vnionis physicæ, jam nihil obstat, quominùs quidlibet cuilibet physicè vniri possit, Angelus Angelo, Ignis aquæ &c. præcisè in ordine ad inseparabilitatem ; hoc autem, teste Lugone nemo concedit, aut certè qui concederet singularis esset.

820. DICO 2. Ad explicandam continentiam Christi sub speciebus, non videtur esse necessarium recurrere ad effectionem physicam, quasi necesse sit Christum effectivè caussare illa accidentia, vt subeat officium substantiæ. Est contra Suarez & Lugo. Probatur. Si hæc efficientia esset necessaria ad explicandam continentiam sub speciebus, hoc ideo esset, quia alioquin Christus non esset designabilis per illa accidentia, vtpote quæ non essent speciali modo accidentia Christi, quia respectu illorum Christus non fungeretur munere substantiæ, neque sustentando vt subjectum, neque efficienter caussando, quæ est quædam eminentialis sustentatio : atqui potest absque hujusmodi caussalitate explicari, quomodo Christus sit per illa accidentia designabilis, & obeat sufficienter munus substantiæ in ordine ad talem designationem : ergo sine necessitate requiritur talis efficientia, quæ à modernis philosophis plerisque impossibilis reputatur. Major est adversariorum. Minorem probo & declaro. Imprimis fuerunt philosophi, qui vtrumque genus caussandi in creaturis negârunt convenire substantiæ respectu accidentium, & tamen conceperunt substantias vt designabiles per accidentia, neque illos quisquam ex hoc capite reprehendit aut impugnavit. Deinde in eo instanti in quo ponitur vltima dispositio ad formam ignis v.g. ipse ignis productus est designabilis per illa accidentia, & tamen ignis non habet tunc rationem caussæ, nec effectivæ nec sustentativæ respectu accidentium, quia non præsupponitur totus ignis prioritate naturæ. Denique demus, substantiam quæ informatur accidentibus, semper aliquo modo caussare illa accidentia, & hoc spectare ad officium illius substantiæ, hoc tamen officium non consistet in illa caussalitate quomodocunque & qualicunque, sed in caussalitate vnitiva & informativa : hoc est, substantia caussabit accidentia in eum finem, vt per illa informetur & intrinsecè perficiatur : atqui certum est, quòd Christus non causset in hunc finem accidentia Eucharistica, vt per illa informetur : ergo non exercet officium illud substantiæ in accidentia, quod communiter aliæ substantiæ exercent ; ergo independenter ab hac caussalitate poterit explicari, quomodo Christus per accidentia Eucharistica, quantumvis non vnita physicè, sit designabilis, & aliquo modo gerat officium substantiæ, sufficiens ad talem designationem, seu designabilitatem. Itaque

821. DICO 3. Vt Christus sit designabilis per accidentia Eucharistica, sufficit caussalitas finalis, hoc est, quòd Christus sit caussa finalis accidentium quoad eorum conservationem, non quidem eo sensu, quasi Christus quoad suam existentiam sit caussa finalis accidentium tanquam mediorum ad obtinendam illam existentiam, sed quòd accidentia conserventur sine substantia panis in hunc finem, vt ejus loco Christum involvant & contineant localiter, & serviant, vt dictum antè serviebant ad hoc, vt panis in ratione cibi esset sumibilis, ità postmodum loco panis Christus sub accidentibus contentus esset in ratione cibi sumibilis, & quà cibus allicere posset ad illius sumptionem. Præter hanc ergo caussalitatem finalem alia nulla requiritur. Probatur Conclusio & declaratur exemplis vulgaribus. Ollendo Marsupio continente aurum, rectè dicitur, hoc est aurum ; & ostenso dolio continente vinum, dicitur, hoc est vinum ; sensúsque est : consumtum sub hoc velamine vel vase est aurum, vtnum &c. econtra si aureus nummus abconderetur in pomo vel libro, non rectè diceretur, ostenso pomo vel libro ; hoc est aurum. Ratio discriminis est, quia ex vsu communi marsupium & dolium sunt in hunc finem elaborata, vt serviant ad illa continenda, non item pomum aut liber ad continendum aurum. Hinc vides, quòd ea caussa finali ordinata ad continentiam vnius rei ab alio, proveniat, quòd contentum possit per continens designari. Porrò, hæc caussalitas finalis non deest in nostro proposito. Nam Christo ita instituente conservantur accidentia annihilatâ substantiâ panis, in hunc finem, vt Christum sub illis per modum cibi contineant, & quidem tamdiu quamdiu substantiam panis continuissent.

Ita

Ex quo etiam colligitur, quo sensu Christus gerat officium substantiæ respectu accidentium: nempe sicut panis erat finis illorum accidentium in ratione cibi, ità & Christus, cum hoc tamen discrimine, quòd substantia panis poterat & debebat physicè perfici per illa accidentia vt posset esse cibus corporalis, Christus autem, vt posset esse cibus spiritualis, non debebat physicè perfici ab illis accidentibus.

822. Dixi in Conclusione, non requiri aliud causandi genus, non autem dixi nihil aliud requiri. Certum enim est, ad hoc vt Christus sub illis accidentibus ità contineatur, vt per illa sit designabilis, & gerat officium cibi, non sufficere causalitatem finalem jam explicatam, sicut non sufficeret ad dicendum; *hoc est aurum*, monstrato marsupio, si nullum aurum intus esset, etiamsi marsupij finis fuisset pecunia continenda: requiritur ergo insuper continentia localis; & quidem talis, vt extrema aliquo modo quoad locum inseparabilia sint, hoc est, vt saltèm alterutrò eorum tracto trahatur etiam alterum. Vlteriùs, vt Christus motis speciebus traheretur, non esset satis, quòd immediatè antè motum specierum fuisset penetratus cum illis, non enim involutus fuisset Christus speciebus, sicut pecunia involvitur marsupio, quo tracto, propter impenetrabilitatem trahitur etiam pecunia, possent ergo species amoveri, manente Christi corpore in priori loco. Videndum ergo restat, vndenam proveniat illa alligatio, vt motis speciebus moveatur etiam Corpus Christi: circa quod jam suprà varias opiniones retulimus.

823. DICO 4. Hæc alligatio Christi ad accidentia, non videtur consistere in qualitate attractiva & quasi magnetica, quam ponit Lugo. Posset hæc qualitas impugnari pluribus modis, & argumentis ex natura rei petitis, & quidem ex duplici potissimùm capite. 1. quòd, cùm esset qualitas materialis, exigerétque recipi in quantitate, esset tamen essentialiter violenta quantitati, vtpote ex natura sua resistenti ne penetretur cum alia quantitate, & tamen illa qualitas exigeret talem penetrationem cum Corpore Christi. 2. Quia difficile est ostendere subjectum adæquatum illius qualitatis: si enim dicatur esse sola quantitas specierum, deberet illa qualitas connaturaliter permanere etiam destructis cæteris accidentibus proprijs substantiæ panis, adeóque etiam recedente Corpore Christi, quia non habet contrarium: ad hoc tamen responderi posset, ideo cessaturam etiam qualitatem, quia esset otiosa, prout aliqui discurrunt de impulsu. Quodsi dicatur recipi in omnibus accidentibus, tunc factâ vel minimâ mutatione periret illa qualitas & nova produceretur. His tamen & similibus omissis, nobis pro nostra Conclusione sufficit argumentum Theologis familiare. Non debemus mysteria fidei reddere difficiliora, fundando ea in principijs incertis, & à tota hactenus antiquitate ignoratis, sine vrgentissima necessitate; & quantùm fieri potest, explicanda sunt accommodatè ad sensum communem, quod vt in præsenti fiat,

824. DICO 5. Hæc alligatio non consistit in alio, quàm quòd Deus ad verificanda verba Christi: *Hoc est Corpus meum*: decernat Christum ponere stabiliter sub speciebus panis, quamdiu hæ non fuerint corruptæ. Ità videntur sentire AA. quintæ sententiæ, & probatur solvendo vnicum argumentum quo impugnatur.

Argumentum autem est hoc. Nisi intercedat physica quædam connexio inter accidentia Panis & Corpus Christi, non erit verum, quòd Corpus Christi, verè & physicè moveatur à Sacerdote, nec poterit dici ab eodem portari, deglutiri &c. atqui hæ propositiones non possunt improbari, cùm passim sint in vsu. Sequela probatur. Ad has enim locutiones verificandas, non sufficit decretum Dei, ponendi semper præsens Corpus Christi illis accidentibus; sicut si Angelus liberè semper vellet mihi præsens esse, & ego me moverem, non dicerer ego movere Angelum, propriè loquendo, sed Angelus diceretur seipsum sponte movere.

R. In hoc argumento supponi, quòd quando fideles dicunt, Christum à Sacerdote portari, sumi, deglutiri, quòd, inquam, loquantur in sensu physico, ità vt illa non verè dicerentur, nisi physica connexio intercederet. Verùm hoc sine fundamento supponitur, & potiùs contrarium est supponendum, nempe quòd fideles in illis loquendi modis abstrahant, vtrum talis physica connexio intercedat necne. Qui enim primitùs vsurpârunt illos loquendi modos, si voluissent significare physicam connexionem intrinsecam, debuissent hujus rei aliquod fundamentum habere, quia non poterant niti aliorum loquendi modo, cùm ipsi fuerint primi: atqui nullum hujusmodi fundamentum assignatur ab adversarijs, qui vnicè recurrunt ad communem modum loquendi: ergo qui primitùs his loquendi modis vsi sunt, noluerunt veritatem sermonis alligare physicæ connexioni Christi cum speciebus; sed solùm voluerunt significare, quòd motis speciebus Christus semper comitetur, & sic quoad apparentiam sensibilem perinde censeatur Christus moveri, atque moto corpore moveretur anima, vel moto dolio movetur vinum. Itaque, meo judicio, malè probatur physica connexio corporis cum speciebus ex modo loquendi: sicut inefficax esset argumentatio ex communi modo loquendi, quòd ignis, aliæque causæ secundæ sint activæ, eò quòd homines dicant ignem calefacere, aquam humectare.

Confirmatur. Fundamentum dicendi, Christum portari, sumi &c. aliud non est, quàm quòd ex fide & veritate verborum Christi habeamus, Christum semper manere præsentem illis speciebus post consecrationem: vnde inferimus: ergo quocunque moventur species, eò etiam transfertur Christus, quomodocunque hoc fiat: atqui ad

hoc

hoc verificandum sufficit, si Deus suo decreto alliget Christum speciebus quoad locum. ergo &c. Paucis ergo verbis volumus exprimere id, quod alioquin longis ambagibus describendum esset, si scholasticè loqui vellemus : paucis inquam verbis dicimus : Sacerdotem portare Christum, nempe quoad æquivalentiam & apparentiam : sicut quando dæmon in obsessis format voces articulatas, dicimus diabolum loqui, cùm tamen philosophicè loquendo dæmon non loquatur, quia non format illas voces per motum vitalem. Item obsessus dicitur intra se & secum ferre diabolum, & tamen hoc non significat physicam connexionem.

CAPVT V.

DE CONVERSIONE PANIS ET VINI IN CORPVS ET SANGVINEM CHRISTI.

CONTROVERSIA I.

An ad Conversionem in genere requiratur, vt terminus à Quo *omnino esse desinat.*

825. DEfinitur Conversio, Transitus vnius rei in aliam : ex qua definitione Colligitur 1. ad Conversionem requiri terminum *à quo* & *ad quem*, vtrúmque positivum : potest verò vterque esse vel totalis vel formalis, intelligendo per terminum formalem *à quo*, illud quod per conversionem expellitur, sive deinde sit forma, sive subjectum, prout in Conversione Eucharistica panis est terminus formalis *à quo*, Corpus Christi verò est terminus formalis *ad quem* : terminus totalis *à quo* est panis habens apparatum accidentium, & terminus totalis *ad quem* est Corpus Christi cum talibus accidentibus.

Colligitur 2. Ad Conversionem requiri præter terminum *à quo* & terminum *ad quem*, vt detur aliquid vtrique commune, quod fuerit priùs constitutivum termini totalis *à quo*, & per conversionem fiat constitutivum termini totalis *ad quem* ; & per consequens erit adæquatè distinctum à terminis formalibus, circa quod vnus terminus formalis alteri succedit in aliquo officio, qualecúnque illud sit : sic enim Corpus Christi succedit substantiæ panis in officio substantiæ circa accidentia, quia substat accidentibus tanquam designabile per illa, illísque alligatur, & sub illis continetur, & est causa conservationis accidentium saltèm finalis, vt suprà dictum est.

Colligitur 3. Terminum *à quo* totalem quâ talem, debere in conversione desinere, & terminum *ad quem* totalem debere incipere. Debet enim ad minimùm desinere connexio termini formalis cum communi tertio, circa quod succedit terminus formalis *ad quem* : atqui illa connexio est pars constitutiva termini totalis. Ergo &c.

826. Controversia est, an de concursu Conversionis sit, vt terminus formalis *à quo* desinat omnino existere in rerum natura, vel vtrum sufficiat, quòd desinat ejus vnio seu connexio cum communi tertio. Ex hac quæstione pendent alia Theologica, quomodo ex veritate formæ consecrationis colligatur & inferatur legitima conversio Eucharistica, prout dixit Tridentinum.

Et quidem certum est, ad conversionem totalem termini totalis, non requiri omnimodam desitionem termini formalis *à quo*. nam homo dicitur converti in cadaver, in vermes, in pulverem, vt loquitur Ecclesia in die cinerum, cùm tamen non desinat anima, quæ est terminus formalis *à quo*. Quæstio ergo est, quando denominatio Conversionis tribuitur termino formali.

P. Conink negavit, posse conversionis denominationem attribui terminis formalibus, nec rectè dici, calorem converti in frigus. Sed oppositum probant exempla Scripturæ, vt cùm dicitur : Tristitia vestra vertetur in gaudium Jo. 16. *Esther* 9. & 17. & in hoc ipso mysterio panis dicitur converti in Corpus Christi, & panis est terminus formalis à quo. Verum tamen est, longè rectiùs attribui hanc denominationem termino formali, quàm termino totali.

Card. de Lugo docet, ad Conversionem totalem requiri omnimodam desitionem termini formalis *à quo*. cui consentit Oviedo, Pallavic. & alii. Econtra P. Esparza quasi pro certo supponit contrarium, dicens, sufficere quòd desinat cum vnitus tertio communi : vnde infert, quòd si substantia panis post consecrationem adhuc consubstantia panis post consecrationem adhuc conservaretur, modò desineret vniri accidentibus, adhuc esset tota essentia conversionis panis in Corpus Christi.

Hæc

Hæc sententia expeditè reddit rationem, quomodo ex veritate verborum Christi colligatur conversio panis in Corpus Christi, quod tamen difficulter explicat prior sententia, quia verba Christi adhuc vera essent, etiamsi substantia panis, non omnino desineret, modò desineret esse vnita: ergo hæc desitio non requiritur ad conversionem termini formalis.

827. Propter hanc causam operæ pretium erit, considerare fundamenta prioris & communioris sententiæ (quæ P. Esparza præterijt) & videre, an & quid ad illa responderi possit.

Argumentantur ergo 1. Si sufficeret, terminum formalem *à quo* præcisè desistere ab officio in quo terminus formalis succedit, tunc rectè diceretur anima rationalis converti in formam cadavericam, & ex animâ rationali fieri formâ cadaverica: consequens est contra communem loquendi modum. ergo &c. R. Transeat major, nego minorem, vel potiùs nego suppositum minoris, nempe quòd vnquam fuerit vsitatus & communis modus loquendi de Conversionibus formalibus. Nam ipse Lugo fatetur, non esse vsitatum loquendi modum, quo terminis formalibus tribuatur denominatio *Conversionis*, sed communiter tribuatur terminis totalibus. Sic Arriaga negat dicendum esse: *forma ligni convertitur in animam rationalem.* quam tamen propositionem Lugo admittit.

Itaque denominatio *conversionis* ex vsu loquendi non tribuitur terminis formalibus, præsertim verò non tribuitur illis, qui habent veram rationem formæ substantialis. sic non dicimus: forma ligni convertitur in formam ignis: sed, lignum convertitur in ignem. Formis autem accidentalibus faciliùs applicatur: sic calor dicitur converti in frigus, tristitia in gaudium, & non solemus dicere: tristis convertitur in gaudentem.

Jam verò loquendo de illis conversionibus quarum termini formales potiùs gerunt officium suppositi seu subjecti quàm formæ, & tertium commune potiùs habet rationem formæ respectu terminorum formalium, vt fit in Conversione Eucharistica. in his inquam potest optimè dici fieri conversio vnius termini formalis in alium, etiamsi terminus *à quo* maneat in rerum natura. Exemplum clarum est, quando dicimus, odorem bonum converti in fœtorem, nam odor & fœtor aliud non sunt quàm particulæ odoriferæ per aërem sparsæ, & quæ solùm loco pelluntur & succedunt. Hujusmodi conversio est conversio Eucharistica, & adhuc rectè diceretur panis converti in Corpus Christi, etiamsi tota substantia panis miraculosè alibi reponeretur.

828. Objicit Lugo 2. Pontifices supponunt contra hæreticos, Verbum divinum non posse in aliud converti, quia non potest desinere. Respondeo facilè, sanctos Patres & Pontifices contra Euthychetem optimè philosophatos fuisse, quia hic voluit, ex Divinitate & Humanitate fieri vnam naturam; & sicut ex elementorum, ita ex naturarum confusione fieri vnam naturam tertiam: hoc autem ne concipi quidem aliter potest, nisi cum divinæ naturæ corruptione, quia non datur aliud tertium commune: ergo ex incorruptibilitate Verbi evidenter concluditur non posse converti. Verbum enim esset terminus totalis, cujus destructio secundùm aliquid illius vtique requiritur, vt suprà dictum est.

Objiciunt 3. S. Thomam 3. *p. q.* 77. *a.* 5. vbi ait. [Manifestum est enim, quòd ex corpore & sanguine Christi non generatur aliquid, cùm sint incorruptibilia. R. Legenti S. Thomam clarum est, eum aliud non velle, quàm quòd ex materia Corporis Christi non educatur illa forma quæ generatur ex corruptis speciebus Sacramentalibus, quia Christus nihil deperdit suæ materiæ, nec quidquam illius transit in materiam hominis qui sumpsit hostiam.

Objiciunt 4. Sequeretur, quòd quando ex hostia consecrata generantur vermes, mures &c. dici posset, Christum conversum esse in vermen, murem &c. quas propositiones, ait Suarez, non tutè concedi, & illis pias aures offendi. Hoc tamen argumentum inefficax esse fatetur Oviedo, & verè. Respondetur enim, aures doctorum intelligentium, quid loquens velit significare, nempe Christum esse terminum formalem *à quo*, & substantiam vermis esse terminum formalem *ad quem* non offendi, sed aures plebis, quæ putat significari, ex Corpore Christi per ejus corruptionem generari vermes, sicut in humano corpore quandóque etiam vivo contingere solet. Hæc sunt fundamenta illorum, qui requirunt omnimodam desitionem termini formalis à quo.

829. Econtra verò qui negant hanc requiri, argumentantur à paritate. Ad conversionem formalem non requiritur, vt terminus formalis ad quem incipiat esse de novo (alioquin panis non converteretur in Corpus Christi) sed satis est, si incipiat de novo fungi officio termini cui succedit: atqui non alio modo debet desinere terminus à quo, quàm quo debet incipere terminus ad quem: ergo terminus *à quo* non debet aliter desinere, quàm relinquendo illud tertium, circa quod succedit terminus ad quem. Probatur minor: sicut enim ad terminum *ad quem* sufficit *succedere*, ità ad terminum *à quo* sufficit *cedere*. Neque ad hoc habent adversarij aliud quod respondeant, nisi iterum recurrendo ad modum loquendi, ex quo tamen nihil probatur, vt dictum est suprà.

CONTROVERSIA II.

Quomodo ex verbis Christi colligatur Conversio Eucharistica.

830. CONcilium Tridentinum *sess.* 13. *c.* 4. disertè docet, ex veritate Verborum Christi colligi conversionem totius substantiæ panis in Corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinem.

guinem. vt autem hæc illatio legitima sit, duplex solvenda est difficultas. Prima. Quia adhuc viderentur Verba Christi esse vera, etiamsi vnà cum Corpore Christi maneret substantia panis vnita accidentibus, adhuc enim videretur dici posse: *hoc est Corpus Christi*: sive *Corpus Christi subsistat his accidentibus.* quod verum esset, etiamsi panis simul substaret. ergo ex veritate Verborum non infertur legitimè absentia panis. Secunda difficultas. Saltèm non videtur sequi, quòd panis deberet omnino desinere in rerum natura vi verborum Christi: essent enim adhuc verissima verba Christi: *hoc est Corpus meum.* etiamsi substantia panis alibi miraculosè reponeretur: atqui ex communiore sententia, vt dictum est præced. contr. ad conversionem requiritur omnimoda desitio termini formalis *à quo*: hic autem est substantia panis: ergo non apparet quomodo Concilium potuerit dicere, ex veritate Verborum colligi conversionem prædictam. Quoad primum,

Scotus, Durandus, & Paludanus, apud Suarez, opinati sunt, ex veritate verborum non inferri simpliciter, substantiam panis non manere vnitam accidentibus. Hoc tamen assertum cæteri Theologi communiter omnes improbant, adeo vt Suarez dicat, & multùm favere hæreticis hujus temporis, & post Tridentinum nullo modo defendi posse.

§31. Quoad primum ergo difficultatis punctum, communis est Theologorum explicatio, verba illa: *Hoc est corpus meum*, non fore vera, si maneret substantia panis vnita; & hoc ideo, quia sensus illius propositionis est: Quidquid subest istis accidentibus, est corpus meum: seu, vt loquitur Lugo, solum corpus meum est sub istis accidentibus. Declarant hoc exemplis. Si quis ostenso ligno diceret: *hoc est materia prima*: falsum diceret: atqui non diceret falsum si sensus esset disjunctivus, seu particularis: *aliquid existens sub his accidentibus est materia prima.* ergo debet esse sensus vniversalis: *quidquid subest*; & ideo est falsa, quia præter materiam etiam forma subest. Item si in dolio esset vinum & lac, non esset verum dicere: *hoc est vinum*: sed dicendum esset: hoc est vinum & lac. ergo Christus qui præsumendus est sine vitio, & accommodatè ad communem loquendi modum locutus esse, non dixisset simpliter illud esse corpus suum, sed esse panem simul & corpus suum, si simul cum corpore panis adesset.

Confirmatur 1. Si enim adhuc maneret substantia panis, tunc illa multò magis & principaliùs, imò ipsa sola designabilis esset per pronomen, *Hoc*: etiamsi simul adesset Corpus Christi: ergo censeretur Christus de substantia panis affirmâsse, esse corpus suum, quod cùm sit chymericum, necesse est abesse substantiam panis. Sequelam bene probat Suarez. Nam pronomen, *Hoc*, quando adhibetur ad designandam rem, quæ ex arte & vsu hominum aliam rem continet, tunc in propria significatione adhibetur ad significandam substantiam contentam sub alia substantia, v. g. hominem sub tali vestimento, pecuniam in marsupio, vinum in dolio. Quando applicetur substantiæ, quæ non ordinatur ad aliam continendam, tunc etiamsi defacto illa substantia aliam contineret, in proprietate sermonis per pronomen *Hoc*, non posset designari nisi illa substantia, quæ proximè sub illis accidentibus continetur: sic si aureus nummus lateret in pomo, non posset, designato pomo, dici hoc est aurum: quia pomum nec à natura, nec ab arte, nec ab vsu hominum est ordinatum ad continendum aurum. Cùm ergo panis de se non sit res apta continere Corpus Christi, vel aliam substantiam, neque in hunc vsum fuerit assumi, sequitur, quòd si vnà cum Corpore Christi adesset substantia panis, illa demonstraretur potiùs quàm Corpus Christi. Quando verò non est substantia panis, & ejus loco succedit Corpus Christi, jam salvâ proprietate sermonis demonstratur Corpus Christi, quia ex proprietate sermonis demonstratur vel panis, vel hoc absente illud, quod in ejus locum successit: vt ergo in proprietate sermonis per formam consecrationis designetur Corpus Christi vt substans illis accidentibus, debet substantia panis non amplius esse sensibilis per illa accidentia, sed solum Corpus Christi.

Confirmatur 2. Alio duplici exemplo. Primum est hoc. Accidentia propria hominis non sunt apta ad demonstrandum dæmonem in energumeno, nec censeretur aliquis rectè dicere: *hoc est diabolus, ista sunt accidentia diaboli.* si tamen apparerent operationes diaboli, posset per illa diabolus designari: *hic est diabolus.* quia sensus esset: *qui hæc operatur est diabolus.* Cùm ergo accidentia panis non sint à natura ordinata, nisi ad panem demonstrandum, non posset per illa demonstrari corpus Christi, si adesset substantia panis, sed necessarium esset, vt Christus per aliud signum sensibile se demonstraret: quod quia non fit, & tamen demonstratur per accidentia panis, necesse est dicere, quòd Corpus Christi subrogetur vices panis, & panis non sit ampliùs demonstrabilis: ergo à primo ad vltimum, vera & synera demonstratio Corporis Christi, est virtualis exclusio substantiæ panis, & cujuscunque alterius substantiæ, quæ non sit Corpus Christi.

Secundum exemplum est Card. Pallavicin. Si quis cum parva massa auri necdum signati concluderet marsupio monetam cupream, & diceret: *Ecce! pecunia quam tibi do, est aurum*, falsum dixisse judicaretur: nam tunc tò *Pecunia*, solum monetam cupream, quæ est pecunia maximè propria, & in sensu maximè vsitato significaret, & nomen solum aurum inclusum esset, quantumvis hoc rude, nec figillatum, verè dici posset; Pecunia. quam tibi do, est aurum. Quia licet aurum rude & necdum signatum non soleat vulgò dici *Pecunia*, in Jure Civili tamen etiam pecunia vocatur, [illegible] nomine

nomine pecuniæ comprehenditur, quidquid in patrimonio nostro est. *l.* 4. 5. 178. 222. *ff. de V. S.* & S. Augustinus idem asserit *lib. de discipl. Christiana.*

832. Veniamus nunc ad secundum difficultatis punctum, vtrum ex eadem veritate verborum inferri possit, substantiam panis desinere penitus esse in rerum natura. Qui ad Conversionem formalem in genere non requirunt omnimodam desitionem termini *à quo*, non sunt solliciti de hoc puncto, sufficit enim illis, quòd ex Verbis Christi inferatur Conversio, ad quam secundùm illos non requiritur desitio substantiæ panis: Tridentinum autem plus non dixit, quàm quòd inferatur Conversio. Pro nunc autem dando, requiri desitionem termini, adhuc potest ostendi quomodo ex veritate Verborum deducatur hæc desitio substantiæ panis.

P. Suarez ex communi sensu Patrum & Conciliorum docet, Verba Christi hanc desitionem omnino requirere, alioquin fore, vt sine ratione & auctoritate temere fingerentur miracula. Non potest enim tota substantia materialis privari quantitate & omnibus accidentibus suis, quin ipsa desinat connaturaliter existere. Quia ergo in consecratione privatur substantia panis suis accidentibus, Ecclesia à Spiritu S. edocta pro comperto semper habuit, substantiam non manere in rerum natura saltèm quoad formam substantialem: & quia materia prima non disponitur ad aliam formam substantialem, ideo connaturaliter nec ipsa manere debet, quia non minus ipsa pendet à posteriori à forma substantiali, quàm hæc ab accidentibus.

Eandem doctrinam reipsâ amplexus est Card. de Lugo, eamque magis illustravit. Docet ergo n. 169. Patres Concilij Tridentini supposuisse ex recepta philosophia (quidquid in dubium vocent Arriaga & Oviedo) Materiam primam non posse naturaliter sine forma substantiali conservari. Ait insuper, eundem sensum fuisse Patrum, atque etiam esse fidelium omnium, quòd quoties desunt dispositiones ad formam corruptibilem, & substantia illa ampliùs non comparet, ea certissimè pericrit, adeóque forma substantialis saltèm à posteriori pendeat à suis dispositionibus. Vnde concludit, Ecclesiam ex Veritate Verborum Christi optimè collegisse destructionem substantiæ panis, quia miracula non necessaria non præsumuntur: non posset autem, stante veritate verborum, manere substantia panis in rerum natura absque miraculo: esset enim opus miraculo novo, si materia maneret in rerum natura: nam postquam spoliata est omnibus accidentibus & formâ substantiali, non posset naturaliter in eodem instanti accipere aliam quantitatem & formam: vel enim hoc fieret in eodem spatio vbi erat immediatè ante consecrationem, vel in alio diverso: non primum: sic enim duæ qnantitates penetrarentur, quod naturaliter fieri non potest: non secundum, quia deberet intervenire motus localis, qui non potest fieri in instanti. Addit denique cit. Cardinalis, non esse juxta rerum naturam, quòd Deus conservando totam Quantitatem panis, conservaret alibi illam materiam cum alia quantitate, quia jam daretur major quantitas intra Cœli ambitum, quàm antè, quod fieri naturaliter non potest.

833. Contra hanc doctrinam objicit Card. Pallavicin. quòd hac ratione Concilium Tridentinum alligâsset suam definitionem varijs philosophicis principijs summè incertis & controversis, cujusmodi est, quòd Materia pendeat à posteriori à forma, & hæc ab accidentibus, quod tamen negat Oviedo & Dicastillo. Vt nos hæc omnia declinemus,

834. Existimo primò, nullâ censurâ dignum fore, qui diceret, quòd mens Concilij Tridentini non fuerit, definire, quòd in Conversione Eucharistica fiat conversio formalis, seu termini formalis *à quo* in terminum formalem *ad quem*, sed solam conversionem termini totalis in terminum totalem. Ratio est, quia, vt vidimus, sunt graves auctores, qui negant posse nomen *Conversionis* applicari termino formali: & quidem certum est, communiter non solere applicari. Videri ergo posset Concilium non accepisse Panem pro sola substantia, sed pro substantia cum suis proprietatibus, & Corpus Christi prout Sacramentaliter existens, esto solis terminis formalibus vsum fuerit. Conversio totalis igitur apertè colligitur ex verbis Christi, & hoc satis erat definire contra hæreticos, quidquid sit, an etiam inde colligatur omnimoda desitio panis, quod non erat necesse definire, quia suffecisset Concilio, si Hæretici agnovissent conversionem totalem, & separationem substantiæ panis ab accidentibus, vbicunque tandem substantiam panis, sive in concavo Lunæ sive in centro terræ, parùm philosophicè, collocâssent.

835. Existimo 2. transmittendo, & supponendo, quòd Concilium voluerit definire etiam conversionem termini formalis, non voluisse tamen definire, quòd in Eucharistica transsubstantiatione interveniant omnia, quæ à quibuscunque philosophis in hac quæstione de nomine requiruntur ad Conversionem strictè dictam, sed solùm voluisse definire, quòd interveniant illa omnia, quæ ab omnibus philosophis requiruntur ad conversionem, nimirum successionem Corporis Christi in officio circa accidentia, & pugnam terminorum formalium circa accidentia, nimirum substantiæ panis cum Corpore Christi. Nam hoc solum erat quod negabant hæretici, & hoc concesso non fuissent difficiles ad concedendum, quòd substantia panis omnino pereat. Quòd autem hæc mens Concilij fuerit, probatur instantiâ manifestâ. Thomistæ communiter volunt, ad conversionem requiri, vt terminus formalis *ad quem* novâ actione producatur: alij hoc negant: & vtique in hoc puncto nihil est definitum à Tridentino: ergo non quidquid aliquis

philosophus requirit ad conversionem, hoc erat definitum etiam in Conversione Eucharistica intervenire. ergo nec voluit definire omnimodam desitionem termini formalis, etiamsi aliqui philosophi, alijs contradicentibus, illam desitionem requirant. Hac ratione cessat præsens difficultas.

836. Existimo 3. Iterum permittendo, Concilium definivisse, omnimodam desitionem panis colligi ex verbis Christi, existimo inquam, potuisse hoc definire independenter ab omni principio philosophico incerto. Pro quo supponendum est, miracula non præsumi fieri, quando ea talia essent, quæ omnino laterent fideles, & esset communis persuasio, illa non fieri. Miracula enim fiunt ad instructionem fidelium, ad ostensionem divinæ potentiæ & bonitatis. Quapropter ad Ecclesiam etiam pertinet definire, quænam miracula fiant vel non fiant. Hoc posito

DICO, Concilium supponendo & indirectè etiam definiendo, circa substantiam panis nullum fieri miraculum contra sensum fidelium, & omnino incognitum, potuisse hoc ipso definire omnimodam desitionem panis, independenter à principijs philosophicis incertis. Declaratur. Quæcunque enim sententia philosophica vera sit, sive affirmans sive negans dependentiam substantiæ ab accidentibus, semper interveniret miraculum contra sensum fidelium, si substantia panis non omnino desineret. Si enim vera sit sententia affirmans dependentiam substantiæ ab accidentibus, tunc si substantia alibi conservaretur, fieret vtique miraculum prorsus incognitum, quia substantia connaturaliter deberet perire. Si vera sit sententia negans hanc dependentiam substantiæ ab accidentibus, tunc, vel illa substantia conservaretur alibi sine accidentibus, vel informaretur novis accidentibus: si primum, fieret iterum miraculum incognitum, exigeret enim illa substantia informari accidentibus: ergo miraculum fieret contra hanc exigentiam. Si dicatur secundum, tunc fieret miraculum transferendo insensibiliter & modo naturaliter impossibili aliò nescio quò. Econtra destructio substantiæ panis vel non est vllum miraculum, vt vult communior sententia, vel si est Miraculum, fit juxta sensum fidelium, quia omnes judicant illam desinere. Et sic absolvitur definitio Concilij ab omni principio philosophico incerto. Dico: *incerto*. nam principio certo non est absurdum alligari: vt cùm definit accidentia stare sine substantia, supponendo contra Atomistas, dari accidentia distincta à substantia.

CONTROVERSIA III.

Vtrum in Conversione Eucharistica producatur Corpus Christi novâ actione.

837. PRima, & satis celebris est sententia, tot actionibus produci Corpus Christi, quot sunt hostiæ consecratæ. Ita Suarez, Conink, Præpos. Tanner, Mendoza, Arriaga. Secunda negat. Ita, teste Vasquez, sentiunt omnes antiqui, præter vnum Gabrielem Biel. P. Valentia vocat primam ineptam quorundam RR. opinionem, & contra communem sensum omnium Theologorum, & omnium qui contra hæreticos scribunt; quam censuram non probo. Secundam ergo tenent ex RR. Valent. Vasquez, Turrianus, Bellarminus, Turrecremata, Gaspar Hurtadus, Dicastillo, Pallavicinus, Esparza.

DICO ad conversionem Eucharisticam non requiri productionem novam Corporis Christi. Omissis argumentis philosophicis, Probatur Conclusio. Si Corpus Christi deberet de novo produci, deberet hoc provenire ex verborum Christi, quorum veritas vel formaliter vel arguitivè requireret ejusmodi novam productionem, sicut requirit desitionem substantiæ panis: sed hoc non est verum. Nam vt fatentur adversarij, verba Christi essent vera absque hac nova productione, præcisè per hoc, quòd Christus fieret loco panis: & præterea omissio novæ actionis non esset miraculosa, sed potiùs nova productio esset novum Miraculum non necessarium. Sequela autem probatur ex Tridentino, colligente conversionem ex veritate verborum: ergo ad hanc conversionem requireretur nova productio Corporis Christi, deberet ea colligi ex veritate verborum Christi.

Respondet P. Conink, ex verbis Christi colligi, Christum replicari: atqui replicatio non potest fieri sine nova productione termini, ergo non datur vbicatio distincta à re vbicata quoque productione. Sed hæc responsio nititur principio falso.

P. Suarez *s. 4. §. Tertiò igitur argumento*, respondet, quòd verba Christi intellexerit Ecclesia, quò cum majore proprietate & decentia verificarentur, idque declarat exemplo aquæ in vinum conversæ in Cana Galilææ, quam conventionem fuisse veram, & non meram translationem aquæ in alium locum, & adductionem vini ex alio loco, semper intellexit Ecclesia.

838. Hanc responsionem benè rejicit Lugo: tum quia hæc major perfectio esset mere materialis, & nullo modo formalis, ad verificandum quòd *Hoc sit Corpus Christi*. tum quia exemplum allatum non est ad rem: nam supposito quòd Christus in Cana Galilææ jusserit aquam haurire & affundi, & non voluerit ludificare spectantes, sed primo miraculo suam divinitatem comprobare, debuit ea facere, quæ spectantes judicârunt esse facta: judicabant autem aquam vbicârè esse conversam in vinum, nam quando videmus vnam substantiam desinere comparere, & aliam in ejus locum substitui sine motu locali, judicamus priorem esse conversam in hanc, vt argumentatur S. Thomas *q. 75. a. 2.* Econtra communis fidelium sensus benè concipit Corpus Christi substare accidentibus, absque eo quòd de novo producatur, de quo non cogitant, nec vlla ratio cogit,

cogit, & est satis magnum miraculum replicari & alligari speciebus : ergo responsio non satisfacit. Mihi sanè certissimum est, quòd si hæretici agnovissent præsentiam Corporis Christi, & absentiam substantiæ panis, negando tamen reproductionem, quòd inquam Ecclesia nullam illis de reproductione quæstionem movisset : ergo verum non est, quòd Ecclesia voluerit à fidelibus exigere fidem reproductionis, ad verificanda verba Christi cum majore proprietate & decentiâ.

839. Objiciunt 1. Ad rationem conversionis requiritur destructio termini formalis *à quo*, vt dicatur converti in terminum formalem ad quem. ergo etiam requiritur productio termini *ad quem*. Probatur Conseq. Quia oppositorum est eadem ratio. R. 1. Si à termino *à quo* liceret argumentari ad terminum *ad quem*, argumentum æquè procederet contra adversarios, nam terminus *à quo* ita debet desinere, vt nullo modo ampliùs existat in rerum natura (vt adversarij supponunt) neque ad conversionem sufficeret, si terminus *à quo* pluribus actionibus priùs conservatus fuisset, & vna harum actionum desineret reliquis perseverantibus, alioquin Christus converteretur in vermes vel substantiam chyli, quia desineret vna actio conservativa Christi, quam sequelam improbant adversarij tanquam absurdam. ergo pariter ad conversionem non sufficeret terminum ad quem novâ secundâ actione produci, sed deberet ità produci, vt inciperet primò esse. ergo terminus ad quem non debet necessariò eo modo poni, quo tollitur terminus *à quo*.

Ad hanc retorsionem respondet Arriaga dupliciter. primò esse discrimen inter *destrui* & *produci*. quia *destrui* est terminus negativus, & ideo ad eum verificandum non sufficit desinere vnam actionem, sed opus est, vt omnino desinat. *Produci* verò esse terminum affirmativum, ad quem verificandum sufficit vna actio qualiscunque. Hæc sunt verissima, sed extra rem. Ego non quæro, cur terminus ad quem possit produci quin incipiat esse absolutè, & cur terminus à quo debeat omnino desinere, vt dicatur destrui, sed hoc quæro, cur ad rationem conversionis requiratur omnimoda desitio termini à quo, & non pariter omnimoda inceptio termini ad quem ?

Itaque Arriaga n. 21. subjungit secundam responsionem, contradictoriam prioris. [Ad rationem, inquit, Conversionis sufficit, si in termino *à quo* cesset aliqua actio substantialis quâ conservabatur, licèt maneat altera, ratione cujus res illa absolutè existat in rerum natura.] Hæc ille. quæ non videntur cohærere cum illis, quæ habet intra duas columnas; quod ostendo duplici argumento, cujus major & minor propositio est ipsius Arriagæ, consequentia verò est contradictoria verborum relatorum. Itaque num. 16. habet hæc verba : *Dico primò, requiri destructionem termini formalis* à quo. *hæc est communis omnium.* jam sic argumentor. Destructio est omnimoda desitio. (ita Arriaga : n. 20.) sed terminus formalis *à quo* debet destrui (ita idem n. 16.) ergo non sufficit, si tantùm desinat vna actio & terminus maneat absolutè existens in rerum natura. quæ est contradictoria secundæ responsionis relatæ ex num. 21. Vel sic. Destrui, est desinere omnino existere (ita habet n. 20.) sed terminus formalis *à quo* non debet omnino desinere. (ita habet n. 21.) ergo terminus formalis non debet destrui, quæ est contradictoria eorum quæ habet n. 16.

Certum itaque est, quòd ad Conversionem vel requiratur omnimoda desitio termini *à quo*, vt habet communior (sed non omnium vt dicebat Arriaga) opinio, vel quòd neque requiratur vnius actionis conservativæ desitio, sed sufficiat desitio vnionis cum tertio communi. Patet. Nam qui requirunt omnimodam desitionem, potissimùm id probant ab absurdo, quòd scilicet alioquin Christus converteretur in vermes : atqui hoc etiam sequitur, si sufficit vnius actionis conservativæ desitio : ergo vel hoc non sufficit, vel non requiritur. Nunc ad objectionem

R. 2. & directè, transeat antecedens, negatur consequentia, & paritas inter terminum *à quo*, & *ad quem*. Disparitas desumenda est ex communi modo loquendi & vsurpandi vocem, *Conversio*, quæ regulariter tunc tantùm adhibetur, quando terminus *à quo* omnino desinit, etiamsi terminus ad quem non producatur de novo, & suprà vidimus afferri rationes plausibiles pro omnimoda desitione termini *à quo*, quales non afferuntur pro nova productione termini *ad quem*.

840. Objiciunt 2. Terminus totalis *ad quem* debet produci de novo, ergo etiam terminus formalis *ad quem*. Retorquetur. Terminus totalis debet omnino de novo incipere : ergo & formalis, quod tamen etiam adversarij negant : ergo non valet ab vno termino ad alium argumentatio. Discrimen est, quia ad omnem conversionem requiritur successio termini *ad quem* : atqui talis successio nec intelligi potest, nisi terminus formalis incipiat de novo exercere munus quod priùs non exercebat : ergo debet de novo fieri connexio cum tertio communi, quæ connexio constituit intrinsecè terminum totalem : ergo ratione hujus debet terminus totalis de novo incipere : nulla autem talis ratio afferri potest pro termino formali.

841. Objiciunt 3. Conversio Eucharistica est vera transubstantiatio, vt definit Trid. adéoque est conversio substantialis : ergo debet terminus substantialis produci. Probatur consequentia, quia Transubstantiatio & Conversio substantialis denominatur à productione termini substantialis. Confirmatur. Conversio vt conversio est actio & productio : ergo idem est terminus conversionis & productionis : sed terminus formalis Conversionis substantialis (qualis est Eucharistica) debet esse substantia : ergo etiam actionis.

R. Ecclesiam definivisse quidem, hanc Conversionem esse transubstantiationem, hoc est con-

versionem substantiæ in substantiam, non tamen vocâsse *Conversionem substantialem*, sed conversionem substantiæ in substantiam. Concesso itaque antecedente negatur consequentia: ad probationem negatur, Conversionem substantiæ in substantiam seu Transsubstantiationem denominari à productione termini substantialis, sed ab introductione termini substantialis; introductio autem termini substantialis in compositum accidentale bene intelligi potest sine productione termini substantialis, vt patet. Ratio responsionis est, quia quantumvis producatur Corpus Christi, nisi substituatur & introducatur in locum panis, non potest dici panis conversus in Corpus Christi, ergo Conversio quà talis non denominatur à productione termini substantialis (vt patet in conversione alimenti in hominem) sed ab ejus introductione, adeóque si est introductio termini substantialis, bene potest dici conversio substantialis; sicut etiam augmentatio quantitativa non denominatur talis à termino producto (non enim producitur Quantitas) sed ab introducta quantitate. Pari modo quia Corpus Christi vtpote substantia introducitur, rectè dicitur Transubstantiatio, seu conversio substantialis panis in Corpus Christi.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quæ etiam adversarijs in simili neganda est, vt si dicerem. Augmentatio vt augmentatio est actio: ergo idem est terminus augmentationis & actionis productivæ: quod est falsum: quia terminus augmentationis est quantitas, actionis autem est vnio. Item Introductio quà talis est actio: ergo introductio animæ rationalis in novam materiam per nutritionem, est productio animæ rationalis. mala consequentia. Claritatis gratia distingui potest antecedens. Conversio vt connexionis est productio illius quod introducitur, & in quod fit conversio, nego: est productio conjunctionis & connexionis, concedo antecedens, & distinguo consequens: est idem terminus conversionis & actionis specificativè sumptæ, concedo, reduplicativè sumptæ nego.

Dices. Ergo Transubstantiatio erit mera actio adductiva, quod communiter à RR. vtsurdum rejicitur. R. Negando sequelam. Non actio merè adductiva plus non dicit, quàm productionem Vbicationis, & quidem mediante motu locali. Nos autem dicimus, hanc conversionem consistere in actione introductiva seu substitutiva Corporis Christi sub speciebus loco panis, conservando accidentia sine pane, & deperdita reparando intuitu Christi stabiliter præfixi in Decreto Dei. quæ omnia ex supra dictis constant.

CAPVT VI.

DE IIS QVÆ VEL VI VERBORVM, VEL PER CONCOMITANTIAM PONVNTVR IN EVCHARISTIA.

CONTROVERSIA I.

Quid ponatur vi verborum sub speciebus Panis.

842. CErtum est primò, & quidem de fide, totum Christum secundùm omnia quæ substantialiter includit, quatenus est suppositum in duplici natura subsistens, sub quavis specie contineri. ita definitum est in Constantiensi, Basileensi, Florentino, ac tandem Tridentino, contra Sectarios, volentes solum corpus sub speciebus panis, & solum sanguinem sub speciebus vini constitui. Veritas Catholica desumitur ex Jo. 6. *Qui manducat me. Ego sum panis vivus.* Fundamentum est physica connexio partium inter se, vt tradit Tridentinum, vi cujus fit, vt vbicunque ponitur vnum extremum, debeat connaturaliter poni per concomitantiam alterum extremum, nisi sit specialis repugnantia: aliqui tamen volunt connaturaliter ea solùm replicari, quæ pertinent ad naturale subjecti complementum. ita Arriaga & Dicastillus sed hoc ad philosophos spectat.

Certum de fide est 2. factâ specierum divisione, totum Christum esse sub quavis specierum parte. Ita Florentinum & Tridentinum, *sess. 13. c. 3. & can. 3.* ex quo loco etiam satis clarè colligitur, ante divisionem quoque specierum jam esse Christum sub quavis specierum parte, & ratio est, quia si ante divisionem Christus non esset totus sub quavis parte, sequeretur, factâ divisione, Christum nova consecratione incipere Christum esse totum sub vna parte hostiæ, sub qua antè non erat, quod dici non potest, quamvis ab aliquibus tribuatur Alberto & Altisiodorensi, qui tamen intelligi possunt de Vbicatione.

Certum est 3. non solùm carnem, sed etiam ossa & nervos esse in Eucharistia: nam be-

cæ

cèt Christus dixerit: *Caro mea verè est cibus*. per *Carnem* tamen intellexit totum corpus, vt patet tum ex verbis consecrationis, tum ex simili loquendi modo quo vsus est S. Athanasius, dicens: Anima rationalis & Caro vnus est homo. Idem dicendum de vnguibus, capillis, dentibus, sive animentur, sive non: pertinent enim ad integritatem Corporis Christi, quod modo habet in Cœlo. Illæ verò partes, quas Christus fortè post institutionem hujus Sacramenti naturaliter deperdidit, & non recuperavit, modò non ponuntur.

Certum est 4. non solùm illum sanguinem poni in Eucharistia, quem actu effudit (vt quidam senserunt) sed etiam quem in cruce adhuc in corpore retinuit, si quem retinuit, sive intra venas, sive intra arteriam, sive in jecore &c. & quem etiam reassumpsit, ac modò habet in Cœlo. Neque obstant illa verba: *Qui pro vobis effundetur.* Nam hoc totum verum est, etiamsi non totus sanguis effusus sit.

Certum est 5. totam Quantitatem Christi poni in Eucharistia. Durandus, qui hoc negavit, falso nixus est fundamento, quasi repugnet, quantitatem poni definitivè. Ex alio falso fundamento id negârunt Gabriel, Major, & Okam, arbitrantes, quantitatem esse ipsam actuâlem extensionem partium. Itaque in Eucharistia ponuntur omnia accidentia absoluta à loco, non autem ipsa Vbicatio cœlestis, suppositâ communi sententiâ, quòd Vbi non possit replicari.

Vi Verborum formaliter illud poni dicitur sub speciebus, quod per verba consecrationis significatur, & cujus præsentia requiritur ad veritatem verborum. Poni autem ex vi verborum Corpus Christi sub speciebus panis, & sanguinem sub speciebus vini, econtra verò per concomitantiam poni sanguinem sub speciebus panis, & corpus sub speciebus vini, animamque sub vtraque specie, definitum est in Trid. *s.* 13. *c.* 3. Hinc

843. Nascitur quæstio, quid significetur per nomen *Corpus*, in verbis Consecrationis. Nam hoc significatum tandem est illud, quod solum ponitur vi verborum consecrationis panis.

Prima sententia est, significari solam materiam primam. ita Gabr. Major, Marsilius, Palud. Ægidius, apud Suarez. Secunda est, significari Materiam connotando formam substantialem in obliquo. Sotus, Ledesma, apud Vasquez. Tertia est, significari materiam informatam formis partialibus ossis, carnis, nervorum &c. Quarta est, significari corpus prout est genus subalternum in linea prædicamentali. Durandus, Cajetanus & Thomistæ communiter. Econtra Scotistæ recurrunt ad suam formam Corporeitatis. Quinta est, significari Materiam cum forma secundùm rationem abstrahentem à forma viventis & mortui. Ità Suarez, à quo vix differunt Gaspar Hurt. & Dicastillo. Sexta est Card. de Lugo, qui dicit, Corpus significare materiam cum aliqua organizatione, disjunctivè & indeterminatè sumptâ, vel substantiali vel accidentali: substantialem Organizationem ponit in diversitate heterogenea partium, vel ipsius animæ vel vnionis. Septima denique sententia est, Corpus aliud non significare, quàm materiam cum organizatione accidentali, v. g. ossis, carnis &c. Ità Arriaga.

Ex hac sententiarum diversitate, quamvis sit lis de nomine *Corpus*, eligenda tamen est illa, quæ minimè præjudicet definitioni Tridentini paulò antè relatæ, & quæ magis consentanea videtur communi modo concipiendi & loquendi, quo dicimus, hominem constare Corpore & animâ.

844. DICO 1. Per *Corpus* non significatur sola materia prima. Probatur. Nemo enim propriè loquendo diceret, in igne hominis combusti aut in cineribus, existere corpus hominis combusti. Deinde tam docti quàm indocti vocant Corpus alteram partem animalium distinctam ab anima, cùm dicunt constare corpore & animâ, quo sensu non dicunt corpora non organica constare corpore & formâ: ergo per *Corpus* nolunt significare Materiam nudè, sed affectam organo.

DICO 2. Neque significatur Materia cum anima rationali determinatè. Probatur. Si enim hanc significaret, poneretur anima rationalis vi verborum formaliter sub speciebus panis, & non merè concomitanter, quod est contra Tridentinum.

DICO 3. Neque significatur gradus genericus Corporis in linea prædicamentali. Probatur 1. Per *Corpus* significatur hoc loco substantia incompleta, & prout est compars animæ in toto. atqui Gradus lineæ prædicamentalis est substantia completa. Ergo &c. Probatur 2. Gradus ille Corporis semper manet etiam combusto corpore, & tamen non dicitur manere corpus Petri combusti vel putrefacti in sepulchro.

DICO 4. Neque etiam significatur Materia cum forma secundùm rationem communem ad formam Viventis & Mortui. Probatur. Nam vi verborum ponitur gradus individualis corporis quà talis, vt patet ex particula *Hoc*, &, *Meum.* ergo non est recurrendum ad gradum genericum.

DICO 5. Nomine Corporis non significatur vnicè sub disjunctione Materia, vel cum anima vel cum forma cadaverica. Probatur. Si nomen *Corpus*, necessariò significat formam substantialem, sequitur, vi verborum poni aliquo modo formam substantialem: consequens est falsum: sequeretur enim vlteriùs, poni vi verborum animam rationalem, quod est contra Trident. Probatur hæc sequela: illud omne ponitur defacto vi verborum, per quod defacto constituitur Corpus Christi, ità vt eo non posito, positis cæteris quæ defacto habet Christus, non poneretur Corpus Christi: atqui defacto anima Christi (in sententia quam impugnamus) ità constituit determinatè Corpus Christi, vt illâ non positâ, cæteris omnibus positis quæ defacto habet Christus, non esset positum Corpus Christi. ergo &c.

845. Re-

845. Respondebunt, ideo animam non poni vi verborum, quia licèt defacto respectu illius verificetur nomen Corporis, posset tamen etiam verificari, si non illa, sed forma cadaverica adesset, adeóque negarent majorem, & dicerent, illud poni vi verborum, sine quo in nullo casu verba possent esse vera: hujusmodi autem non est anima rationalis determinatè sed disjunctim sumpta.

Sed contra, quia, vt bene argumentatur Lugo n. 76. ad veritatem verborum non ea solùm requiruntur, sine quibus in nullo vnquam casu verba essent vera, sed etiam ea, sine quibus hic & nunc essent falsa. atqui, licèt in triduo mortis vera fuissent verba consecrationis, sine anima rationali posita, defacto tamen non essent vera sine illa omnibus cæteris positis quæ sunt in Christo, quia defacto non datur forma cadaverica, per cujus positionem verificaretur vox *Corpus*, sicut aderat in triduo mortis. ergo responsio data non sufficit. Major probatur. Defacto in omnium sententia ponitur vi verborum totum & plenum Corpus Christi, sicut & totus sanguis quem defacto habet sub specie vini, esto verba consecrationis vera fuissent pro tempore, quo Christus non habebat tam plenum corpus, sed jejunijs attenuatum: ergo ad veritatem verborum non sufficit poni id, quod in alijs circumstantijs sufficeret ad ea verificanda, sed requiritur omne id, quod in casu præsente requiritur determinatè, vt verba sint vera.

Confirmatur. Nam sicut non pro quocunque casu ad verificanda verba requiritur anima, ità nec requiritur hæc materia determinata quam Christus modò habet, nam successivè alias & alias particulas perdidit & acquisivit: atqui si modò ponerentur partes quas aliquando habuit sed modò non habet sine partibus quas modò habet, verba consecrationis defacto non essent vera, licèt pro illo alio tempore fuissent vera, quia non poneretur id, quod modò est Corpus Christi prout significat forma Verborum: ergo pari modo etiamsi poneretur modò forma cadaverica, non poneretur Corpus Christi quod habet nunc, si non poneretur anima, si vera esset sententia Vasquez quam impugnamus: ergo anima quà talis poneretur vi verborum.

846. DICO 6. Probabilius mihi est, hoc nomen *Corpus* vsurpatum ad significandam alteram partem animalis, non esse primò impositum, nec communiter & vulgò vsurpari ad significandam organizationem substantialem, provenientem formaliter ab anima, ne quidem disjunctivè & indeterminatè, esto detur talis organizatio substantialis. Probatur. Nam quando homines dicunt: *Homo constat corpore & animâ*: loquuntur de duabus partibus ità contradistinctis ab invicem, vt neutra alteram importet & includat in obliquo. alioquin propositio ità resolvenda esset: *homo constat materiâ habente animam rationalem & animâ rationali*, quod idem esset ac dicere: *homo constat animato & animâ*. quo loquendi modo nemo vtitur. ergo vera est conclusio.

847. DICO 7. Etiamsi permittamus dari formas partiales substantiales, non propterea per nomen *Corpus* significantur illæ determinatè & vnicè in obliquo. Conclusio non solùm est contra illos, qui formas partiales admittunt, cuique putant ex Mysterio Eucharistiæ probari, sed insuper est contra P. Dicastillo, qui putat, admissis formis partialibus eas per *Corpus* in obliquo importari. Probo Conclusionem. Si dentur formæ partiales, ad eas ipsas prærequiruntur diversæ dispositiones accidentales in diversis partibus materiæ. ponamus ergo per absolutam Dei potentiam non poni formas partiales, quidquid ipso prohibet materiam cum illa diversitate dispositionum accidentalium vocare Corpus organicum: quid enim est aliud Corpus organicum, quam materia habens diversa organa, seu heterogeneitates, in ordine ad diversas operationes immanentes eliciendas? quidni in illo casu adhuc possent elici hujusmodi operationes, quandoquidem formæ partiales non influunt, sed tantùm cum accidentibus? Vnde sic argumentor. Illud non ponitur quà tale vi verborum, quod quia non requiritur determinatè ad verificandum verbum: *Corpus*. sed formæ partiales quà tales non requiruntur, quia etiam sine illis verificaretur præcisè per positionem organizationis accidentalis: ergo &c. Itaque si formæ partiales dentur, ad summum illæ significabuntur disjunctivè & indeterminatè per *Corpus*, sc. vel organizatio substantialis vel accidentalis, quarum neutra determinatè requiretur, & ideo neutra determinatè ponetur vi verborum. Quia verò hodie communior est opinio, formas partiales non dari, idem

848. DICO 8. probabilius est, per *Corpus* significari Materiam cum organizatione accidentali determinatè. Probata manet Conclusio ex rejectione aliarum sententiarum, & quia id facilè declaratur, quàm rectè dixerit Tridentinum, animam poni concomitanter, hoc enim secundùm hanc Conclusionem verum est in omni rigore etiam physico, nec quidquam cogit recurrere ad illam duplicem organizationem disjunctim importatam, ità vt anima indeterminatè sumpta ponatur vi verborum formaliter, determinatè verò eadem anima ponatur concomitanter, vt putat Lugo. Sanè, si syncerè loqui velimus TÒ *concomitanter poni*; supponit assignabile esse aliquid determinatum, quod formaliter ponitur.

849. Objicitur 1. Si in homine nullo daretur organizatio accidentalis, adhuc verum esset dicere: Homo constat corpore & animâ: ergo tunc non verificaretur ratione organizationis accidentalis: ergo ratione organizationis substantialis. Respondet Arriaga rotundè, negando antecedens, & meritò: quia de illo casu nunquam seriò & proprie cogitarunt primi inventores impossibili non cogitârunt primi inventores res hujus vocis *Corpus*. ergo nec extenderunt ad illum. Potest etiam distingui antecedens. Esset verum

verum dicere phrasi scholasticâ & metaphysicâ, transeat antecedens : attento conceptu vulgari, quem Concilium magis præ oculis habuit, nego.

Objicitur 2. Ergo conversio Eucharistica non est merè substantialis, sed partim substantialis partim accidentalis. Probatur sequela. Nam panis convertitur in omne illud, quod vi verborum ponitur : atqui id quod vi verborum ponitur, partim est substantia, nempe materia prima, partim accidentia, nempe organa. Respondet Vasquez concedendo sequelam : neque Tridentinum negavit intervenire etiam conversionem accidentalem ex parte termini ad quem. Verùm neganda est sequela ex duplici capite : primò, quia in illud solum fit conversio, quod formaliter succedit termino *à quo* in munere & officio : hoc autem convenit soli substantiæ Corporis Christi, non accidentibus. 2. quia in illud solum fit conversio, quod immediatè pugnat cum termino *à quo* in ordine ad tertium : atqui accidentia Christi non pugnant immediatè cum substantia panis in ordine ad accidentia panis, sed præsupponunt materiam primam immediatè pugnantem.

CONTROVERSIA II.

Quid ponatur vi verborum sub speciebus vini.

850. DICO 1. In sententia communiore Medicorum & Physicorum, quòd sanguis in corpore non sit animatus, sed habeat formam substantialem vltimatam contradistinctam ab anima, vi verborum ponitur non solùm materia, sed etiam illa forma substantialis, accidentia autem concomitanter. Probatur. Nam in hac philosophica sententia vox *Sanguis* non significat materiam organizatam, sed significat naturam substantialem, importantem vtramque partem æqualiter in recto, sicut lac, vinum, aqua. ergo ad veritatem verborum consecrationis non minùs necesse est poni formam sanguinis, quàm materiam.

DICO 2. In sententia asserente Sanguinem animari, philosophandum est de sanguine, sicut philosophati sumus de Corpore Christi, nempe, quòd sanguis sonet partem organizatam, adeoque importet materiam in recto, & organizationem accidentalem in obliquo : vel si quis mavult cum Lugone dicere, τὸ Corpus abstrahere ab organizatione substantiali & accidentali, etiam in præsenti eodem modo philosophabitur.

CONTROVERSIA III.

Quomodo Divinitas & Personalitates divinæ existant in Eucharistia.

851. CErtum est, propriè & formaliter loquendo, Divinitatem non poni in Eucharistia, cùm jam ante consecrationem ibi sit, nec vi consecrationis accipiat novam vbicationem, sicut Corpus Christi.

Dubitârunt aliqui, an Verbum significetur formaliter & vi verborum vt præsens, adeo vt si per impossibile non existeret vbique, deberet vi verborum esse præsens.

Dicendum est, Verbum tantùm esse præsens per concomitantiam, propter admirabilem illius cum Corpore & anima conjunctionem.

852. Objicies 1. Pronomen *Meum* significat corpus haberi & possideri à Personalitate ac subsistere : ergo significatur formaliter Personalitas. R. τὸ *Meum* adhuc verificatum iri, etiamsi nec vnio nec Personalitas esset præsens ipsis accidentibus Eucharisticis. Ratio est, quia ex recepto modo loquendi & vsurpandi pronomen *Meum*, ad hoc vt aliquid sit meum, sufficit, esse mihi à parte rei conjunctum eâ conjunctione (sive physicâ sive morali aut civili) vi cujus dicitur esse *meum*, etiamsi ego non existam ibi, vbi est illud quod dicitur meum. Sic Pater audiens nomen Filij sui Francisci, potest dicere : est meus filius, vbicunque ille sit, & ità inscribimus Epistolas : Meo fratri ; cognato &c.

Replicabis. Ergo eodem modo posset quis dicere, ad verificanda verba consecrationis, non esse opus poni sub speciebus vllam organizationem, sed sufficere, si ponatur ibi materia prima, quæ habeat à parte rei alibi sibi vnitam organizationem, consequens nemo admittit. R. Negando sequelam & paritatem : disparitas desumitur ex vsu communi hujusmodi vocabulorum & locutionum, quibus volumus significare, in illo loco non solùm esse subjectum, sed etiam formam à quâ denominatur sub illo vocabulo quo tunc vtimur, v. g. si quis diceret : *hic est frigidus aër* : non censeretur verum dicere, si aër hic existens alibi replicatus haberet frigus, sed deberet hic habere frigus, & sic de alijs, præsertim formam physicam importantibus concretis. Ita planè Christus cùm invitaret Apostolos ad manducandum, dicendo : *accipite & comedite : hoc est corpus meum*, decepisset Apostolos, si illis tantùm porrexisset Materiam primam sui corporis ; nam illud quod formaliter voluit exprimere, erat Corpus, sicut quando dixit : *Caro mea verè est cibus*. Vnde Apostoli meritò supposuerunt, se comedere carnem Christi : nemo autem diceretur comedisse carnem, qui comederet materiam primam alibi affectam formâ carnis : jejunium certè non violaret.

Objicitur 2. In sententia quòd sanguis non animetur, sanguis habet suam subsistentiam specialem, & illam vt talem importat : ergo illius subsistentia poni debet vi verborum : sed subsistentia sanguinis Christi est ipsum verbum : ergo vi verborum debet saltem in calice existere Personalitas Verbi. R. Quando loquimur de sanguine vt est pars hominis, non importatur subsistentia, sed præcisè natura, alioquin non posset

cum veritate dici Verbum assumpsisse sanguinem: sicut ergo quando nominamus caput, manum &c. non significamus subsistentiam partialem capitis, manùs &c. nam rectè dicitur natura humana constare capite, manu &c. ità etiam de sanguine philosophandum est.

853. Quæritur vlteriùs, an in Eucharistia saltèm per concomitantiam adsit speciali titulo Pater & Spiritus S. Respondet S. Thomas & cum eo Theologi affirmativè: sicut enim sunt cum Humanitate propter conjunctionem cum Verbo, ità rectè dicuntur esse in Eucharistia. & ita S. Thomas *opusc. 63. c. 2. p. 3.* dixit: Quoties à Sacerdote oblatum fuerit hoc sacrificium, toties Deus Pater cum Filio & Spiritu S. se totum ad fruendum exhibet, quod idem dixerat S. Bernardus.

CAPVT VII.

DE ACCIDENTIBVS PANIS ET VINI MANENTIBVS IN EVCHARISTIA.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Accidentia Panis remaneant.

854. REcentiores aliqui, quorum meminit Card. Pallavicin. & Esparza, ausi sunt dicere, probabile esse, quòd nihil remaneat physicum & reale in Eucharistia ex accidentibus panis & vini, sed tantùm interveniant species intentionales existentes in aëre & sensibus. Porrò has species ajunt esse species ipsius Corporis Christi, caussatas seu emissas à quibusdam particulis Corporis Christi. nam teste Divo Thoma *3. p. q. 54. a. 1. ad. 2. & 3.* Corpus gloriosum potest modificare suam apparentiam prout vult. Addunt deinde, posse etiam dici, species intentionales panis & vini manere sine accidentibus illis realibus quæ repræsentant, & à quibus priùs emittebantur.

Dicendum est, remanere realia accidentia panis, & sententiam contrariam ad minimùm esse temerariam, si non omnino directè contra articulum fidei, definitum in Tridentino aliisque Concilijs, dicentibus, manere duntaxat species panis, & Christum esse sub speciebus, & sub singulis earum partibus separatione factâ. Et quidem Constantiense Concilium damnat VVicleffi propositionem hanc: *Accidentia panis non manent sine subjecto in hoc Sacramento.* Porrò Concilia definiendo manere species, vtique in eo sensu definierunt, in quo & antè & postea communis fidelium & Doctorum sensus eas manere apprehendit, nempe illa, quæ ex parte objecti sensus judicant manere, vt albedinem, saporem, humiditatem: nam per hæc, & non per species intentionales denominatur Corpus Christi sensibile & designabile signum.

Confirmatur. Horum Christi verborum *Hoc est Corpus meum*, sensus clarus & apertus est iste: id quod in fine propositionis subest istis accidentibus, quæ videntur toto locutionis tempore, est corpus meum: ergo accidentia, quæ Christus designabat per part. *Hoc*, debebant manere in fine propositionis; alioquin verba Christi continerent falsam suppositionem, prout etiam advertit P. Esparza.

855. Controversum est, an definitio Conciliorum se extendat ad omnia prorsus accidentia realia panis, quæ à substantia panis separari possunt, etiamsi non percipiantur sensibus, vt hæc sunt qualitates occultæ. Affirmat Vasquez, colligens ex illa particula Tridentini: *Duntaxat* Non, inquit, si non est de fide omnia manere: ergo non est de fide illa non manere quæ non percipiuntur sensibus.] Rectiùs tamen videtur negare Suarez, Arriaga & alij, quia per part. *Duntaxat*, voluit Concilium solùm excludere substantiam, vt patet ex scopo Canonis. Nihilominus, etsi Concilij definitio non se ad omnia extendat, est tamen vtrimis DD. sententia, omnia manere, quia omnia aliquo modo percipiuntur sensibus, immediatè vel mediatè, & quia non est ratio cur destruantur, præsertim si Quantitas est subjectum commune accidentium, & sic meliùs intelligitur, quomodo Christus succedat Pani, & denominetur Panis.

CONTROVERSIA II.

Quomodo ex speciebus consecratis generetur Substantia.

856. CErtum est 1. Accidentia Eucharistica tandem corrumpi, vt Christus desinat esse sub illis; vnde sequitur, quòd ibi penitùs cantur accidentibus contraria accidentibus panis & quæ, quantùm est ex se, consecutivè & disposi- tivè expellerent formam panis ex materia, si substantia panis subsistaret illis accidentibus.

Certum est 2. & teste S. Thomâ ad sensum manifestum est, ex speciebus Sacramentalibus aliquid generari per earum corruptionem, vt ex

mus.

mes, cineres, item in stomacho chilum: vnde & homo nutriri posset, quidquid dubitaverit Parisiensis, V Valdensis & alij. Quæritur ergo, quomodo & ex quo subjecto hæc generatio fiat, cùm nulla adsit materia, ex qua forma vermis aût cineris &c. educatur.

S. Thomas *in 4. dist. 12. a. 2. quæstiunc. 4.* explosis aliorum sententijs ex se satis absurdis, duas refert: prima est, reproduci Materiam primam, vel eandem numero quæ destructa erat, vel aliam, & ex ea deinde educi formam substantialem. Altera est, formam substantialem educi ex quantitate, cui Deus det virtutem materiæ, propter ejus cum materia propinquitatem. Priorem opinionem ait esse probabilem, posteriorem verò videtur præferre. vnde non rectè dixit P. Dicastillo, S. Thomam expressè tenere hîc priorem. Postmodum S. D. in sua Summa *q. 77. a. 5.* priorem illam rejicit, & apertè amplectitur posteriorem, his verbis. [Meliùs videtur dicendum, quòd in ipsa consecratione miraculosè datur Quantitati dimensivæ panis & vini, quòd sit primum subjectum sequentium formarum.]

Hæc sententia, quam teste Soto tenuerunt antiqui Thomistæ, ipsis Thomistis non ampliùs placet, & dum Cajetanus eam conatur in bonum sensum trahere, aliam incredibiliorem substituit (cui consentit Sotus) nempe ipsam Quantitatem fieri Materiam, ità vt eadem omnino res, quæ antea erat quantitas, fiat Materia. In his rejiciendis non est Theologo immorandum, sed ex philosophia supponendum, quòd forma substantialis non possit cum accidente constituere substantiam completam, vt est vermis &c. multò minùs Quantitas fieri Materia.

857. Dicendum ergo est, produci in instanti generationis Materiam primam, eamque vniri quantitati Eucharisticæ, & ex illa materia educi formam substantialem.

Objicitur. Hoc non posse contingere sine mutua prioritate inter materiam, & accidentia. Nam imprimis materia præsupponitur ad illa accidentia in instanti suæ productionis, quia quantitas ab illa sustentatur: econtra quantitas cum cæteris dispositionibus præsupponitur ad productionem Materiæ: ideo enim producitur à Deo materia in hoc instanti, quia videt esse positam vltimam dispositionem ad formam substantialem vermis v. g. nisi enim hoc videret, adhuc relinqueret ibi Corpus Christi.

Responderi posset 1. In primo signo intelligi quantitatem cum cæteris accidentibus, & vltimâ dispositione, sed independenter à materia prima, in secundo signo produci materiam primam, in tertio educi vnionem illius cum quantitate (nec enim est absurdum formam creativè existentem vniri per vnionem eductam, vt patet in anima rationali) in quarto signo desinere Corpus Christi esse ibi, & produci formam substantialem: postea verò in sequenti instanti reali educi quantitatem è materia & vnâ cum cæteris accidentibus pendere à Materiâ: sicut insimili philosophantur aliqui de dispositionibus, quas dicunt in primo instanti Generationis pendere ab agente extrinseco, & præsupponi ad formam substantialem educendam, deinceps verò ab ea emanare.

Respondetur tamen secundò & faciliùs, accidentia nunquam præsupponi pro priori signo Naturæ ad Materiam, sed ex eo quòd pro instanti A. reali præcesserit penultima dispositio ad formam vermis, & quòd in instanti B. perseveret adhuc applicatum agens, aptum producere vltimam dispositionem, hoc viso Deus producit in instanti B. pro posteriore signo naturæ Materiam primam, in tertio signo desinit ibi esse Corpus Christi, vtpote cedens materiæ, quæ illis accidentibus subsistet: deinde producitur vltima dispositio, ac denique forma substantialis.

858. Quæres, an producatur Materia nova, distincta ab ea quæ fuit per consecrationē destructa, vel an reproducatur illa ipsa quæ destructa fuit. S. Thomas ait, irrationabiliter dici, reproduci priorem materiam, putat enim fore miraculum si eadem res reproduceretur.

E contrario S. Bonaventura, Alensis, Suarez, Conink, Tanner, Gaspar Hurtadus, Lugo, Pallavicinus, Arriaga, Esparza, docent eandem reproduci, cujus variæ afferuntur rationes. Prima est, quia Quantitas, vtpote coæva Materiæ, videtur habere respectum & exigentiam ad hanc numero materiam, aut certè postquam semel in illa fuit, exigit non poni in alia. Secunda. Materia ex Natura sua erat incorruptibilis: ergo cùm per violentiam & contra suam Naturam fuerit corrupta, mirum non est, si dato casu quo nova producenda est ex vi præcedentis violentæ destructionis ipsa reproducatur, & sic quasi in integrum restituatur. Tertia ratio, quæ est Pallavicini & declaratoria prioris. Materia prima non solùm habebat jus subsistandi accidentibus (in quod jus successit Christus) sed etiam habebat jus vt retineret existentiam mutatis his accidentibus: hoc autem jus non videtur auferri à materia per consecrationem, vtpote quæ vi miraculi perdit ex naturalibus minimum quod potest fieri. atque adeo perdit solam durationem temporaneam, non æternam, quam perderet si non reproduceretur deficientibus accidentibus panis. Confirmatur ab eodem. Sic enim meliùs defenditur, quomodo singuli sint resurrecturi cum corporibus suis, si nempe nihil materiæ vllius hominis deficiat in fine mundi, quod tamen facilè fieri posset, nisi reproduceretur. poterat enim aliqua materia corporis humani accepisse formam panis, & fuisse consecrata.

Objicitur. Non datur reditus à non esse ad esse in formis corruptibilibus: ergo nec in Materia. Nego consequentiam & paritatem. Nam formæ corruptibiles ideo non reproducuntur, quia Natura amat varietatem, & non perpetuitatem illorum entium, sicut amat perpetuitatem Materiæ primæ.

CAPVT VIII.

DE FORMA SACRAMENTI EVCHARISTIÆ.

CONTROVERSIA I.

Quomodo verificentur verba Consecrationis.

859. RAtio dubitandi est. Quia sensus illius propositionis: *Hoc est Corpus meum:* videtur omnino requirere, vt Corpus Christi sit sub illis speciebus vel per totum tempus propositionis, vel ad minimùm tempore quo profertur copula, *est.* hoc autem est falsum, incipit enim primùm esse præsens in fine propositionis.

P. Suarez *d.* 58. *s.* 5. docet, loquendo de propositionibus, quarum veritas pro vno instanti existere potest tempore locutionis (qualis non est illa qua dico: *Ego taceo:* nec illa quæ motum localem significat, *vt: ego venio:* sed illæ quæ significant vel motum instantaneum, vel existentiam rei permanentis) de his inquam propositionibus docet Suarez, ad earum veritatem sufficere, si pro aliquo instanti, quodcunque illud sit, respondeat objectum propositioni, sicut ad veritatem propositionis indefinitæ, quâ dico: *aliquis loquitur:* sufficit, sive loquatur Petrus, sive Paulus.

Contra hanc explicationem sic argumentor. Veritas horum verborum: *Hoc est Corpus meum:* ità debet defendi, vt excludat simultaneam veritatem hujus: *Hoc est panis.* Nam Sacerdos cum veritate diceret: *Hoc est Corpus meum* (id est Christi) *& non panis.* atqui secundùm Suarez hæc non procederent: ergo &c. Minor probatur. Nam hæc propositio etiam esset vera: *Hic est panis:* quia sensus esset secundùm Suarez; Pro aliquo instanti quo durat propositio, illud quod subsstat accidentibus, est panis, quod est verissimum.

Confirmatur. Contradictoria hujus: *Hoc est Corpus meum*; est hæc: *Hoc non est Corpus meum.* ac proinde ejus sensus deberet esse vniversalis, negans præsentiam Corporis Christi pro omnibus & singulis instantibus propositionis, nempe: *In nullo instanti id quod subsstat accidentibus*, est *Corpus meum.* ergo etiam hæc esset vniversalis: *Hoc non est panis.* ergo sensus esset iste: In nullo instanti propositionis id quod subsstat accidentibus, est panis. sed hæc esset falsa: ergo contradictoria esset vera: scil: hoc est panis: & quidem esset vera, dum etiam esset vera altera, *Hoc est Corpus meum.*

860. Dicendum itaque est, veritatem hujusmodi propositionum, sive sint affirmativæ vel negativæ, habere hunc sensum: *In fine propositionis objectum sic se habet:* vel: *non sic se habet.* Videtur supponi hæc Conclusio à S. Thom. 3. p. *a.* 7. *ad.* 3. vbi dicit: [Ista conversio fit in vltimo instanti prolationis verborum, tunc enim completur verborum significatio, quæ est efficax in Sacramentorum formis.]

Probatur 1. à posteriori. alioquin si quis volens asserere Petrum esse sanctum, si inquam, dum profert vocem, Petrus, per revelationem intelligeret, eum tunc peccare mortaliter, posset adhuc salvâ veritate addere: *est sanctus.* quod est falsum & à nemine concessum, teneretur eum abrumpere: ergo signum est, quòd ad minimum affirmet, esse sanctum pro fine propositionis.

Probatur 2. à priori. Ante finem propositionis & prolationis prædicati, nondum est affirmatum prædicatum de subjecto simpliciter & absolutè, quia nondum existit plena significatio: ergo sicut per prolationem prædicati absolvitur & consumatur propositionis significatio, ita ex mente loquentis satis est, & etiam requiritur, vt in fine propositionis objectum ità se habeat, hoc ille pronuntiat, & hoc vel maximè verum est in propositionibus practicis, hoc est, suorum objectorum effectivis, & quæ seipsas verificant, vt est hæc, *Ego tibi debitum condono.* talis est etiam forma consecrationis. ergo.

861. Objicitur 1. Si verba deberent verificari in vltimo instanti intrinseco propositionis, sequeretur verba operari suum significatum antequam illud completè significent. consequens est absurdum: nam significando causant: ergo falsum est, verba affirmare præsentiam Corporis Christi pro fine propositionis. Sequela potest probari dupliciter. 1. Tunc verba primùm complent significant, quando ab audiente complete percipiuntur: sed non nisi post morulam percipiuntur: ergo non nisi post morulam verificabuntur. Ad hoc tamen dicitur, vt ex philosophia constat; ergo non nisi post morulam verificabuntur. Ad hoc tamen dicitur respondetur, verba caussare non per actualem significationem, sed per vim significativam quam habent in actu primo, & completam quando sunt absoluta in ore loquentis. Formula

Fortiùs probatur sequela objectionis hoc modo. Tamdiu verba non habent completam significationem, quamdiu adhuc sunt per alia subsequentia verba determinabilia ad sensum perversum, ità vt adjectione alicujus vocis falsificaretur forma, & sensus requisitus destrueretur: ergo vt verba habeant completam significationem & sensum requisitum pro valore formæ, debet accedere negatio vocis corruptivæ sensûs requisiti. Consequentia videtur esse bona. Antecedens probatur in exemplo: si Sacerdos verbis consecrationis, *Hoc est Corpus meum*, adjiceret vocem, *æreum*, non consecraret, vt præced. tract. dictum est, quia τὸ *æreum*, destruit sensum legitimum formæ & vocis *Corpus*, quod deberet significare corpus organicum & humanum: quam significationem non habet completè nisi per omissionem vocis, *æreum*: ergo significatio verborum & sensus legitimus, absolvitur primùm post illam moralam quâ posset adjici vox *æreum*. Pro solutione

862. Notandum 1. Hæc duo esse diversa: sensum propositionis esse completum: &, sensum propositionis carere æquivocatione: seu: sublatam esse æquivocationem in ordine ad audientes. v. g. dum dico, *Hoc fecit Petrus*, est sensus completus sed æquivocus, quia potest intelligi vel de Petro A. vel de Petro B. hæc autem æquivocatio benè stat cum sensu completo; nam hæc est natura æquivocorum, vt habeant duos sensus completos, & per intentionem loquentis possint ad vnum determinari, ità vt proferens non sit mentitus, nec imperfectè locutus: alioquin, vt observat Lugo, nec Prophetæ, nec Sybillæ, nec qui scribunt Hebraicè sine punctis, nec qui vtuntur hieroglyphicis, loquerentur aut scriberent in sensu completo, quod dicere est absurdum. Jam verò si illi propositioni, *Hoc fecit Petrus*, adjiciantur hæc aut similia: *filius Prætoris*, erit sublata æquivocatio in ordine ad audientes.

Notandum 2. Aliquas propositiones esse æquivocas hoc sensu, quòd sine alijs additis habeant sensum perfectum, & alium imperfectum; vnde si proferantur cum intentione sensûs perfecti, habent illum in actu secundo, & si sint practicæ propositiones, efficiunt in fine quod significant. Hujusmodi esset ista; *Ego te accipio in meam*. nam sine adjectione possunt ex intentione loquentis habere sensum absolutum; quodsi tamen adjicerentur hæc alia: *si parens consenserit*: habent sensum conditionatum & imperfectum seu incompletum. Similiter (& est exemplum Lugonis) hæc propositio: *Christus non est in Eucharistia*, ex intentione loquentis potest esse hæretica, & hunc sensum habet completum: habet tamen simul etiam sensum incompletum, quatenus adjici possent hæ: *ante consecrationem*, & in hoc sensu prolata non esset hæretica. Hinc infert Lugo, Dicastillo & Pallavicinus, eum qui ex animo contrahendi matrimonium, aut hæresin proferendi, proferret priora verba: sed pœnitentiâ ductus statim mutato consilio adjiceret posteriora, revera contractu obligari in priore casu, & in posteriore incurrisse censuram latam in hæreticos hæresin proferentes. Ratio patet ex dictis; quia verba fuerunt ex intentione loquentis prolata in sensu completo, quem habent sine adjectis, esto per adjectionem aliorum deciperet audientes, quasi ea protulisset in sensu incompleto. His positis

863. Respondetur ad Objectionem, negando antecendens. ad probationem respondetur, τὸ *Corpus* esse æquivocum, ità vt in sensu quem habet completum, significet corpus organicũ, & in sensu quem habet incompletum, significet corpus phantasticum. Jam ergo, quando profertur ex intentione prioris sensûs, habet sensum completum, antecedenter ad omnem moralem subsequentem, seu antecedenter ad silentium subsequens, sive quod idem est, antecedenter ad omissionem vocis, *æreum*, pro tempore sequenti: hæc autem negatio seu silentium, tantùm servit ad tollendam æquivocationem in ordine ad audientes, non verò in ordine ad hoc, vt habeat sensum completum.

CONTROVERSIA II.

An verba caussent Conversionem Eucharisticam vt vera.

864. AFfirmat S. Thomas a: 5. vbi ait: Veritas hujus locutionis: *Hoc est Corpus meum*: non præsupponit rem significatam, sed facit eam.

Contra hoc objicitur argumentum philosophicum. Veritas formalis propositionis vocalis est denominatio partim extrinseca, desumpta ab existentia objecti: ergo non potest suum objectum significatum caussare vt formaliter vera, hoc est, ità vt pro priori naturæ præsupponat ipsam veritatem formalem adæquatam; sic enim objectum præsupponeretur immediatè ad seipsum.

DICO 1. Veritas formalis formæ consecrationis, non est caussa conversionis Eucharisticæ, nec præcedit pro priori naturæ, sed solùm præcedit significatio objecti. Ità post Scotum Suarez, Vasq: Tanner, Lugo, Dicastillo. Probatur. Et quidem quòd pro priori naturæ debeat præcedere significatio, est clarum, non enim caussant verba merè materialiter spectata, sed vt significantia, vt patet ex alibi dictis. Quòd autem pro priori naturæ non præcedat Veritas formalis, evincit ratio allata.

DICES. Locutio vera de præsenti, præsupponit in loquente cognitionem & judicium de objecti existentia: ergo multò magis præsupponit existentiam objecti. Probatur antecedens. Nam priùs est scire quàm loqui; locutio enim ad hoc instituitur, vt loquens communicet audienti, quod ipse scit: ergo qui aliquid affirmat vocaliter, debet priùs mentaliter scire, rem ità se habere. R. 1. Hoc argumentum nimiùm probare, scilicet, Christum jam esse sub accidentibus, antequam Sacerdos incipiat proferre formam: item Sacerdotem scire aut credere, illud jam adesse an-

tecedenter ad formam. R. ergo 2. Distinguendo antecedens. locutio merè speculativa præsupponit tale judicium, concedo: locutio practica seu causativa sui objecti, nego. Discrimen est, quòd prior cùm non possit ponere conformitatem objecti secum, debet scire jam aliunde positum esse, aut poni pro vltimo instanti: at verò locutio practica, cùm possit hanc conformitatem ponere faciendo ipsum objectum, & sic verificare seipsam, non præsupponit cognitionem de objecto aliunde posito, sed satis est ad cavendum mendacium, quòd præcedat cognitio de objecto per ipsam locutionem ponendo: vt si dicam: *Ego tibi centum, quos debes, remitto.* Aliud exemplum appositum affert Dicastillo n. 226. [Si, inquit, tu à me quæras vnum carmen factum ex tempore, & ego incontinenti dicam: *Ecce! ego jam subito, quod quæris, profero carmen:* quando incepi, nondum erat carmen, certus tamen quòd quando absolvam, erit carmen, possum salvâ veritate incipere affirmare.]

Objicies. Concilium Trid. colligit præsentiam Christi ex veritate verborum: ergo debent antecedenter esse vera. Nego Conseq. Nam vt Concilium legitimè inferat præsentiam Corporis Christi, abunde satis est, verba esse vera, sive deinde verificent seipsa, sive aliunde habeant veritatem.

865. DICO 2. Pro priori naturæ verba sunt vera veritate radicali & exigentiali. Probatur Conclusio. Verba consecrationis pro priori naturæ sunt verba prolata in persona Christi, qui mentiri non potest: ergo quà talia habent infallibilem connexionem cum objecti conformitate, non minùs quàm actus supernaturales: sed hæc est veritas radicalis: ergo. &c.

CONTROVERSIA III.

Quomodo significet pronomen Hoc & Hic in Verbis Consecrationis.

866. PRima sententia est Alexandri, docentis, pronomen *Hoc*, supponere quidem pro substantia panis determinatè, & pronomen *Hic*, pro substantia vini, sed tanquam pro signis Corporis Christi exstituri sub illis accidentibus, vt proinde hæc propositio: *Hoc est Corpus meum*, habeat hunc sensum: *significatum per hunc panem est corpus meum.* Ab Alexandro non multùm differt D. Bonaventura, qui vult pronomen *Hoc* supponere pro pane, sed copulam *est* non significare identitatem, sed transitum, vt sensus sit: *Hoc transit in corpus meum.* Rejicitur vterque; quia copula *est* debet sumi in sensu proprio, vt monet Tridentinum dum ait: Christum dixisse verè corpus suum esse id quod sub specie panis offerebat.

Secunda Sententia est, pronomen Hoc supponere pro Corpore Christi. Huic sententiæ, vt observavit S. Thomas, objicitur, quòd ex ea sequi videatur, propositionem fore identicam & nugatoriam, dum faceret hunc sensum: *Corpus meum est corpus meum.* Omissis variis solutionibus insufficientibus, quæ apud Vasquez videri possunt.

Dicendum est, pronomen *Hoc* designare idem in solo Corpore Christi verificati, non tamen illud significare explicitè & determinatè conceptu Corporis Christi, sed sub conceptu communi ad quamcunq; substantiam, quæ possit accidentia designari posset, vt sensus sit: *Substantia, quæ in fine propositionis subsistat istis accidentibus, est corpus meum.* Vnde si non fieret consecratio, sed diceres: *Hoc est panis*, conceptus ex parte prædicati minis esset planè idem, hoc est, confusus.

867. Dubium est, an illa pronomina supplantur substantivè, an verò adjectivè, sive pronomina illa sint subjectum illius propositionis, an verò prædicatum, vt sensus sit: *Corpus meum est hoc*, seu: *est contentum sub his speciebus.*

Prima sent: docèt, accipi adjectivè, habere rationem prædicati. Ità Vasq. Lugo, Dicastillo, secuti Maldonatum & alios.

Secunda sent. communis, contrarium non tam probat, quàm supponit.

Tertia est media, Card. Pallavicini, n. 244. fatetur pronomina illa poni adjectivè, & quidem, si subtiliter inquit, conferuntur, semper debent, nec aliter possunt poni quam adjectivè, sunt enim relativa, adeoque semper subintelligitur aliquod substantivum, cui annectat illud relativum. Deinde verò negat, pronomina illa esse in forma consecrationis præcisum, & sic denique sentit cum secunda sententia.

Hæc expositio mihi etiam placet, & probatur ab eodem auctore imprimis ex verbis consecrationis, prout referuntur à S. Paulo 1. ad Cor. 11. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* Probatur 2. hoc discursu. Christus postquam Jo. 6. dixerat, suam carnem fore manducandam, & sanguinem bibendum, ad hoc jam faciendum non solùm invitabat, sed etiam suo præcepto compellebat dicens: *accipite & manducate ex hoc omnes*: vt autem illos ad manducandum moveret, rationem addidit: *quia est corpus meum.* His verbis continetur syllogismus, quo Christus probavit, id quod illis porrigebat, esse illis manducandum. Cùm enim quasi in genere diceret: hoc quod vobis porrigo, est vobis ex præcepto manducandum, id probavit: quia est corpus meum. vt autè hæc probatio sit in prima figura, hoc ob. directissimè & naturalissimè concludens, debet resolvi in hunc syllogismum: Corpus meum est vobis manducandum: id quod vobis porrigo sub istis accidentibus, est corpus meum: ergo quod vobis porrigo, est vobis manducandum. Ecce! medius terminus est, *Corpus meum*, medius terminus prædicatur in prima figura de subjecto conclusionis: ergo in minore Corpus prædicatum: atqui minor est forma consecrationis, ergo in eadem forma *Corpus* est prædicatum, & *Hoc* est subjectum.

867. Ob-

868. Objiciunt. Illud est prædicatum propositionis, quod in eo genere ponitur, cujus generis est alter terminus propositionis : nimirum si sit generis masculini, ponitur & illud quod est capax omnium generum, in genere masculino : si enim poneretur substantivè, poneretur in genere neutro, juxta regulam Emanuelis; Atqui in forma consecrationis calicis pronomen ponitur in genere masculino, quia calix aut sanguis est generis masculini : ergo non est subjectum sed prædicatum. Nam si esset subjectum, deberet dici Hoc est calix.

R. Imprimis græca vox POTYRION, significans calicem, est generis neutri : vnde ex græco textu non potest colligi, an articulus sit positus substantivè an adjectivè : & ideo Jansenius fatetur, æquè verti posse : *Hoc est calix.* sed quia vulgata editio legit : *Hic.* ideo aliter respondet Pallavicinus, etiamsi pronomen se teneat ex parte subjecti, adhuc in communi locutione desumere genus à prædicato : vt si quærenti : qualis sit hæc gemma : dicam, *Hic est Adamas.* Rationem dat, quia defacto nomina substantiva sunt distributa in tres classes, in quarum vna ponuntur ea quæ sunt generis masculini, in altera, quæ fœminini, in tertia quæ neutrius. Quando ergo dicimus : *Hic est Adamas, Hic est Sanguis :* pronomen *Hic* continet implicitam affirmationem, nempe, id quod tibi demonstro, est in ea classe rerum quæ ponuntur in masculino. Sed de hac lite plura grammatici.

CONTROVERSIA IV.

An plures Sacerdotes possint simul consecrare eandem materiam.

869. CErtum est 1. id validè fieri posse, si forma à pluribus absolvatur in eodem instanti, secundùm illum sonum vltimæ syllabæ, qui sufficienter compleat significationem sensibilem totius propositionis.

Certum est 2. aliquando id licitè fieri, vt colligitur ex novo Pontificali edito jussu Clementis VIII. vbi præcipitur, vt præsbyteri ordinandi consecrent eandem materiam cum Episcopo ordinante. item quando consecratur aliquis Episcopus, debet simul cum suo ordinante consecrare, & vterque de vtraque specie sumere, cùm tamen Neomystis non nisi vna species detur. Denique mos Græcorum Romæ approbatus est, vt semper cum Episcopo consecret præsbyter, licèt neutram speciem sumat. Vnde Durandus & quidam alij audiendi non sunt, dum talem Ecclesiæ consuetudinem audent improbare.

Certum est 3. Neomystas debere habere aliquo modo intentionem consecrandi, & non nisi recitativè illa verba proferendi. Dicuntur enim in Pontificali celebrare seu concelebrare, & seriò monentur, vt studeant verba absolvere cum Episcopo, quæ admonitio supervacanea esset, si verba tantùm recitativè proferrent. Neque obstat, quòd in antiquissimo Pontificali dicatur : *sicut si celebrarent.* Sensus enim est : *sicut si seorsim celebrarent.*

870. Explicandum tamen est, quâ ratione evitari possint plura inconvenientia. Nam vel Neomysta absolvit verba simul cum Episcopo, vel prævenit, vel sequitur. Si absolvat simul cum Episcopo (quod moraliter quoad vtramque speciem impossibile videtur) sequitur quòd Sacerdos consecret alteram speciem quam non sumit. Quodsi in vna specie simul consecret cum Episcopo, non item in altera, sequitur Sacerdotem consecrare vnam speciem & non alteram, quod per se loquendo nunquam licet, & huic periculo semper se exponit. Si verò Neomysta præveniat Episcopum, sequitur 1. Episcopum non consecrare illam speciem, qui tamen est principalis consecrans. Sequitur 2. quòd, si fuit præventus in consecratione calicis, sumat calicem quem non consecravit. Sequitur 3. Quòd non solùm Episcopus, sed etiam cæteri Neomystæ præventi proferant verba supra materiam jam consecratam, quod non licet. Si denique Episcopus omnes prævenit, sequitur, Neomystas omnes proferre verba supra materiam jam consecratam.

In hoc puncto ad facilitandam praxin, & scrupulos amoliendos, Neomystæ debent attendere 1. vt quantùm possunt, conentur simul cum Episcopo absolvere. 2. vt habeant intentionem primariam proferendi verba meliori modo quo possunt & debent proferri ex voluntate Dei & Ecclesiæ, esto illis non constet, quisnam sit ille modus. Et hac ratione satis caventur inconvenientia.

871. Cæterùm quæstio speculativa restat, qualis deberet esse intentio, si quis explicitam habere vellet. Communis est opinio, requiri in Neomystis intentionem conditionatam, consecrandi, si cum Episcopo absolvant. Vnde solus Episcopus habet intentionem absolutam, & est certus de sua consecratione. Ita Suarez, Conink, Lugo.

Adhuc tamen vrgeri potest vnum ex inconvenientibus. Nempe quia fieri potest, vt Neomysta in consecratione panis non absolverit cum Episcopo, adeóque non consecraverit : absolvat tamen cum Episcopo formam Calicis, & consequenter eum consecret : quod cæteroqui est illicitum : Non enim licet calicem consecrare sine panis consecratione, & præterea talis nihil sumeret ex eo quod consecravit.

Communi itaque sententiæ addendum putat Dicastillo (quem sequitur R. P. Antonius de Spiritu Sancto, in suo perdocto Directorio Confessariorum, qui, dum hæc scribo ad manus venit, recentissimè editus) aliam adhuc subesse conditionem in intentione Neomystæ, nempe quòd in consecratione calicis habeat intentionem consecrandi, si priùs panem cum Episcopo consecravit.

Necdum

Necdum tamen omnis ablata difficultas est. Nam fieri posset, vt Neomysta absolveret formam consecrationis panis cum Episcopo, non item formam calicis: ergo consecrabit vnam speciem sine altera. Ad hanc replicam non audet respondere P. Dicastillo, quòd Neomysta possit habere in consecratione panis intentionem conditionatam, si futurum sit vt absolvat etiam cum Episcopo formam calicis, quia Sacramentorum operatio & confectio, matrimonio excepto, non potest suspendi in futurum. Respondet itaque non esse opus aliquâ conditione tali, sed satis esse quòd habeat spem & conatum absolvendi etiam formam calicis cum Episcopo. Faciliùs tamen responderetur, subesse conditionem de præsenti, scilicet: si Deus videt me absoluturum formam calicis cum Episcopo.

Sed quidsi vtramque formam cum Episcopo absolveret Neomysta? adhuc sequitur inconveniens, quòd non sumeret ex vtraque specie quam consecravit. Ad hoc respondet Lugo, vel non esse Juris divini, sed tantùm Ecclesiastici, adeóque dispensabilis ab Ecclesia, quòd sumatur vtraque species in sacrificio ab aliquo Sacerdote, vel, si est juris divini, esse tamen satis probabile, quòd secluso præcepto Ecclesiastico, sufficeret sumptio facta ab alio Sacerdote quàm à Celebrante: sicut non est Juris divini, nunquam fieri oblationem sine consecratione, cùm hoc fiat in die Parasceves. Paulò aliter respondet Dicastillo, præceptum summendi vtramque speciem, esto sit divinum, non tamen esse latum pro concelebrante, sed pro celebrante principali, vt colligitur ex Ecclesiæ praxi, cujus est declarare præcepta divina.

872. Contra omnia hactenus dicta potest adhuc fortiter vrgeri ab experientia manifesta, quâ sæpissimè contingit, vt Neomysta audiat alios jam ante se absolvisse verba consecrationis panis: ex quo sequi videtur, non licere illi amplius postea proferre verba consecrationis supra calicem, ne quidem sub conditione, *si consecravit hostiam.* cùm enim certus sit, se non consecrâsse, sed alios ante se, ineptè ageret adjiciendo conditionem, quam scit non esse impletam: & malè etiam faceret proferendo verba supra calicem, cum expressa intentione non consecrandi: ergo vel deberet omnino silere (quod non permittitur) vel deberet velle conari consecrare: ergo vel deberet conari consecrare vnam speciem tametsi non consecraverit alteram, quod supponitur esse inconveniens, vel fatendum est, non esse inconveniens, id quod communiter inconveniens reputatur, nempe me consecrare vnam speciem, etiamsi non consecrem alteram.

Ob hanc difficultatem, quod dicere non eram ausus, video nunc docuisse P. Esparza, qui negat, hoc vllum inconveniens esse, & sic declarat. [Dicendum, inquit, intentionem debere esse absolutam, & sine vlla speciali restrictione, non contenta intrinsecè in ipsa caussa rei, sicut concipitur per se ab vnoquoque solitariè celebrante, & nihilominus nullum sequi inconveniens simultate plurium consecrantium eandem numero materiam actu ab Ecclesia præscripto, omnes moraliter consecrant validè, licèt probabile illi vel illi validè consecrent qui primi absolvunt verba physicè. Ratio valoris moralis in omni consecratione, tametsi physicè aliquorum consecratio sit posterior quàm aliorum, hæc est, quia nimirum quicunque audit formam quacunque pronuntiatam ab vnoquolibet ex ità celebrantibus, perinde redditur certus ex vi talis audientiæ de præsentia reali Christi sub illis accidentibus, & consequenter perinde movetur ad adorationem Christi, & ad omnem sensum pietatis concibilem ex Sacramento, atque si ille solus proferret verba consecrationis, & propterea ob nullum ità consecrantibus determinatè sumpti consecrationem potiùs quàm ob consecrationem cujusbet alterius ex ijsdem, potest ad idem moveri, eandémque certitudinem habere, quandoquidem juxta præscriptum Ecclesiæ, omnes teneantur audiri, quantùm fieri potest, vt simul absolvantur, ideóque, ne detur sensibilis & manifesta fraudis vnius post alium. Negatur itaque vllum inconveniens, quòd vnius vel aliquorum tantùm, & non aliorum consecratio sit validè, rectè, vnus physicè consecret panem, alius calicem sumat & offerat, qui non consecravit physicè, econverso, qui physicè consecravit, non sumat nec offerat: nullum, inquam, est inconveniens, nullúmque irreverentiæ genus, quia in rebus moralibus non habetur ratio diversitatis physicæ distitutæ diversitate morali: atque in præsenti hoc reddit certum vsus & auctoritas Ecclesiæ, videns hujusmodi simultaneam plurium consecrationum & scientis illâ admissâ esse inevitabilem vnius, saliter discrepantiam physicæ prioritatis, & posterioritatis inter consecrationes, cum incertitudine vter priùs consecraverit physicè.] Hæc P. Esparza.

873. Quæ verò objici aut vlterius vrgeri possent, dissolventur facilè, si animadvertamus, quòd ex Neomystis nullus totam formam consecrationis proferat secundùm omnia & singula verba, postquam jam alius absolvit, ità vt v. g. Petrus incipiat dicere: *Hoc*, postquam jam alius totam formam absolvit. hoc sanè esset inconveniens maximum, nec talis ageret ex mente Ecclesiæ: sed vniuscujusque verba ità intermiscentur cum verbis aliorum, vt nullus sit, cujus aliorum verba non fuerint in actu primo apta, & ad indifferentia ad hoc, vt ipse proferens physicè consecraret, eò quòd nullius verba præsupponerent hostiam jam ab alio consecratam. hoc patet, cùm suprà dixerimus verba tantùm moraliter influere in effectum Sacramentalem, jam facilè dilucidatur, quomodo nullius Neomystæ verba supponitur, quomodo nullius Neomystæ verba supponitur, nitùs otiosa, sed etiam secundùm majorem partem æqualiter cum alijs moveant Deum, ad ponendum Corpus Christi sub speciebus, & etiamsi Petrus audisset formam jam à Paulo absolutam esse, antequam ille absolvisset, tamen

tamen absolvere formam, quia hoc est necesse, vt verba priùs cum alijs prolata habeant sensum integrum & absolutum: & hæc in confirmationem dicta sint.

CONTROVERSIA V.

An Verba Consecrationis dicantur Enuntiativè, vel Recitativè.

874. PRopositio duplici intentione proferri potest. 1. Enuntiativè, seu, quod idem est, Significativè ac formaliter 2. Recitativè seu materialiter. Priori modo profertur, quando intendimus affirmare id quod propositio significat. Posteriori modo, quando intendimus narrare historicè, quod alius per illam propositionem affirmavit: sive deinde nos idipsum affirmemus, sive non: v. g. si Sacerdos legat Epistolam in Missa Festi Corporis Christi, vbi recensetur historia institutionis Eucharisticæ.

Quæritur ergo in præsenti, an Sacerdos, quando consecrare intendit, proferat verba Christi recitativè tantùm, an enuntiativè tantùm, an vtroque modo.

Cavendum autem est, ne quæstio hæc confundatur cum alia quæ cum hæreticis est, an verba proferantur Concionatoriè, an Consecratoriè: omnes enim Catholici fatentur proferri Consecratoriè: sed dubitatur à Catholicis, an Sacerdos intendens primariò consecrare, hoc ipso saltèm implicitè velit illa verba proferre affirmativè, vel, an sufficiat, ea velle tantùm proferre recitativè, seu narrativè, adeo vt si primariò vellet tantùm sic proferre, & nullo modo affirmativè, an inquam adhuc conficeret Sacramentum, necne.

Prima sententia docet, proferri tantùm recitativè. Ità Innocentius III. lib. 4. de Mysterijs Missæ, Catherinus, Major, Mirandulanus, & noster P. Salmeron fusissimè, & teste Lugo doctissimè, to. 4. in Evang. tr. 13. eamque plures alij, quos sequitur Dicastillo, valde probabilem putant, vt proinde neminem movere debeat censura Vasquezij d. 200. n. 14. & Præpositi, eam opinionem erroneam vocantium.

Secunda sententia est, illa Christi verba tantùm enuntiativè proferri. Ità S. Bonaventura, Gabriel, Marsilius, Vasquez, & eam aliquando tenuerat Lugo.

Tertia est, proferri vtroque modo: recitativè quidem proprio Sacerdotis nomine, & vt sic non esse consecratoria, nec proinde necessarium esse vt recitativè proferantur: enuntiativè verò proferri in Persona Christi, & sic esse consecratoria, atque esse de essentia sic proferri. Ità Sotus, Suarez, Bellarminus, Valentia, Bonac. Coninck, Tanner, Nugnus, Præpos. Hurt. Lugo, Dicastillo, Arriaga.

875. DICO 1. De essentia consecrationis est, vt verba proferantur enuntiativè, sive Sacerdos hoc explicitè, sive tantùm implicitè intendat, quod sufficit. Ità S. Thomas a. 5.

Conclusionem probat Vasquez & Hurtadus 1. Quia Sacerdos mediâ significatione verborum consecrat & convertit panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi. Nam Tridentinum sess. 13. c. 4. ait, Ecclesiam ex eo collegisse conversionem Eucharisticam fieri, quia Christus verè dixit, Corpus suum esse, quod offerebat: & non solùm collegit tunc, quando Christus ipse in propria persona proferebat, factam fuisse conversionem à Christo, sed etiam nunc fieri à Sacerdote, quia nomine, & in Persona Christi verè dicit idem, quod Christus verè dixit. Ad hoc tamen respondet Lugo. Ecclesiam collegisse præsentiam Christi ex veritate verborum quæ dixit ipse Christus, consequenter autem colligere præsentiam Christi in nostra Eucharistia, quia Christus dedit Apostolis & Sacerdotibus potestatem conficiendi idem Sacramentum, recitatione eorundem verborum, cum intentione faciendi quod Christus fecit.

Probant ijdem 2. Quia alioquin non fieret medijs verbis illa consecratio & conversio; nam vna substantia integra nequit pugnare cum alia, nisi ratione significationis verborum. Hæc probatio adhuc infirmior est. est enim, vt suprà vidimus, repugnantia physica inter illas duas substantias quoad officium substandi accidentibus.

Probatur ergo Conclusio meliùs 1. ex Florentino & Patribus, asserentibus, illa verba proferri in persona Christi, ità vt Christus censeatur per os Sacerdotis ea proferre: atqui si ea tantùm recitativè proferret, non proferret ea in persona Christi, sed proprio nomine: ergo &c.

Dices. Imò adhuc proferret nomine Christi, quia proferret ex intentione faciendi Sacramentum, quæ intentio denominat actionem fieri nomine Christi.

Sed contra. Dupliciter possum vti pronomine *Ego*, & *Meum*, proferendo ea nomine alterius. primo modo ità, vt per illud pronomen verè significem meipsum, licèt id quod affirmando efficio, efficiam potestate alienâ, & sic nomine alterius. sic quando Minister baptizans dicit: *Ego te baptizo*: non est sensus: *Ego Christus te baptizo*: sed: *ego Petrus, Joannes &c.* qui tamen baptizat nomine Christi. Alio modo possum vti tali modo loquendi, ità vt illud pronomen reverâ significet & appellet ipsum principalem, cujus personam speciali modo repræsento, ità vt verba quæ profero cum pronomine, non verificentur vllo modo de mea persona, sed de principali: sic Angelus repræsentans personam Dei, dixit: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac.

Itaque Concilium Florentinum & SS. Patres in secundo sensu dixerunt proferri verba Christi in Persona Christi, nempe ad defendendam veritatem illorum verborum, quæ vera non essent, si tò *Meum* appellaret personam Ministri.

Confirmatur. Si tantùm recitativè proferrentur verba, sequeretur quòd sufficeret, si Sacer-

dos diceret: [Accepit panem, benedixit, fregit &c. dicens esse corpus suum.] hoc enim esset recitativè omnia dixisse.

Hoc ipsum discrimen inter formam hujus & aliorum Sacramentorum expressit *S. Thomas q. 78. a. 1. in Corp.* dicens: [Formæ aliorum Sacramentorum proferuntur ex persona Ministri, sive per modum exercentis actum, sicut cùm dicitur: *Ego te baptizo:* sed forma hujus Sacramenti profertur quasi ex persona ipsius Christi loquentis, vt detur intelligi, quòd Minister in perfectione hujus Sacramenti nihil agit, nisi quòd profert verba Christi.]

Probatur Conclusio 2. Si verba tantùm recitativè proferrentur, sequeretur, non fieri consecrationem, si quis sine vllis præcedentibus verbis cum intentione consecrandi, proferret præcisè hæc verba: *Hoc est Corpus meum.* consequens, inquit Lugo, licèt aliqui concedant, est tamen durissimum: sequeretur enim etiam priora verba esse partem formæ, scilicet illa, *Qui pridie quàm pateretur.* quia sine his non est integra narratio: consequens videtur esse contra Florent. dicens, formam esse verba Salvatoris, illa verò sunt verba Evangelistæ.

Probari potest 3. ad hominem. Adversarij fatentur, ex pronomine *Hoc*, colligi, quòd materia debeat esse præsens: atqui si tantùm recitativè dicerentur, non posset inde colligi necessitas præsentiæ: non enim affirmat Sacerdos, Christum super hæc accidentia dixisse: *Hoc est &c.* sed super illa quæ in cœna gerebat in manibus: vnde tota narratio esset vera, etiamsi nullam haberet præsentem materiam.

Probatur 4. Verba Sacramentorum significant id quod efficiunt: atqui verba, quibus conficitur Eucharistia, efficiunt præsentiam Corporis Christi sub speciebus: ergo debent illam significare: sed non significarent illam, si tantùm recitativè proferrentur: non enim significarent præsentiam Christi sub speciebus quas Sacerdos in manibus tenet, sed tantùm sub illis quas Christus tenuit in cœna: ergo debent proferri significativè.

Probatur 5. In consecratione ponuntur aliqua vi verborum, & aliqua per concomitantiam: sed hoc esset falsum, si verba tantùm proferrentur recitativè: ergo. Minor probatur. Quæro enim, an sub speciebus panis quem nunc consecrat Franciscus, ponatur Corpus Christi ex vi verborum prolatorum à Christo in vltima cœna, an vi prolatorum nunc à Francisco? si dicas primum: contra est 1. quia illud non ponitur vi verborum, quod non est necessarium ad verificanda verba: sed præsentia Corporis Christi sub his modernis speciebus, non est necessaria ad veritatem verborum in vltima Cœna prolatorum, non enim affirmavit Christus, sub his speciebus esse corpus suum. Contra 2. quia in Cœna positus est vi verborum etiam ille sanguis, qui nunc non est ampliùs in Corpore Christi, sed remansit in sudario, spinis &c. nunc autem non ponitur: deberet autem etiam nunc poni, si attendenda esset vis verborum prolata in vltima Cœna. Si verò dicas secundum, habemus intentum, scil. verba proferri significativè, alioqui nihil poneretur vi verborum, quia nullam habent significationem in ordine ad præsentem hostiam.

876. DICO 2. Verba consecrationis etiam recitativè seu historicè proferuntur. Colligitur ex toto contextu Canonis, à verbis illis: *Qui pridie quàm pateretur &c.* quicunque enim audit totam illam narrationem, venit in opinionem, quòd Christus hæc verba protulerit in Cœna, & si Sacerdos alia supponeret, diceret historiam malè narrâsse: ergo dicit ea recitative. Contra primam Conclusionem

Objicitur 1. Si Sacerdos hæc verba proferret significativè, verba essent falsa, diceret enim illud esse suum corpus. R. Non profert ea in sua persona, ita vt τὸ *Meum* appellet Sacerdotem vt gerentem personam Ministri Christi, sed vt præsentantem personam principalis; sicut enim Dicasteria & Consilia Principum solent vti hac formulâ scribendi, quasi scriberet ipse Princeps non repræsentant immediatè & directè, & non mediatè & indirectè, sicut quando Minister dicit: *Ego baptizo.*

Objicitur 2. Græci addunt in consecratione panis hæc verba: *Qui pro vobis tradetur.* & in Ecclesia latina adduntur: in *consecratione Calicis* Qui pro vobis effundetur. sed hæc non possunt nunc enuntiativè dici, quia non essent vera. R. In sententia communi, quòd illa verba non sint pars substantialis formæ, dicendum est, quòd solùm recitativè proferantur. in sententia contraria verò dicendum, ea proferri à Sacerdote repræsentante tempus Cœnæ, vt sensus sit: *Corporis effusionis duratio est posterior duratione Cœnæ.*

Contra 2. Conclusionem objicitur 1. Verba æquicoca non possunt simul & semel in ea proferentis habere duplicem sensum æquivocum, v. g. si mihi duo confessi essent, non possem eos absolvere vnâ absolutione per verba, *Absolvo te*; dirigendo illud *Te* ad vtrumque, respectu quorum est æquivocum. & ratio est, quia diversimen æquivocum significat diversa vt diversa, & secundùm diversitatem, & ideo debet ad vnum determinari per intentionem loquentis: atqui si verba consecrationis proferrentur recitative, simul & enuntiativè, tunc illud *Hoc*, esset æquivocum; nam vt recitativè prolatum significat accidentia quæ Christus habuit in Cœna in manibus, prolatum verò enuntiativè significaret accidentia posita in manibus Sacerdotis: ergo non possunt simul vtroque modo proferri. R. Dist. major. Si loquens non nisi vnam personam representaret, concedo, si duplicem personam repræsentet, nego major. & eodem modo distinctè minore negatur Conseq.

Confirmatur responsio exemplis, quibus Christus dixit Matth. 15. ad Scribas & Pharisæos

Bene prophetavit de vobis Isaias dicens : Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me. protulit ea imprimis recitativè, vt patet: deinde etiam enuntiativè, dum de præsenti populo suo nomine affirmavit, quod Deus per os prophetæ de populo tunc existente pronuntiavit. non enim loquebatur Isaias de Scribis & Pharisæis, sed de toto populo Judaico tunc existente : & vt notat Maldonatus, sunt verba accusantis. Eodem modo potest Religiosus dicere mendico petenti Eleemosynam : *quod olim Petrus dixit, & ego dico : argentum & aurum non est mihi.*

Card. de Lugo hîc tum n. 48. tum præcipuè n. 120. movet quæstionem novam ; an illa verba *accipite & manducate ex hoc omnes*: tametsi non caussent ne quidem partialiter præsentiam Christi, nec sint pars formæ, nihilominus proferantur non merè recitativè, sed potiùs ità, vt jam tunc Sacerdos loquatur in persona Christi, non minùs quàm per illa : *Hoc est &c.* & resolvit affirmativè.

877. DICO tamen 3. Illa verba tantùm recitativè proferri. Probatur. Si illa verba proferrentur in Persona Christi, deberent ad aliquos audientes dirigi, sunt enim verba præceptiva sumptionis, vt docet ipse Lugo : sed non possunt assignari ad quos dirigantur: non quidem ad illos qui interfunt Missæ, non enim præcipitur illis sumptio ex illa hostia, nec Sacerdos habet animum alijs inde aliquid tribuendi : & quidsi nemo Missæ interfit ? Sed neque ditiguntur ad Apostolos, repræsentando tempus Cœnæ ; tum quia Sacerdos non accepit potestatem præcipiendi Apostolis, nec Christus Apostolis præcipit nunc per Sacerdotem, vt sumant ex illo quod in Cæna dederat, multò minùs ex eo quod modo Sacerdos habet in manibus : tum quia sic evaderet inepta propositio caussalis: esset enim sensus : accipite & manducate ex hoc (quod ego in Cæna teneo) omnes, quia hoc, (quod nunc Sacerdos habet in manibus) est corpus meum.

Objicit Lugo 1. aliquas auctoritates Patrum. Verùm, vt legenti patet, illa testimonia probarent (si quid probarent) illa verba esse etiam consecratoria. Solùm itaque asseruerunt, illa esse verba à Christo prolata, nec esse verba Evangelistæ.

Objicit 2. Si illa verba non proferuntur in Persona Christi, tunc falsa erit caussalis, quæ exprimitur per part. *Enim.* v. hanc particulam, non proferri enuntiativè, sed tantùm recitativè, vt disertè docet Suarez *disp. 59. s. 1. §. Dico 3.* vbi etiam pro comperto supponit, illa verba : *Accipite & manducate.* tantùm dici recitativè & materialiter. idem tradit Dicastillo & Arriaga. Obiter etiam adverto, part. *Enim* : nec ab Evangelistis nec à S. Paulo positam esse, poni tamen in Canone Missæ probabiliter ex Apostolica traditione, quòd à Christo fuerit prolata, vt habet S. Thomas *a. 2. ad. 5.*

878. Est denique hîc controversia, an formæ calicis constitutiva sint hæc verba : *Novi & æterni Testamenti, Mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Affirmat S. Thomas a. 3. alij communiùs nunc negant.

Probatur 1. Incredibile prorsus est, nullum Evangelistarum, imò nec S. Paulum, cùm de hoc Mysterio vellet ex proposito instruere Corinthios, retulisse integram essentialem formam huis consecrationis, sed mancam, cum tamen diligenter addiderint præceptum Christi, faciendi hoc in ejus commemorationem : atqui nullus illorum retulit totam illam formam, quâ vtitur Ecclesia latina, & quod bene notandum est, non solùm nullus retulit omnia illa verba, sed aliqua etiam verba : *æterni*: &: *mysterium fidei*: omnes omiserunt. ergo non sunt omnia essentialia.

Probatur 2. ex Liturgijs tum Apostolorum, tum Evangelistarum Joannis & Marci, in quibus forma ponitur his præcisè verbis : *Hic est sanguis meus.* vel : *Sanguis meus est hic.* Præterea nec in Liturgia S. Jacobi Apostoli, nec S. Basilij, nec S. Chrysostomi, nec Æthiopum, quæ creditur composita ab Apostolo Matthæo, nec S. Leandri vel Isidori, præscribitur forma Ecclesia latinæ, sed aliqua illius verba omittuntur : atqui temerarium esset dicere, ab his omnibus nunquam consecrari calicem, præsertim cùm Romæ illæ Liturgiæ Græcorum à Græcis observentur, sciente Pontifice.

Accedit auctoritas PP. Concilij Florentini, qui non ignorabant, Græcos aliâ formâ vti, neque tamen in hoc reprehenderunt, sed potiùs suppossuerunt, eos rectè consecrare. Vnde Suarez, cæteroquin S. Thomæ observantissimus, in fine sect. 1. sic concludit. [Quocirca non existimo injuriam fieri D. Thomæ, si propter multarum Ecclesiarum & Liturgiarum auctoritatem ab ejus opinione discedamus, quam sine dubio ipse mutâsset, si vel prædictas Liturgias, vel aliarum Ecclesiarum vsum agnovisset. quòd enim non agnoverit, signum est, quòd nullam earum mentionem faciat in toto articulo.]

Dices. S. Thomam non dixisse, ea omnia esse de essentia, sed : *de substantia* : hoc est, vt explicant quidam Thomistæ, sine quibus quidem posset ex intentione Ministri fieri consecratio, sed tamen si Minister velit illis omnibus vti, tunc effectum suspendi vsque ad earum absolutionem. Verùm hæc interpretatio est contraria S. Thomæ, vt ex Thomistis fatetur Philippus à SSS. Trinitat. nam S. Thomas pro eodem sumit : verba *esse essentialia*, & *esse substantialia.* Nam q. 60. a. 8. de forma Sacramenti in communi sic docet: [Si diminuatur aliquid eorum, quæ sunt de substantia NB. formæ Sacramentalis, tollitur debitus sensus verborum, & ideo non perficitur Sacramentum.] Deinde in hoc ipso articulo de forma Calicis, tum in C. tum in arg. 2. & ejus responsione planè declarat, priora verba sine posterioribus non habere efficaciam.

Probatur Conclusio 3. Auctoritate SS. PP. Ambrosij, Cypriani, Iustini, Chrysostomi, Damasceni, quorum verba clarissima legi possunt apud Suarez: & nimis violenta est interpretatio

Philippi à SS. Trin. quòd non fuerint scholasticè locuti, sed reliqua verba subintellexerint.

Probatur 4. à pari. Sicut in consecratione Calicis Christus dixit: *qui pro vobis effundetur*, ità in consecratione panis dixit: *Qui pro vobis tradetur.* sed hæc verba non sunt de necessitate, vt fatentur adversarij: ergo ex eo quòd Christus priora protulerit, non sequitur ea esse de necessitate in consecratione Calicis.

Probatur 5. Verba consecrationis hæc: *Hic est calix sanguinis mei:* habent sufficientem significationem præsentiæ sanguinis: atqui efficiunt id quod significant: ergo jam vi eorum ponitur præsentia sanguinis. Respondet citatus Thomista, in formis Sacramentorum potiùs attendendam esse institutionem & traditionem quàm rationem: fuisse autem omnia illa verba instituta probat ex eo, quia Christus illa omnia protulit. Verùm hæc responsio adversatur huic ipsi auctori, qui contra S. Thomam docet, tria verba, nempe *æterni*, &: *mysterium fidei*, explicitè & formaliter prolata non pertinere ad essentiam formæ: & tamen Christus illa etiam protulit. Nec juvat hunc auctorem, quòd dicat, ea contineri in prioribus virtualiter: nam hac ratione nos quoque dicemus, omnia verba à Christo explicitè prolata contineri virtualiter in quatuor illis: *Hic est sanguis meus.*

879. Dices. In formâ baptismi non confertur effectus per hæc sola verba: *Ego te baptizo*: licèt habeant sufficientem significationem: ergo idem de forma Calicis dici potest. R. Negando paritatem. Nam verba illa: *Ego te baptizo*, spectata secundùm significationem humanam, hoc est, quam habent ab impositione hominum antecedenter ad significationem sacramentalem, non significant nisi ablutionem materialem; & & sic est propositio vera, etiamsi sequentia verba non addantur, nec alius effectus Sacramentalis producatur: ergo cùm illa verba gratiam non causent nisi virtute significationis Sacramentalis, & hanc non habeant, nisi quatenus continent professionem explicitam Trinitatis, cùm Baptismus sit Sacramentum fidei, mirum non est, quòd effectus Sacramentalis sit etiam posterioribus verbis alligatus: at verò in verbis calicis illa verba: *Hic est calix sanguinis mei:* etiam spectatâ significatione quam habent ex impositione hominum, significant præsentiam Sanguinis, & quidem physicam: ergo non est cur non sint vera, quando sunt prolata, sive cætera addantur sive non, quamdiu non probatur Christum aliter instituisse.

Replicabis, illa verba non habere sensum adhuc perfectum, sed significationem prædicati determinari per verba sequentia. Contra 1. ergo idem dicendum adversarijs esset de forma consecrationis panis, quòd prædicatum determinetur per sequentia verba: *Quod pro vobis tradetur*, ut dent disparitatem. Contra 2. Quia falsum est prædicatum *Sanguis* determinari per verba sequentia, alioquin solus ille sanguis, qui actualiter effusus est, poneretur vi verborum, & non ille qui in corpore remansit, si quis remansit. Contra 3. quia sequentia verba non determinant, sed tantùm explicant plura prædicata sanguinis, sine qua tamen explicatione adhuc satis explicè significatur prædicatum & præsentia sanguinis, sicuti hoc ipsum adversarij fatentur de verbis, *æterni & mysterium fidei*, quæ fatentur non esse de substantia formæ.

880. Objiciunt. 1. Tota illa forma ponitur in Canone, assignatur in Florentino & Colonienſi Concilio: in cap. *cum Marthæ*, & Catechismo Romano jussu Pij V. quin imò fuit expungi ex Commentarijs Cajetani contrariam opinionem, quam ipse Cajetanus sequitur. R. 1. in Florentino non haberi omnia illa verba in editione vulgata, sed solùm dici, fuisse verba quibus Christus hoc Sacramentum confecit. In Catechismo Romano non dicitur, illa omnia esse formam, sed in illis verbis comprehendi formam, quod verissimum est, non minùs quàm verissimum est, formam comprehendi in Epistola ad Corinthios. In cap. *cum Marthæ*, non dicitur, omnia illa verba esse formam, sed ab Innocentio III. respondetur Episcopo interroganti, cur addantur verba, quæ non sunt in Evangelio? respondetur, inquam, illa verba habere ex traditione Apostolorum, & omnia esse mysteriis plena: hoc totum fatemur omnes, sicut de verbis: *quod pro vobis tradetur*: &: *æterni*: &: *mysterium fidei.* quæ non propterea sunt substantialia. R. 2. etiamsi dicerentur illa verba esse forma, nolitne tamen dicitur, omnia esse necessaria & essentialia: sicut solemus dicere, nos recitâsse salutationem angelicam, etiamsi in illa oratione aliqua sint, quæ non sunt pars salutationis Angelicæ. Quoad id quod additur de correctione Cajetani, respondent nostri DD. id factum esse à Pio V. & ipso Thomista, ne ex Cajetano alij Thomistæ exemplum acciperent, ad libitum à S. Thoma recedendi.

Objiciunt 2. Omnia illa verba eodem modo proferuntur à Sacerdote, & eodem charactere in missali. R. Etiam partícula jusculo ponuntur in Missali. R. Etiam partícula *enim.* &: *æterni.* & *mysterium fidei.* ita ponuntur, & eodem ritu proferuntur. hoc autem ideo fit, quia cùm pertineant ad eandem orationem & executionem, inconveniens esset interrumpi, nec interrumpuntur verba absolutionis, &c. men invocatio Trinitatis non est de essentia.

CAPVT

CAPVT IX.

DE EFFECTIBVS EVCHARISTIÆ.

CONTROVERSIA I.

An Eucharistia aliquando per accidens conferat primam Gratiam ex opere operato.

881. CErtum est, per se loquendo, & spectatâ Eucharistiæ primariâ institutione, non caussare ex opere operato primam gratiam, hoc est, non justificare peccatorem prout facit baptismus, & Pœnitentia. Nam vt ex S. Paulo constat, accedens debet se priùs probare, & procurare statum gratiæ, & qui accederet, licèt attritus, cum peccato mortali cognito, peccaret mortaliter, vt asserit Trid. *sess.* 13 *c.* 2. *&* 4. Ratio desumitur ex ejus significatione, quæ est per modum cibi spiritualis, cibus autem ordinatur ad augmentum & nutrimentum, non ad vitam conferendam, cùm eam supponat.

Restat ergo quæstio merè speculativa, an is qui accedit ad Eucharistiam, putans invincibiliter se esse in statu gratiæ, & præterea fuit attritus de omnibus suis occultis peccatis, vel de cognitis quidem, sed putat se esse contritum, & non habet copiam confessarij; item qui confessus est alicui quem putabat esse Sacerdotem & non erat &c. an, inquam, talis virtute Sacramenti Eucharistiæ justificetur ex opere operato, accipiens gratiam sanctificantem.

Prima sententia affirmat. Ita Richardus, Paludanus, Antoninus, Sotus, Suarez, Valent. Conink, Tanner, Becanus, Præpos. Atriaga, Philippus à SS. Trinit. Altera negat. Alexander, Bonav. Gerson, Gabriel, Major, Vasquez, Gaspar Hurtadus, Lugo, Dicastillo, Esparza, quam etiam amplexi sunt qui confecerunt Catechismum Rom. cum quibus

882. DICO, probabilius esse, primam gratiam nunquam conferri ab Eucharistia. Videtur mihi omnino esse S. Thomæ *q.* 79. *a.* 3. non obstante quòd Adversarij indubitatè pro se citent. Verba quæ ejus mentem dubiam reddunt, sunt hæc. [Potest tamen hoc Sacramentum operari remissionem peccati dupliciter, vno modo non perceptum actu sed voto &c. alio modo perceptum actu ab eo qui est in peccato mortali, cujus conscientiam & affectum non habet, fortè enim primò non fuit sufficienter contritus, sed devotè & reverenter accedens consequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis quæ contritionem perficiet, & remissionem peccati.] Quibus verbis non dicit D. Thomas, primam gratiam immediatè conferri ex opere operato ab Eucharistia, sed potiùs contrarium, scilicet, quòd (non quidem infallibiliter, sed ex misericordia Dei) quandoque intuitu Eucharistiæ devotè susceptæ detur auxilium actuale, excitans illum hominem ad veram contritionem, & hac mediante conferri gratiam ex opere operantis.

Probatur Conclusio 1. Nullus effectus tribuendus est Sacramentis, nisi constet vel ex Scriptura, vel ex traditione, vel Patribus aut Conciliis: sed ex nullo capite constat Eucharistiam caussare effectum de quo disputamus: ergo &c. Major patet: nam quæ merè pendent ex arbitrio instituentis, non debent solâ ratiocinatione probari, sed colligi debent ex dictis capitibus. Min. probatur solutione objectionum, & ex adversarijs Suarez fatetur, non nisi per congruentiam posse probari suam sententiam.

Probatur 2. ex Patribus, qui non erant contenti solo putativo statu gratiæ ad consequendum fructum hujus Sacramenti. S. Ambrosius lib. 6. in Lucam c. 9. [nemo, inquit, cibum accipit Christi, nisi qui fuerit antè sanatus, & illi qui vocantur ad cænam, priùs vocatione sanantur.] Et infrà. [Vbique ergo Mysterij ordo servatur, vt priùs per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur.] Anselmus in verba S. Pauli. *Probet autem &c.* ait, debere peccatum priùs per pœnitentiam deleri. Quibus testimonijs non satisfit dicendo cum Philippo à SS. Trinit. quòd loquantur PP. de eo quod fit per se: alioquin pari jure dicere posset aliquis, etiam per accidens posse justificare attritionem, si quis putet se esse contritum, & omnia testimonia, quibus contrarium probari solet, eludet dicendo, ea loqui de eo quod fit per se.

Probatur 3. Illos solùm effectus caussant Sacramenta, quos significant; sed Eucharistia non significat nisi gratiam nutritivam & augmentativam, vtpote significans per modum cibi, neque alium effectum ex significatione hujus Sacramenti

agnovit Florentinum dum ait, Eucharistiam caussare omnes effectus vitæ spiritualis, quos caussat cibus naturalis.

Probatur 4. Si in casibus adversariorum Eucharistia caussaret primam gratiam, tunc eam non caussaret per accidens, vt ipsi volunt, sed per se: nam esto caussaret eam ex secundaria intentione Christi, hoc tamen non sufficit vt dicatur caussare per accidens: ea enim sola dicuntur caussari per accidens propriè loquendo, quæ omnino præter intentionem operantis caussantur, nempe quando principalis operans intendit, quantùm in se est, certum aliquem effectum, sed aliunde fit, vt producatur effectus nullo modo intentus, v. g. quando animal generans intendit generare sibi simile in specie, sed ex concursu alterius caussæ impertinentis fit vt generetur monstrum: atqui Eucharistia non habet vllam virtutem nisi ex meritis & institutione Christi, nec ex eo quòd habeat virtutem augendi gratiam, & hanc intendat, hocipso quasi concomitanter habet virtutem conferendi primam gratiam ex concursu alterius caussæ, sed hanc virtutem deberet habere ex voluntate instituentis: ergo caussaret primam gratiam per se & non per accidens.

883. Objiciunt 1. Testimonia quorundam Patrum, quorum verba refert & explicat Vasquez: loquuntur enim vel de peccatis venialibus, vel de præservatione à mortalibus, vel de extinctione pœnæ, vel de reliquijs mortalium quoad pravos affectus, vel de Eucharistia vt est sacrificium impetratorium auxiliorum congruorum ad justificationem, vel denique in sensu S. Thomæ suprà explicato.

Objiciunt 2. Tridentinum *s.* 13. *can.* 5. vbi ait: [Si quis dixerit, vel præcipuum fructum hujus Sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus provenire, anathema sit.] Vbi, inquit Conink, videtur supponere, per hoc Sacramentum quandoque etiam remitti mortalia. R. Concilium agere ibi contra hæreticos dicentes, remissionem peccatorum esse præcipuum imò vnicum ejus effectum: hoc ergo negat Tridentinum, præscindendo an secundarius illius effectus possit esse justificatio. Deinde, vt fatetur ipse Conink, potest Concilium intelligi de remissione venialium, quamvis nec hoc definiat. Denique advertit P. Esparza, hinc potiùs confirmati nostram sententiam; negat enim Concilium vniversim remissionem peccati esse Eucharistiæ præcipuum effectum, atqui in casu quo adversarij volunt hunc effectum conferri, esset planè præcipuus ejus effectus.

Objiciunt 3. Baptismus & Pœnitentia sunt per se instituta ad dandam primam gratiam, & tamen si inveniant subjectum jam justificatum, conferunt augmentum gratiæ: ergo etiam econtra Sacramentum per se institutum ad conferendum augmentum, potest conferre primam gratiam. R. Negando paritatem. Nam imprimis illa Sacramenta non caussant in tali casu augmentum Gratiæ per accidens, sed per se, & ex mente instituentis: Nam Baptismus est institutus vt aliquem constituat membrum Christi, sive prius sit justus sive non, & conferat gratiam quæ sit radix auxiliorum specialium ad exercendas operationes hominis Christiani. Pœnitentia verò est instituta ad reconciliandum Deum offensum, quod licet potest etiamsi jam sit reconciliatus, quia potest magis reconciliari: 2. Non valet consequentia, quia plus est conferre primam gratiam quam augmentum, vt in tr. de Gratia dictum est. 3. Quia in Baptismo & Pœnitentia, Gratia non est obex, sicut respectu Eucharistiæ peccatum & negatio Gratiæ est obex.

Objiciunt 4. Extrema Vnctio licèt per se sit instituta ad tollendas reliquias peccati jam remissi, nihilominus potest ex probabili sententia vnà cum attritione delere etiam peccatum, & conferre primam gratiam, quo casu dicitur ex attrito facere contritum: ergo multò magis id potest Eucharistia. R. Cum Card. de Lugo, ideo hoc esse probabile de extrema Vnctione, quia probabiliter est instituta ad tollendum quod reliquum est peccati seu culpæ seu pœnæ juxta dispositum subjecti, & si quidem hoc facit, non per accidens sed per se id facit.

Objiciunt 5. Qui bonâ fide accedit, putans se esse justum, jam satisfacit præcepto quod inculcat S. Paulus. *Probet autem seipsum homo.* nec enim tenetur se ampliùs probare: ergo nullum ampliùs habet obicem: ergo consequetur fructum Sacramenti. R. Negando vtramque consequentiam, quemadmodum ipsi adversarij eam negare debent in casu quo quis ne quidem attritionem habuisset de peccato invincibiliter ignorato. Itaque illa bona fides excusat quidem à peccato in sumenda Eucharistia, sed non propterea est argumentum remoti obicis; nec S. Paulus vn quam dixit, eum qui se sufficienter probavit, hocipso consecuturum effectum, sed solum, eum non manducaturum sibi mortem, quia communis non erit peccaminosa.

CONTROVERSIA II.

An ambæ Species majorem Gratiam conferant, quàm vna sola.

884. NEgativa est communis Thomistarum, quam ex nostris sequuntur Becanus, Regundez, Suarez, Conink, Canisius, Bellarminus, Valentia, Henriq. Andreas Mendo. Affirmativam tenuerunt etiam plures tam antiqui quam Recentiores: quos refert & sequitur Vasquez, Esparus Hurtadus, Præpositus, Lugo, Dicastillo, Estro Palao, Philippus à SS. Trinit. & apud hos Recentiores Thomistæ. Vtraque sententia non est probabilis intrinsecè & extrinsecè, vt inde facilis difficilis sit electio. In affirmativam magis propendeo. Pro qua affertur à Lugo & Dicastillo auctoritas Patrum Concilij Tridentini. Ferunt enim

enim Franciscus Blanco Archiepiscopus Compostellanus qui Concilio interfuit, testatus fuisse, hanc fuisse vnanimem omnium Patrum Concilj mentem, sed noluisse ante tempus definire, ne hæreticis præberetur ansa vociferandi. Hæc auctoritas esset proculdubio magni momenti, si satis authenticè probaretur, quod tamen citati auctores non præstiterunt. Afferunt quidem P. Henriquez *lib. 8. de Euchar. c. 44. §. 5. in Margine*: sed, vel habuerunt aliud exemplar quàm sit meum, vel obiter hunc auctorem inspexerunt: dicunt enim, quòd Henriquez tacito nomine meminerit Francisci Blanco, cùm tamen conceptissimis verbis illum nominet, nec tamen dicat, fuisse vnanimem Patrum sensum, sed solùm, quòd multi ita senserint, vnde ipse Henriquez sequitur contrariam sententiam.

885. Probari solet affirmativa opinio 1. ex Tridentino, quod cum ageret de Communione Laicorum sub vna specie, dixit: eos nullâ gratiâ ad salutem necessariâ defraudari: vbi ponderatur vox: *Necessaria*: non enim dixit simpliciter: *nullâ gratiâ fraudari*, prout dicere debuisset, si sensisset, non conferri majorem gratiam, sed addidit: *necessariâ*. quo vocabulo videtur tacitè supponere, privari quidem aliquâ gratiâ, sed non necessariâ ad salutem.

Respondet P. Arriaga, hoc vocabulum adeo non obesse contrariæ & negativæ sententiæ, vt potiùs inde confirmetur. Nam Concilium non potuit per Gratiam *necessariam* intelligere gratiam simpliciter necessariam, talis enim est sola prima gratia, quam Eucharistia non confert: ergo per Gratiam necessariam intellexit quemcunque gradum, qui ex se potest esse primus. Verùm hæc interpretatio non subsistit: si enim Concilium hoc dicere voluisset, debuisset vocem, *Necessaria*, penitus omittere, quia nihil significaret, sed tantùm ad decipiendum inserviret. Voluit autem Concilium per vocem, *Necessaria*, significare Gratiam Eucharisticam, prout est radix auxiliorum non quidem physicè, sed moraliter necessariorum ad perseverandum in gratia, vt explicatum est susuprà de Necessitate Eucharistiæ.

Meliùs alij respondent, Concilium noluisse præjudicare sententiæ adeo probabili affirmanti, conferri plus gratiæ, & ideo addidisse *necessaria*: quasi diceret: quidquid sit, an priventur Laici aliquo augmento gratiæ, & quibusdam specialibus auxilijs, quæ tamen non sunt necessaria ad salutem.

Probatur affirmativa 2. auctoritate Clementis VI. qui speciali favore concessit Regi Galliæ communionem sub vtraque specie, & caussam in Bulla (quæ tamen à P. Mendo quæsita non potuit reperiri) expressit; *ad majus gratiæ augmentum*.

Respondent adversarij 1. Id esse intelligendum ex opere operantis. Sed hæc responsio vix videtur aptari posse menti Pontificis, nam Pontifex hanc rationem allegavit, quia Rex ob hanc rationem petiverat. non videtur autem Rex vtramque speciem petijsse, vt ex opere operantis posset plus gratiæ consequi; hanc enim ex sola communione spirituali, & desiderio Calicis consequi poterat, absque actuali sumptione, quæ afferebat magnam singularitatem.

Respondent 2. posse intelligi de augmento Gratiæ ex opere operato, propter majorem dispositionem & devotionem quam rex erat præmissurus, si vtraque species concederetur, quàm si vna tantùm. Ita Arriaga. Sed contra. Hæc dispositio debet esse actus liber: quis credat autem, quòd Rex ille se liberè & advertenter tepidiùs præparaverit ad Eucharistiam, eò quòd illi non nisi vna species dabatur, non ignarus in ea non minùs totum Christum contineri, & se posse per majorem dispositionis intensionem etiam augmentum gratiæ consequi, etiamsi vnam speciem sumeret? Verum quidem est, quòd sumptio Calicis juvet ad devotionem continuandam dum sumitur calix: sed hæc dispositio non servit ad augmentum gratiæ ex opere operato in sententia adversariorum, quia Gratia, secundùm plerósque eorum, statim confertur sumptâ hostiâ, & deinde nihil ex opere operato.

Respondet Arriaga 3. Pontificem tantùm vt privatum Doctorem illam caussam addidisse, quia fortè fuit in hac sententia. Bene est: nec nos allegamus illius auctoritatem vt ex Cathedra definientis.

886. Probatur Concluſ. 3. Ratione. Illos effectus caussat Sacramentum, quos significat, & econtra quos non significat, non caussat: atqui species panis & species vini significant diversos effectus, ità vt vna significet aliquos, quos altera non significat: ergo caussant diversam gratiam Sacramentalem, quæ sit radix illorum diversorum auxiliorum & effectuum. Major est certa, minor probatur. Species panis, seu, Corpus Christi sub speciebus panis, significat spiritualiter effectus speciales cibi vt cibi, & sanguis sub speciebus vini & potûs significat speciales effectus vini & potûs, & econtra cibus non est aptus significare effectus speciales potûs, nec potus effectus speciales cibi: ergo species panis & vini significant effectus omnino diversos. Antecedens patet ex verbis Christi, dicentis, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*. Porro hujusmodi diversos effectus non obscurè indicat Ecclesia dum canit: *Dedit fragilibus corporis ferculum: dedit & tristibus sanguinis poculum*. alludens ad id quod canebat David ps. 103. Panis cor hominis confirmat, & vinum lætificat cor hominis. Eodem modo vocatur Calix inebriatio animæ. nam, inquit Lugo, sicut ebrius redditur naturaliter insensibilis ad ferendos labores & tribulationes, præ temporali consolatione, ità & anima per hunc calicem præ consolatione spirituali.

Hoc argumentum fatetur Arriaga probabile esse, existimat tamen habere claram instantiam in extrema Vnctione, cuius sunt septem diversæ vnctiones, quarum quinque ex veriore sententia sunt

sunt de essentia Sacramenti, & earum quævis significat diversa auxilia & effectus, & tamen qui septem vnctiones accipit, non consequitur plus gratiæ, quàm qui tantùm quinque accipit. Hæc tamen instantia non enervat argumentum, neque est paritas cum sumptione duplicis speciei. Disparitas est, quia Gratia quæ confertur per extremam vnctionem, non confertur per primam vnctionem, sed per vltimam, & illa est radix omnium auxiliorum & gratiarum actualium quæ petuntur in formis singularum Vnctionum, & illam caussant omnes Vnctiones per modum vnius caussæ totalis. At verò Gratia Eucharistica non confertur primùm per sumptionem calicis, sed statim sumptâ specie panis, & deinde primùm adhibetur sumptio calicis, quæ est significativa alicujus gratiæ non significativæ per species panis: ergo debet eam etiam caussare.

Respondent alij aliter, & dicunt, spiritualiter idem esse *famem & sitim*, idque ex pluribus Scripturæ testimonijs colligunt, exprimitur autem fames & sitis vt declaretur vehementia desiderij. quapropter vtraque species eandem gratiam significat, sed non eodem modo. Neque hæc responsio mihi satisfacit. Nam aliud est, famem sedari, & sitim extingui, & aliud: per illum cibum confortari, & exhilarari. cibus quadragesimalis etiam sedat famem, & aqua extinguit sitim, sed nec ille confortat valde, nec hæc exhilarat: panis autem habet præterea vim confortandi, & vinum vim exhilarandi, & hi effectus significantur per illas species seorsim. ergo etiamsi fames & sitis spirituales sint idem, effectus tamen panis & vini sunt diversi, quia non sunt sola sedatio famis & sitis: ergo non solùm diverso modo, sed etiam diversas significant gratias.

Objicitur, ex nostra doctrina sequi, quòd Laici defraudentur magno fructu quem consequerentur ex sumptione calicis. R. Quod ita sit, non est dicendum fraude fieri. Jure autem & ex gravissimis caussis negat Ecclesia Calicem Laicis, & sic per accidens impedit in aliquibus fructum aliquem quem alioquin consequerentur; quod quidem non est in hoc puncto singulare, sed omnibus fatendum est fieri, dum negatur item communio eodem die, dum non nisi certis temporibus & locis permittitur hoc sacrificium celebrari, dum illud negatur pueris &c. Caussarum negandi calicem erant gravissimæ. 1. periculum effusionis, quod nullâ morali diligentiâ caveri poterat, & cedebat in gravissimam irreverentiam hujus Sacramenti: hócque docuisse experientia apud Bohemos, testatur P. Dicastillo se à non paucis superstitibus audivisse. 2. multorum hominum. 3. error plurimorum & ferè omnium, qui negabant vtramque speciem, quòd putarent sub vna specie non esse totum Christum.



TRACTATVS

[MRA] [IHS] [IPH]

TRACTATUS IV.
DE
PŒNITENTIA.

MOre Scholasticorum dividendus est hic Tractatus in duas partes, quarum prior sit de Virtute Pœnitentiæ, seu, de Pœnitentia vt est Virtus moralis : secunda, de Sacramento Pœnitentiæ.

PARS I.
DE PŒNITENTIA
VT EST VIRTVS MORALIS.

CAPVT I.
DE GENERE ET DIFFERENTIA POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.
An Pœnitentia sit Virtus.

887. IN hoc puncto duplex error amovendus est, primus de nomine, alter de re. Error de re est Hæreticorum Lutheranorum, qui docent, Pœnitentiam prout à Catholicis accipitur pro detestatione & dolore, esse otiosam ac inutilem, vel etiam præsumptuosam, quasi possemus Deo satisfacere pro nostris peccatis. Error verò de nomine est, qui tribuitur Cajetano, volenti, Pœnitentiam etsi laudabilem & meritoriam, non mereri tamen nomen Virtutis simpliciter, sed tantùm secundùm quid. Error hæreticorum refutatur ex infinitis Scripturæ testimonijs, quibus Deus per suos ministros Pœnitentiam præcipit. Ad quæ testimonia respondent, ibi per Pœnitentiam intelligi propositum emendandi vitam in futurum. Sed absurdè : nam in pluribus locis exprimitur Pœnitentia per vocem doloris, gemitûs, compunctionis : Deinde non quodlibet propositum non ampliùs peccandi est pœnitentia : potest enim quis dum actu furatur, habere voluntatem tantùm hac vice furandi, nemo tamen dixerit, eum tunc pœnitere furti. Requiritur ergo propositum includens mutationem seu revocationem prioris peccaminosæ voluntatis, adeóque incompossibile cum voluntate peccandi. Quoad alterum

888. Dicendum est, Pœnitentiam esse simpliciter virtutem in sensu quo Theologi virtutem accipiunt. Probatur ex definitione Virtutis, tradita à Philosopho 2. *Eth. c. 2. & 6. Virtus est habitus secundùm rectam rationem electivus.* & c. 5.

Virtus est habitus bonus, qui bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit. Atqui talis est Pœnitentia: eligit enim illa media quæ præscribuntur ad delenda peccata; qui autem eligit quod præscribitur, vtique bene eligit: item qui facit quod præcipitur, vtique opus bonum facit, & ex tali actu melior est, quàm esset sine illo. Pari modo convenit Pœnitentiæ definitio S. Augustini *lib.1. retract. c.1. Virtus est bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nemo malè vtitur.*

Confirmatur. Nam vt in progressu patebit, objectum formale Pœnitentiæ habet in se specialem difficultatem superandam, cui victoriæ convenit ratio honestatis objectivæ, vt alibi dictum est.

889. Objicitur 1. Virtus est dispositio perfecti ad optimum *7. phys. t.17.* sed Pœnitentia non est dispositio perfecti, supponit enim essentialiter peccatum, adeóque imperfectum, nam Perfectum secundùm Aristotelem est, quod est dispositum secundùm naturam, seu naturalem inclinationem & exigentiam: peccatum autem est potiùs contra naturalem exigentiam. R. cum P. Esparza, illam definitionem ex Socrate desumptam, esse nimis rigorosam, nec ampliùs in vsu, alioquin neque omnes actus Justitiæ essent actus virtutis, cùm multi præsupponant peccatum, vt Voluntas restituendi, rem injustè ablatam. Sufficit ergo quòd Pœnitentiæ conveniat definitio à nobis vsurpata, & communiter recepta.

Objicitur 2. Verecundia secundùm Aristotelem *4. eth. c.9.* non est virtus, & ideo quidem, quia supponit turpe factum; sed hæc ratio procedit etiam de Pœnitentia: ergo neque hæc est virtus. Responderi potest 1. Non satis constare, quid Aristoteles illo loco per Verecundiam intellexerit, quandoquidem ibi subjungit, eam esse laudabilem in juvenibus, eò quòd à vitijs retrahat. Multi cum S. Thoma existimant, Verecundiam ibi accipi pro Passione animi aut motu indeliberato (prout communiter sumitur) proveniente ex apprehensione periculi infamiæ ob turpe factum, vnde Sanguis propellitur in faciem: & hoc sensu clarum est Verecundiam non esse virtutem; & in eodem sensu fatendum est, nec Pœnitentiam esse virtutem, si accipiatur pro motu displicentiæ indeliberato. Quia verò Pœnitentia communiter accipitur pro motu deliberato, non item verecundia, ideo simpliciter & absolutè Pœnitentia potiùs quàm verecundia dicitur virtus.

Quia verò valde veri simile est, Aristotelem ibi Verecundiam non tantùm vt Passio est, sed etiam vt motus deliberatus est, à ratione Virtutis excluisse, ideo aliter respondet P. Esparza, Aristotelem ibi virtutem in sensu stricto & Socratico accepisse, quo sensu nec pœnitentiam virtutem esse jam dixmus. Hæc tamen responsio ex duplici capite mihi non placet. Primò, quia non est ad mentem D. Thomæ, qui conabatur ostendere Pœnitentiam esse virtutem in eo sensu, quo Verecundia non est. 2. quia hac ratione Aristoteles malè dixisset, Verecundiam tantùm in Juvenibus esse laudabilem; esset enim procul dubio etiam laudabilis in Senibus, sicut est Pœnitentia, quæ esset virtus eo modo quo est Pœnitentia.

Respondet itaque 3. S. Thomas, distinguens inter Verecundiam & Pœnitentiam esse, quòd Pœnitentia supponat quidem turpe factum, sed præteritum, nam de præsenti non est cum illo compossibilis. Verecundia autem supponit turpitudinem de præsenti, vel certè (vt interpretatur Lugo) est compossibilis cum turpitudine de præsenti, hoc est cum actu turpi.

Contra hanc responsionem replicat Card. de Lugo. Non videtur esse contra rationem Virtutis, supponere turpem actum de præsenti, vt patet duplici instantiâ; si enim in instanti quo peccat, Deus mihi revelaret gravitatem talis peccati, & ego crederem, talis actus fidei esset actus virtutis, & tamen supponeret essentialiter peccatum ita de præsenti: item si dum actu pecco, me verto Deo humilio, & peto gratiam resurgendi, meditationem pœnæ, talis actus est laudabilis, & tamen compossibilis cum peccato: non ergo quamcumque compossibilitas cum peccato obstat rationi virtutis, sed compossibilitas talis, quæ proveniat ex efficacia actûs, resistentis quidem peccato, sed tantùm inefficaciter, cùm deberet resistere efficaciter, & ideo talis actus non est laudabilis, quia caret rectitudine debitâ, scilicet, resistentiâ efficaci, talis autem non sunt actus allati in instantijs; proinde etiam talis est pœnitentia, vtpote quæ refertur (saltem quoad principaliores actus, quidquid sit de alijs imperfectioribus) quantùm in se est, efficaciter, & ideo est incompossibilis cum peccato actuali. Talis verò est Verecundia, quæ quidem propter periculum infamiæ aliquatenus odit peccatum, sed tantùm inefficaciter.

Quodsi tibi hæc responsio necdum sufficiat, addere potes aliam, nempe Aristotelem per Verecundiam intellexisse actum quo quis aliquo modo virtualiter aut interpretativè ratificat peccatum præsens vel præteritum, & sola illi displicet infamia inde fortassis consecutura: v.g. fractus dicat: Peccatum non curo, modò non esset infame, modò lateret. vel: malo quidem peccare quam esse extra periculum infamiæ, si tamen abstinerem à peccato, solùm propter periculum abstinerem. vel: motivum infamiæ præfero omnibus alijs motivis nunc occurrentibus & absterrentibus à peccato.

Objicitur 3. Conatus stultus non est laudabilis. 4. *eth.* sed talis conatus est actus Pœnitentiæ: conatur enim quod factum est reddere infectum, quod vtique est impossibile. R.1. Actum Pœnitentiæ non dicere: *Volo facere, vt non peccaverim*, sed: si essent nunc illæ circumstantiæ quæ fuerunt quando peccavi, non eligerem quod elegi, sed oppositum: adeoque revocat illam voluntatem, & mutat mentem in meliùs, eliciendo talem actum, qui si fuisset elicitus tempore peccati, excluisset peccatum. R. 2. Officium & finem

Pœni-

Pœnitentiæ non esse, reddere formaliter factum infectum, hoc enim esset ponere simul formam & negationem formæ, quod est impossibile, sed vult facere infectum æquivalenter, hoc est, vt peccatum non perseveret habitualiter, & non sequantur effectus illius mali alioquin secuturi: item vt tollatur pravus habitus & inclinatio relicta ex actu &c. vt ex dicendis constabit.

CONTROVERSIA II.

An detur Pœnitentia, quæ sit Virtus specialis, contradistincta à cæteris Virtutibus, tum seorsim, tum collectivè sumptis.

890. CErtum est, singulas virtutes posse detestari peccatum sibi oppositum ex motivo suo speciali. v.g. Charitas detestatur odium Dei ex motivo amoris & bonitatis Dei, Castitas detestatur fornicationem ex motivo specialis honestatis quæ inest abstinentiæ à copula cum non sua, & sic de cæteris. Et hoc sensu potest vtique dici, quòd collectio omnium virtutum sit quidam vniversalis Pœnitentiæ habitus seu potestas pœnitendi de quocunque peccato. Quæstio est an præterea admittendum sit, Pœnitentiam esse vnum habitum specialem inclusum in illa collectione. quo posito & probato, vlteriùsquæritur, an talis habitus sit identificatus cum vno ex habitibus apud omnes DD. agnitis & receptis, vt est Charitas, Religio, Obedientia, Gratitudo, Justitia &c. vel an sit specialis habitus contradistinctus ab istis, & quodnam sit ejus objectum motivum formale & speciale, ratione cujus mereatur specialiùs, quàm quivis alius habitus, nominari Pœnitentia.

Certum enim est 1. non quemvis habitum esse aptum denominari Pœnitentiam: Habitus enim Pœnitentiæ, quem in præsenti quærimus, debet ex suo motivo speciali posse pœnitere de quocúmque peccato: atqui multi sunt habitus, quorum motivum se non extendit ad pœnitendum de quocunque peccato, quia non quodvis peccatum illi opponitur: sic peccatum injustitiæ non opponitur Castitati, aut Patientiæ: ergo Castitas, aut Patientia, aut Fortitudo &c. non potest detestari omne peccatum ex suo speciali motivo. Econtra sunt aliæ Virtutes, quarum motivum proprium & speciale se extendit ad quodvis peccatum, quia quodvis peccatum illi opponitur; talis est Charitas, Spes, Obedientia erga Deum, Religio, Gratitudo erga Deum &c.

891. DICO. Admittenda est Virtus Pœnitentiæ consistens in vno speciali habitu, qui ex motivo vniversali possit versari circa omnia peccata. Probatur à posteriori, & ex absurdo. Nisi enim Pœnitentia sufficienter reperiri posset in aliquo speciali habitu, sequeretur, quòd qui haberet plurima peccata diversarum specierum, tamdiu non posset dici pœnituisse de suis peccatis, quamdiu non in specie meminisset suorum peccatorum, & singulas species ex specialibus motivis omnium earum virtutum quibus eæ opponebantur, detestaretur. consequens est apertè absurdum, cùm certum sit, ad agendam sufficientem pœnitentiam de peccatis, posse sufficere detestationem ex motivo vnius specialis virtutis, extendente se ad omnia peccata. Hoc ergo sensu non vnicus tantùm habitus, sed tot habitus poterunt dici Pœnitentiæ habitus, quot sunt apti ex proprio suo motivo, saltèm vnà cum Sacramento Pœnitentiæ, justificare hominem à quocunque peccato.

Vtrum autem ex his habitibus vnus præ alio mereatur vocari Pœnitentia, plus habet de modo loquendi quàm de re.

CONTROVERSIA III.

Vtrum detur Habitus purè reflexivus super peccato commisso, ejúsque emendativus, & sub hoc conceptu mereatur specialiùs vocari Pœnitentia.

892. IN duplici sensu potest hæc quæstio moveri, in sensu nimirum reali, & in sensu formali. In sensu reali quæstio esse potest, an, sicut realiter ab invicem distinguuntur Habitus infusi, Charitas, Spes, Fides, & aliæ virtutes morales (de quarum tamen reali & adæquata ab invicem distinctione difficillimum est regulam statuere, nec ego in aliquo Theologo hactenus eam invenire potui quæ satis rem declararet) ità etiam detur aliquis habitus infusus à cæteris omnibus realiter distinctus, cujus omnes actus sint reflexivi supra commissum peccatum, cujus motivum proprium sit honestas residens in speciali difficultate delendi peccatum tum quoad se, tum quoad effectus post se relictos, & afferentes malum ipsi peccatori, cujusmodi sunt pœna, pravæ inclinationes &c.

In sensu formali quæstio esse potest, an saltem nostro concipiendi modo possit hujusmodi formalitas assignari purè reflexiva, quæ proinde sub tali formali conceptu specialissimè mereatur dici Virtus Pœnitentiæ. In vtroque sensu videntur eam admittere Recentiores, quia verò disertis verbis id non dicunt, ideo eos nominatim non adduco; satis mihi erit, quòd stent pro secundo sensu.

§. I.

Resolvitur Quæstio in primo sensu.

893. DICO, non dari hujusmodi habitus infusos realiter distinctos ab omnibus alijs, purè & per omnes suos actus reflexivos. De duobus Habitibus videtur maximè esse ratio dubitandi, de Virtute Perseverantiæ, & Virtute Pœnitentiæ. Perseverantia enim videtur se reflectere per suos actus supra actus præcedentes quibus honestatem amavimus, nec ab ea recessimus, adeóque etiam

supra negationem peccati: Pœnitentia verò, supra peccatum commissum.

Probo ergo Conclusionem imprimis quoad Perseverantiam. Perseverantia non distinguitur à Virtute Studiositatis in genere, quâ quis vult honestè vivere vniversim. Nam antequam vllum actum Virtutis eliciam, possum & debeo habere actum quo dicam: *volo perseverare in bono*: sed hic actus non est reflexivus supra alium præcedentem, & tamen est actus Virtutis Perseverantiæ: ergo &c. Ratio à priori est, quia omnis Virtus ita amat & vult suam specialem honestatem, vt eam non velit præcisè pro aliquo tempore determinato, sed constanter, quantùm est ex modo tendendi: quando enim quis postea contra talem virtutem peccat, dicitur priorem voluntatem retractare: non esset autem retractatio, nisi prior voluntas voluisset suam honestatem illimitatè. Ex hoc principio facilè declaratur, quomodo in omni actu virtutis reperiatur arduitas & contemptus boni temporalis: nam licet non sit difficile & arduum religioso ire ad Cœnam quando pulsatur, vt tamen eat ex obedientia, debet habere motivum extendens se etiam ad actus arduos, alioquin non erit virtus obedientiæ. Et quia hoc aliqui RR. non observârunt, ideo impugnârunt malè sententiam illam, quam in tract. *de Merito* dedi cum P. Esparza, quòd arduitas sit de conceptu Meriti. Itaque quando studiositas vult honestatem vt sic, vult eam constanter & perseveranter: ergo non datur alia Virtus Perseverantiæ, quæ post primum actum honestum velit perseverantiam in honestate. Probatur hæc vltima consequentia: alioquin enim deberent respectu cujusvis honestatis specialis dari duæ virtutes realiter distinctæ, vna directa, altera reflexiva, nam post primum actum augetur difficultas perseverandi in eadem Virtute, quatenus tò *Perseverare* fatigat animum, esto in alio sensu facilitet, quatenus generat habitum seu dispositionem ad faciliùs iterum amplectendum idem motivum: ergo si Honestas in genere peteret duos habitus, quorum vnus, nempe studiositas, vellet eam vt sic, abstrahendo à perseverantia, altera verò vellet perseveranter, deberet hoc etiam dici respectu honestatum specialium: hoc autem est falsum. nam v. g. Justitia est constans & perpetua voluntas Jus suum cuique tribuendi, nec est alia respectu primi actûs, & alia respectu perseverantiæ.

Confirmatur. Virtus Perseverantiæ est virtus tendens ad observationem præcepti negativi, quia obligat ad nunquam lædendam honestatem: ergo ejus honestas objectiva statim in primo actu amatur. Probo consequentiam. Nam in primo actu quo volumus honestatem vt sic, vt actus sit honestus, debet honestatem eo modo velle, quo modo obligamur eam velle. atqui obligamur ad eam perseveranter volendam, & nunquam lædendam: ergo, &c.

Ex his patet, quòd Virtus Perseverantiæ non solùm non realiter, sed ne quidem (huic loquendo) formaliter distinguatur à Virtute Studiositatis, nisi fiat quæstio de nomine. Sed tunc ad Pœnitentiam veniamus. de qua

894. DICO, Habitum Pœnitentiæ non esse purè reflexivum, nec realiter esse distinguendum ab Habitu Pacis, nec ad multiplicandos habitus sufficere diversitatem quamcunque motivi formalis. Probatur. Si Pœnitentia esset Virtus purè reflexiva, sequeretur, dari virtutes puè directas, realiter ab alijs distinctas, talis esset Innocentia, & Virginitas, eo nimirum sensu, quo nus nunquam possunt elicere actum reflexum, supponat actum vitij contrarij; consequens detur absurdum, quòd probo. Nam hic omnes isti Habitus per vnicum actum oppositum redderentur otiosi quoad suos actus principales, hoc est, prosecutivos honestatis propriæ, ita vt, etiamsi a justificatione infunderentur iterum cum Gra non possent tamen ampliùs vllum actum proprium & principalem elicere; nam nec Innocentia nec Virginitas semel amissa recuperari possicut potest temperantia &c.

Jam verò è contrario idem probari pote Pœnitentia. si enim Pœnitentia esset Virtus purè reflexiva, esset homo obligatus reddere sibi habitum penitus otiosum, quia obligatus est nunquam peccare: nullo autem peccato posito habitus necessariò otiaretur, vel certè non nisi errore & ignorantia posset elicere actum, nempe si quis falsò putaret se peccâsse. Videtur autem inconveniens esse, quòd detur Potentia aliqua realiter distincta ab omnibus alijs, cum obligatione nunquam vtendi tali potentia, nisi ex hypothesi peccati.

His omnibus incommodis occurritur, dicamus, Habitus infusos eatenus solùm esse realiter ab invicè distinguendos, quatenus pro nullo casu seu licito seu illicito possint reddi otiosi, ita vt non possint ampliùs etiam volenti esse vsui. Hoc autem ità erit, si Pœnitentiam identificemus cum Virtute Pacis servandæ cum Deo, vt facit Lugo, alijque RR. si Virginitatem cum Castitate, Innocentiam cum Studiositate.

Confirmatur 1. Quia alioquin Habitus Pœnitentiæ in Adamo ità fuisset superfluus, vt debuisset priùs destrui, quàm posset ad vllum actum proprium concurrere. Sequela probatur, quia traduntcommuniter Theologi, Adamum non peterat priùs committere veniale, antequam committeret mortale. atqui per mortale destruitur omnis habitus.

Confirmatur 2. Quia in Angelis fuisset de facto simpliciter superfluus, quia non erant admittendi ad pœnitentiam. Hinc autem fit augmentari licet. Si Habitus Pœnitentiæ constinctus à reliquis, infunditur homini primò quo do accipit Gratiam, & quidem tanquam peccatori debita Gratiæ, sequitur, Deum esse necessitas

tum metaphysicè ad constituendum in statu elevationis aliquod remedium Justificationis à peccato, & hoc etiam Angelis constituere debuisset, quod tamen non fecit. Sequela probatur. Nam sapientissimo agenti est impossibile ponere aliquid habens essentialiter rationem medij (vt sunt omnes habitus) & non intendere finem, ejúsque possibilitatem procurare: ergo semel infuso habitu Pœnitentiæ, jam Deus sibi necessitatem imposuisset ad justificandum hominem positis certis remedijs. Sed de hoc puncto satis. ad alterum veniamus.

§. II.

Resolvitur quæstio in sensu formali.

895. DICO 2. In conceptu & sensu formali ac præcisivo, potest admitti & rectè admittitur Habitus pœnitentiæ reflexivus & emendativus, suprà descriptus, specialiùs hoc nomine dignus. Ità ad minimùm sentiunt P. Antonius Perez, Sforzia Pallav: & Esparza. Pro intelligentia

Supponendum est ex Philosophia, Habitus & Virtutes multiplicari, saltèm formaliter, pro diversitate difficultatum superandarum in objectis honestis: v. g. qui habet Habitum & facilitatem vivendi temperanter in cibo & potu, potest habere difficultatem in observanda Justitia, & ideo Justitia est Habitus diversus à Temperantia. Ob eandem rationem distinguuntur hujusmodi habitus à Charitatis Habitu, & essent formaliter saltèm distinguendi, etiamsi cum Habitu Charitatis realiter identificarentur (vt aliqui suspicati sunt, eò quòd nunquam à Charitate separentur, sicut Fides & Spes) quod tamen non assero. Ratio est; nam licèt Charitas ex suo motivo & objecto formali superet difficultates omnium cæterorum habituum, versantium circa materiam obligatoriam & præceptam, non tamen econtra qui superavit difficultatem quæ est in observatione Justitiæ ex speciali honestate Justitiæ, hoc ipso superavit difficultatem quæ est in præferendo Deo omnibus alijs, & ideo Justitia est Habitus distinctus à Charitate, cui tamen subordinatur. Hoc supposito, & ad nostrum propositum applicando

Certum est, quòd post lapsum consurgat difficultas in Emendatione delicti, quæ non fuit, dum homo erat innocens; nam difficile est mutare voluntatem, ità vt modò velimus illud nobis displicere, quod vltimò priùs placuerat. item difficile est, elicere illos actus fugæ, qui causant dolorem: difficile etiam est adhibere spontaneas pœnalitates ad tollendam pœnam cujus reatum habet, cùm ante peccatum fuerit immunis. Porrò has difficultates superare est honestum & laudabile.

DICO igitur, hanc specialem honestatem respici à formalitate alicujus Virtutis, quam vt sic vocamus speciali etymologiâ Pœnitentiam, quæ per suos actus procurat & imperat alios actus, v. g. actum Charitatis, Doloris, Propositi non peccandi de cætero] &c. propter specialem vtilitatem quam isti actus habent sive ab intrinseco sive ab extrinseco ad delendum peccatum, vel secundùm culpam, vel secundùm effectus peccati.

896. Restat solùm declarandum, quòd hæc Virtus sub hoc conceptu, rectè & specialius vocetur Pœnitentia, quæ quidem est quæstio de modo loquendi. Desumptus autem est hic modus loquendi ex SS. Patribus. & imprimis ex S. Thoma, qui 3. *p. q.* 85. *a.* 1. quærens, an Pœnitentia sit Virtus, respondet affirmativè, & hoc probat ex definitione Virtutis, quòd sit habitus electivus secundùm rectam rationem, deinde applicat hoc Pœnitentiæ his verbis. [Pertinet autem ad rationem rectam, vt aliquis doleat, de quo dolendum est, & eo modo & fine quo dolendum est, quod quidem observatur in Pœnitentia, nam Pœnitentia NB. assumit moderatum dolorem de peccatis præteritis, cum intentione removendi ea.] Deinde verò a. 2. vbi quærit, an Pœnitentia sit specialis virtus, respondet his verbis. [Manifestum est, quòd in Pœnitentia invenitur specialis ratio actûs laudabilis, scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, in quantùm est Dei offensa, quod non pertinet (intellige formaliter) ad rationem alterius virtutis.] Deinde in eodem art. ad 1. docet, eam distingui à Charitate, quia licèt displicentia peccati præteriti præcisè spectata pertineat ad Charitatem, attamen intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit specialem Virtutem sub Charitate. & ad 2. clarissimè exprimit objectum formale à nobis assignatum, dicens, quòd Pœnitentia habeat quidem realiter generalem materiam, in quantùm respicit omnia peccata, sed tamen sub ratione speciali, in quantùm scilicet sunt emendabilia per actum hominis cooperantis Deo ad suam justificationem. Hæc S. Thomas.

897. Quod attinet ad SS. PP. aliqui claris verbis tradiderunt, Virtutem Pœnitentiæ ex officio suo tendere ad destructionem peccati, & procurare media deletiva peccati. Et imprimis ità accipienda est definitio communiter circumferri solita ex D. Gregorio *hom.* 34. *in Evang.* dicente, quòd Pœnitentia aliud non sit, quàm perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare: quæ definitio non potest intelligi de actu secundo, & de actu formali planctûs, & de negatione iterationis, alioquin nemo dici posset pœnitentiam egisse, antequam verum esset dicere, quòd nunquam sit relapsus, & quicunque relapsus esset, hocipso haberet evidentiam, quòd prius salutarem pœnitentiam non egisset. Intelligenda ergo est definitio de actu imperante dolorem & propositum in hunc finem, vt removeatur offensa Dei & reatus pœnæ, prout interpretatur D. Thomas *l. c. a.* 1. *ad* 3.

Idem Gregorius M. lib. 9. Registri Epist. 39. [Magna est, inquit, contra peccatum Virtus Pœnitentia.] Auctor libri de vera & falsa pœnit. c. 2. (qui tribuitur S. Augustino, sed non est illius, vt

notat Bellarm.) dicitur Pœnitentia esse remedium à Deo concessum, quo pellitur infirmitas & redit sanitas animæ. S. Chrysostomus hom. 23. in Matth. Non est aliquod omnino peccatum, quod non cedat Pœnitentiæ Virtuti. Gregorius Nissenus in orat. contra eos qui alios acerbiùs judicant. Quid, inquit, aliud est Pœnitentia, nisi dissolutio & eversio præteritorum, quæ vel re vel cogitatione sunt admissa. Certum autem est, quòd ipsa actualis eversio peccati non sit Pœnitentia, alioquin infusio Gratiæ esset Pœnitentia: intelligendi sunt ergo Patres de actu & habitu procurante eversionem per media à Deo præscripta; sicut Virtus Misericordiæ dicitur esse sublatio alienæ miseriæ, intelligendo de actu imperante externam elargitionem Eleemosynæ.

898. Objicies 1. Ille habitus non potest esse Pœnitentia, qui si deberet aliquid ordinare circa existentiam peccati, ordinaret, vt illud existeret potiùs quàm non existeret: sed hoc faceret habitus reflexivus & emendativus: ergo non rectè assignatur pro habitu Pœnitentiæ. Major probatur, quia de conceptu habitûs Pœnitentiæ videtur esse, vt potiùs detestetur, quàm petat existentiam peccati. Minor verò patet: Nam habitus vtique petit existentiam eorum omnium, sine quibus ipse non potest operari. R. Hoc argumentum non nos, sed eos petere, qui hujusmodi habitum reflexivum volunt esse realiter distinctum ab alijs habitibus directè impeditivis peccatorum. R. Ergo transmissâ majore nego, minorem. Nam realiter habitus pœnitentiæ per actus directos quibus amat bonum pacis cum Deo, potiùs ordinaret, vt peccatum non existeret.

Objicies 2. Si Pœnitentia est virtus reflexiva supra peccatum commissum, & procurativa pœnalitatum correspondentium delicto, sequitur eam non distingui à Justitia Vindicativa, adeóque non esse Virtutem specialem, contradistinctam à cæteris virtutibus nominatis: consequens est contra nostram conclusionem. R. Negando sequelam. Nam licèt Justitia Vindicativa sit Virtus reflexiva, formaliter & sub hoc nomine considerata, duplici tamen, vel etiam triplici ex capite distinguitur à Pœnitentia. 1. quia non est reflexa supra delicta propria, sed super aliena: nam Justitia Vindicativa residet in superiore habente Jurisdictionem & Imperium. 2. Justitia vindicativa intendit honestatem. quæ consistit in commensuratione pœnæ condignæ cum delicto: Pœnitentia verò potiùs contrarium intendit, nempe intendit amovere illa mala, quæ vel jam inflicta sunt propter peccatum, vel essent infligenda, si non ageretur Pœnitentia: v. g. si peccatum fuit mortale, Deus abstulit gratiam, & imminet pœna æterna: Pœnitentia vult gratiam recuperare, & impedire pœnam æternam, præstando pœnam temporalem satisfactionis, quæ semper solet à Deo minor exigi & acceptari, quàm esset illa, quæ per satispassionem sustinenda esset. Si verò fuit peccatum veniale, vult Pœnitentia recuperare illos favores, quos Deus alioquin propter peccatum negaret; & quoad pœnam præcedit sicut de mortali dictum est. 3. denique distinguitur Vindicativa à Pœnitentia, quòd Vindicativa intendat bonum reliquorum subditorum à delinquente distinctorum, quos vult per vindictam in delinquente sumptam absterrere à similibus, non autem intendit bonum delinquentis nisi per accidens, quando infligitur pœna medicinalis, quod tamen non est de ratione pœnæ, vt patet tum in damnatis, tum in illis qui vltimo supplicio afficiuntur. secùs se res habet in Pœnitentia, quæ castigat delinquentem primariò in bonum illius, vt scilicet ab ipso amoliatur gravius aliud malum.

Objicies 3. Ex nostra explicatione sequitur, actum Pœnitentiæ esse actum profectionis & non fugæ, cùm tamen Theologi eum constituant in actu fugæ. R. Actum Pœnitentiæ dicitur esse simul prosecutionem & fugam, sed respectu diversorum. sicut enim qui amat lenitatem, detestatur hoc ipso ægritudinem, ita actus Pœnitentiæ prosequitur deletionem peccati, & detestatur ac fugit peccatum simul & indivisè, & quidem detestatur illud vt inductivum illorum malorum, quæ Pœnitentia vult emendare. Præterea etiam Pœnitentia imperat actum fugæ, v.g. contritionem tanquam vtilem ad justificationem, & hic actus etiam vocatur Pœnitentiæ, vt infrà dicetur infrà.

899. Objicies 4. Nullus datur Habitus merè emendativus erroris commissi, sed omnis virtus quæ est emendativa delicti, est etiam precautiva seu impeditiva ejusdem. Ergo non rectè assignatur à nobis Virtus Pœnitentiæ. Antecedens declaratur exemplis. Justitia v.g. est quidem emendativa injuriæ commissæ per furtum, detrimentum, &c. procurando restitutionem pecuniæ & famæ, quæ restitutio est actus Justitiæ; sed eadem Virtus Justitiæ est etiam præcautiva furti, hoc est, ad eandem virtutem pertinet actus quo dico: nolo cuiquam suum auferre, aut famam lædere, &c. Item Temperantia intendit quidem emendare excessum factum in cibo & potu, sed eadem temperantia intendit etiam omnem excessum cavere, & sic de alijs. Ratio à priori est, quia voluntas movetur ab eodem motivo ad cavendum malum ne eveniat, à quo movetur ad emendandum malum postquam evenit: quia eidem bono & eodem modo opponitur malum vt primò existens, & malum vt perseverans. R. Si objectio procedat in sensu reali, concedo totum, juxta ea quæ §. dicta sunt. In sensu formali verò R. Distinguendo antecedens. Idem est habitus emendativus & impeditivus mali, si bonum quod per impeditivum conservatur, est illud ipsum in specie, quod per emendationem reparatur & producitur, atque eandem habet difficultatem per se in æstimatione theologicâ, concedo antecedens: si sit diversum bonum & diversæ rationis id quod per emendationé alteri substituitur, & talis substitutio habet diversam

diversam difficultatem, quæ semper & per se nascitur ex destructione prioris boni cui aliud substituitur, nego antecedens. Et sic habetur disparitas manifesta inter exempla allata & Pœnitentiam. Justitia enim sicut vult conservare Jus illæsum alterius in bonis fortunæ, & famæ, ità postquam læsum est, vult iterum hoc jus reparare per pecuniæ & famæ restitutionem, & quamvis contingere possit, vt pecunia restitui non possit, sed debeat restitutio fieri in æquivalenti, equo, bove, frumento, &c. hoc tamen est per accidens, & illud quod substituitur, v. g. equus potest commutari in pecuniam per venditionem: item licet per accidens fieri possit, vt restitutio sit difficilior quàm fuisset conservatio juris illæsi, hoc tamen iterum est per accidens, & non nascitur ex natura furti. Sicut etiam per accidens est, quòd quis non possit vitare infamiam in restitutione, sicut potuisset vitare non furando. Jam verò loquendo de Pœnitentia, illa non intendit restituere idem bonum quod per peccatum perditum est, in specie, nam licet intendat restituere Gratiam, hoc tamen non est adæquatum & speciale illius objectum, sed difficultas superanda in retractatione prioris beneplaciti, & in exercitio spontanearum pœnalitatum, loco pœnarum aliarum quæ non sponte essent ferendæ, in eradicatione malæ inclinationis per peccatum commissæ. Item Pœnitentia assumit dolorem, & alias pœnas, vt vtiles ad placandam indignationem Dei, ne majores pœnas infligat, cùm tamen, si peccatum positum non esset, non fuisset ille homo vlli pœnæ subeundæ obnoxius, adeóque bonum amissum per peccatum, erat immunitas ab omni pœna, quod est bonum vtique diversum à bono commutationis & substitutionis minoris pœnæ in locum majoris. Denique bonum quod Pœnitentia intendit, est imploratio & conciliatio Clementiæ & Misericordiæ divinæ, bonum verò per peccatum amissum, & per evitationem peccati conservandum, erat amor amicitiæ & benevolentiæ: ergo à primo ad vltimum, bonum quod pœnitentia intendit, est diversæ rationis à bono quod per peccatum erat deperditum, & cujus conservatio spectat ad illam virtutem, cui opponebatur peccatum commissum.

Objicies 5. Si Pœnitentia est Virtus imperativa doloris, & propositi non ampliùs peccandi, & in ordine ad hos specificatur, & ab illis denominatur *Pœnitentia*, sequitur hos actus malè vocari à SS. Patribus actus Pœnitentiæ, quia actus imperati ab aliqua virtute, non dicuntur actus illius virtutis, sed soli actus eliciti. Respondeo cum Pallavicino, frequentissimum esse, vt tribuantur alicui virtuti actus ab ea solùm imperati: v. g. Oratio dicitur esse actus Religionis, cùm tamen Oratio in Sententia S. Thomæ sit actus intellectûs, actus verò eliciti à Religione sunt actus voluntatis. quodsi dicas, Orationem esse actum voluntatis, adhuc non est actus elicitus ab habitu Religionis, quia non habet pro objecto formali & motivo cultum Dei sicut habet Religio, sed impetrationem beneficij; quod idem procedit in actu voti, cujus objectum formale est obligatio, ipse verò actus voti seu promissionis, est cultus Dei imperatus à Religione propter honestatem objectivam quæ illi inest, & tamen dicitur actus Religionis. Quo sensu etiam Apostolus tribuit Charitati actum Spei & Fidei, dicens, *Charitas omnia credit, omnia sperat.*

Itaque actus eliciti ab habitu emendativo peccati, etsi non sint Pœnitentia formalis sicut est dolor formalis, sunt tamen Pœnitentia causalis.

Dices cum quodam Recentiore Hispano: ergo, si Deus ità ordinâsset, vt ad delendum peccatum non esset opus alio actu quàm actu fidei, adhuc posset quis dici agere pœnitentiâ, si sibi imperaret actum fidei, etiamsi nullum dolorem formalem eliceret, dummodo intenderet delere peccatum, & emendare. R. hanc tandem esse quæstionem de nomine, vt fatetur hic ipse Recentior, de quâ non est contendendum. mihi satis est, posse assignari habitum, cujus speciale objectum sit, emendatio peccati propter difficultatem in hac repertam. Vtrum autem debeat vocari Pœnitentia, parùm interest. Vidimus à S. Thoma ità vocari propter actus quos defacto imperat, qui sunt dolor, propositum, &c. In casu quo peccatum posset deleri sine formali dolore, fortè ille habitus emendativus non esset sortitus nomen Pœnitentiæ, sicut defacto sortitus est. Et ratio disparitatis est, quia imperium actûs fidei posset conjungi cum complacentiâ, & gaudio de peccato commisso, & ideo non mereretur nomen Pœnitentiæ, actus verò imperans retractationem non potest conjungi cum tali gaudio. Sed de hoc satis.

CONTROVERSIA IV.

An sit possibile peccatum ex intrinseco prædicato indelebile per Pœnitentiam.

900. QVæstioni huic ansam dedit Card. de Lugo qui *disput.* 8. *s.* 1. *n.* 4. obiter proponit argumentum, quo putat probari posse possibilitatem peccati penitùs irremissibilis. Argumentum autem est hoc. Ponamus Deum decernere, quòd nolit Petro vllum peccatum dimittere, & hoc suum decretum Petro revelare cum obligatione credendi, Petrum autem nolle credere, sicque graviter peccare: hoc peccatum incredulitatis erit essentialiter & intrinsecè irremissibile. Probatur. Quia essentialiter pendet à vera Dei revelatione: diceret enim: *nolo credere Deum per hæc signa loqui & asserere, se nolle mihi vllum peccatum dimittere.* ergo essentialiter præsupponeret locutionem veram Dei: jam si tale peccatum posset remitti, posset falsificari locutio Dei, cum qua habet essentialem connexionem coëxistentiæ, atqui impossibile est, revelationem Dei falsificari, quia vel Deus mentiretur, vel haberet erroneum judicium, quod vtrumque repugnat: ergo tale peccatum esset essentialiter irremissibile. Hujusmodi

modi argumenta, desumpta ex revelatione Dei & actu fidei vel peccato oppositio, quibus sæpiùs vtitur Lugo & alij, ad varia paradoxa probanda, sunt molestissima, &, nisi fallor, plus habent acuminis quàm efficaciæ & soliditatis.

901. DICO. Repugnat peccatum hujusmodi irremissibile. Probatur imprimis ostendendo per instantiam, argumentum Lugonis nimium probare, & in voluere contradictionem, adeóque omnibus solvendum esse; deinde afferendo argumenta & rationes quasi à priori, quibus hujusmodi implicantia suadetur, denique solvendo ipsum argumentum.

Imprimis ergo infringo Lugonis argumentum simili prorsus modo argumentandi, quo tamen evidenter falsum & contradictorium infertur, & tamen consequentia est inevitabilis, nisi negetur vnum ex principijs assumptis, habentibus eandem veritatis apparentiam quam habent principia Lugonis.

Primò, ponit Lugo possibile esse, quòd Deus vniversaliter decernat vno indivisibili decreto: *Nolo Petro ullum peccatum dimittere*: hoc principium putat Lugo non posse negari, & rationem reddunt aliqui RR. quia Deus potest edocere creaturam rationalem viatricem de suis Secretis, & absterrere à peccato, modo docendi proportionato viatori elevato, liberè & meritoriè tendenti ad salutem, efficacissimo, perfectissimo & maximè meritorio, qui modus consistit in revelatione obscura suorum secretorum & decretorum per fidem divinam credenda. Ità isti RR. Bene est. Pono ego aliud simile, quod ex eodem fundamento negandum non erit. Potest Deus facere hoc decretum. *Nolo Petro remittere vllum peccatum ex illis quæ intrinsecè remissibilia sunt.* hoc inquam multò minùs negari poterit, quia est decretum minùs vniversale & illimitatum, nam decretum Lugonis extendit se ad omnia tam remissibilia, quàm irremissibilia, meum autem tantùm ad remissibilia se extendit: ergo si hoc repugnat, multò magis illud.

Secundò, ponit Lugo, hoc decretum posse Petro revelari revelatione obligante ad credendum, & quidem revelatione essentialiter divinâ, hoc est, constante tali apparentiâ externâ, quæ non possit à Deo permitti, quin Deus per illam apparentiam loquatur. Hoc ipsum & ego pono de meo decreto. Tertiò, ponit Lugo, Petrum discredere revelationi, & illum actum incredulitatis essentialiter pendere ab illa revelatione. Hoc totum & ego pono. Videamus, quid inde sequatur. Quæro ex Lugone, an peccatum incredulitatis, quo Petrus dicit: *Nolo credere Deum revelare per hæc signa quod nolit mihi remittere vllum peccatum in se remissibile*: quæro inquam, an hoc peccatum sit in se intrinsecè irremissibile, necne? Si dicat, esse irremissibile: contra est, quia ex nullo capite habet hanc irremissibilitatem, non quidem ex decreto Dei, quia, vt ponitur in casu Deus nihil statuit, nisi de peccatis remissibilibus, ergo si hoc peccatum est irremissibile intrinsecè, deberet hæc irremissibilitas aliunde provenire, atqui ex nullo alio capite provenire potest, vt fatentur Adversarij. Si verò dicat, esse remissibile: contra est, quia est essentialiter dependens à revelatione essentialiter vera, de non remittendo vllo peccato remissibili: ergo dum ponitur remissibile, arguitur irremissibile. ergo patet, in argumento Lugonis latere aliquam fallaciam.

902. Declaratur ampliùs per rationem à priori. Decreta Dei libera semper versantur circa objecta contingentia, hoc est, talia denunnt, quæ si Deus non decerneret, non exiberent, adeóque non sunt in se necessaria ullo, qualia Deus per decretum liberum vult esse: Deus non habet decretum quo dicat: *Nolo fore Chymæram*, & multò minùs dici potest, Deum decreto reddere chymæram impossibilem. Posquando Deus decerneret nullum remittere peccatum, tale decretum esset liberum; posset enim Deus non decernere: ergo peccatum quod decernit non remittere, supponitur esse remissibile: sicut, si Deus decerneret non facere Chymæram, supponeretur Chymæra factibilis, & communiter factibilis non est, omnes supponunt, Deum posse facere Decretum quo dicat: Nolo facere chymæram. procederet enim hujusmodi decretum ex Scientia simplicis intelligentiæ de impossibilitate chymæræ, adeóque diceret: quia vtique non posse facere chymæram, ideo nolo facere, quod esset decretum ridiculum & nugatorium, sicut fuit illa nolitio, quâ vulgus audit spira, quia habere non potuit. Ergo, si res attentè consideretur, omne peccatum quod est subactum divini decreti nolentis remittere peccatum, debet esse intrinsecè remissibile: ergo debet esse tale decretum quale nos posuimus: cum ergo inde deduxerim, peccatum infidelitatis hinc quens tale decretum fore simul remissibile & irremissibile, sequitur, latere implicantiam aggregato seu complexo ex his tribus: ex decreto Dei de non remittendo peccato vllo, cujus remissione, & subsequente peccato essentialiter connexo cum illo decreto.

Respondent aliqui RR. factâ revelatione negante remissionem peccatorum, posset homo successivè peccare cum actuali notitiâ & reflexione ad revelationem istam, vel absque recordatione & actuali reflexione ad eam, adeóque quoniam posset committere peccata intrinsecè remissibilia & remissibilia, ideo dicipotest, Deum ipsâ nolle remittere tam remissibilia, quàm irremissibilia, & revelare generatim nolitionem omnis remissionis tam possibilis quàm impossibilis. & hoc modo faciendo revelationem externam in terminis generalibus præscindentibus, permittit occasionem homini committendi peccatum intrinsecè essentialiter irremissibile. Porrò (dicunt isti) est necessitas Dei & infinita perfectio potentiæ nolle impossibilia, & actualiter odisse omnia stulta & chymæras per actum necessarium divinæ voluntatis

voluntatis, quòd ad longum probant, cùm nihil planè faciat ad rem, quia plus non probant, quàm simplicem displicentiam de his omnibus, cùm deberent probare voluntatem practicam impeditivam impossibilium ne existant; de quo decreto est sermo in præsenti, vt constat, & constabit iterum ex dicendis. Itaque

Responsio hæc imprimis ferit suos auctores apertè. Docent enim isti RR. sibi videri, quòd defacto peccatum Angelorum fuerit peccatum essentialiter irremissibile, quia dependebat à revelatione Dei de tali peccato nunquã dimittendo: hæc sanè revelatio (si fuisset) fuisset de peccato determinato, & non generale: atqui decretum de determinato peccato non dimittendo, debet esse decretum practicum absterrens à tali peccato, & consequenter de peccato remissibili, vt hi ipsi RR. in sua responsione supponunt: ergo doctrina horum RR. sibi non cohæret. Deinde data responsio non procederet in casu quo Deus revelaret Petro, v.g. quòd Turca intra centum annos exterminabitur, & simul adderet, quòd si Petrus hoc nollet credere, nollet illi hoc peccatum incredulitatis vnquam dimittere: in hoc, inquam, casu peccatum incredulitatis esset intrinsecè irremissibile, & tamen de hoc solo procederet decretum Dei: ergo ex fundamento adversariorum sequitur, quòd Deus posset habere & manifestare decretum determinatum de non faciendaChymera, hoc autem esse absurdum, & fatentur tacitè adversarij, & vel inde patet, quia ineptè ageret Deus, docendo hominem aliquid, quod nemo nisi stultus ignorare potest, tale autem est: Deum nolle facere chymæras.

Præterea indignum planè Deo est, revelare in genere decretum de non faciendis aliquibus, inter quæ sint aliqua factibilia, aliqua non factibilia: quis enim non explooderet eum, qui, Deo revelante, se extra hunc mundum nihil produxisse, hanc revelationem ità interpretaretur, quòd Deus revelaverit suum decretum generale, quo decrevit extra hunc mundum nec possibile nec impossibile quidquam creare? sed quæso, quare talis meretur explodi? nunquid ideo, quia quando Deus dicit, se aliquid non fecisse, aut nolle facere, censetur ab omnibus ratione præditis loqui de eo quod facere posset? Itaque de impossibilibus Deus non revelat se ea nolle facere, sed, se ea facere non posse, ex quo quivis sanæ mentis infert: *ergo ea non vult voluntate necessariâ.* econtra quando Deus dicit, se aliquid nolle, ab omnibus supponitur, quòd liberè nolit, & posset velle. Ratio est, quia quidquid Deus generaliter dicitur nolle, posset Deus revelare, & distributivè per singula affirmare, se nolle id facere, & quidem vnum sicut alterum, alioquin deceptoriè loqueretur & æquivocaret: atqui de peccatis remissibilibus diceret, se ea liberè nolle remittere, de irremissibilibus autem non posset dicere, se ea liberè nolle: ergo non potest de remissibilibus & irremissibilibus generaliter loqui & dicere, se ea nolle remittere.

903. Ad argumentum ergo Lugonis respondendum est, & simpliciter negandum, posse Deum generaliter & in confuso revelare revelatione essentialiter divinâ, se Petro v.g. nullum peccatum remissurum esse, faciendo illi potestatem peccandi dependenter ab hac ipta revelatione, & sic committendi peccatum essentialiter irremissibile: sed revelatio deberet semper procedere de peccatis independentibus à revelatione tali, & distributivè enumerabilibus, & intrinsecè remissibilibus. Hanc responsionem dare debent ipsi adversarij imprimis in casu suprà posito, quo Deus revelaret, se nullum peccatum remissibile remissurum, quia alioquin sequeretur posse dari peccatum quod simul esset & non esset remissibile, vt suprà demonstratum est. Secundò, hanc responsionem dare debent adversarij, si quis ex modo illorum argumentandi vellet probare, posse dari peccatum essentialiter impunibile, quod ipsi meritò fatentur esse impossibile, cùm de conceptu peccati sit, facere reum pœnæ, vtique pœnæ possibilis. Argumentum autem facilè quisque formaverit. Si Deus revelet Petro, se nullum illius peccatum puniturum: & Petrus dependenter ab hac revelatione peccaret, tale peccatum esset essentialiter impunibile, alioquin posset falsificari revelatio. Respondendum, inquam, est, sicut rectè nuper aliqui Recentiores responderunt, vel talem revelationem non fore essentialiter divinam, vel non se extendere ad peccata dependentia à tali revelatione.

Recentiores antè adducti pro confirmatione sui peccati irremisibilis, ausi sunt docere, defacto dari in damnatis hujusmodi peccata irremissibilia, & hoc putârunt esse evidens ex hoc discursu. Damnati enim eliciunt acerbissimum odium Dei, cujus motivum formale est actualis perpessio pœnæ æternæ, actualis necessitas æternæ desperationis, actualis immersio in abyssum calamitatis sempiternæ; & hæc omnia quatenus intuitivè cognita, & intuitivè actualiter habita, sunt motivum formale: sed est impossibile elicere acerbissimum hoc odium Dei propter hoc motivum formale, quatenus intuitivè cognitum & intuitivè habitum, nisi ab homine damnato, cui nullum peccatum remitti potest: ergo istud odium Dei est intrinsecè essentialiter irremissibile, cùm intrinsecè & essentialiter sit actus damnati, proportionatus & commensuratus intrinsecè & essentialiter intuitivæ repræsentationi talis motivi formalis, & intuitivæ actuali perpessioni ejusdem motivi. Hæc illi, sine omni auctoritate (nam Lugo nullum irremissibile peccatum defacto agnovit, imò etiam de possibili potiùs dubitativè quàm assertivè locutus est) & sine veritate. Supponunt in suo discursu, quòd odium Dei in damnatis procedat ex cognitione metaphysicè evidente, de perpetuandis tormentis per totam æternitatem ex libero Dei decreto, quod est falsissimum; vnde enim per metaphysicam evidentiam illis innotescit divinum decretum? Experientia præsens

& in primo instanti damnationis, non probat evidenter metaphysicè, quòd sint duratura tormenta æternùm; nec est metaphysicè evidens, quòd illa ipsa tormenta, & omnia argumenta quæ damnatus naturali intellectu penetrat, & à quibus inducitur ad judicandum, fore pœnam æternam, non possint in aliquo supposito existere, quin reverà durarent æternùm. Sufficit illis evidentia moralis, & absentia omnis probabilitatis de pœna aliquando remittenda. Itaque tantùm abest damnatos habere evidentiam metaphysicam de pœnis æternùm duraturis, vt repugnet eam haberi cognitione naturali, ad hoc enim esset necesse, illas pœnas esse intrinsecè perpetuas. Denique in mea sententia (quam nuper Romæ etiam docuit Recentior Hispanus sæpè à me laudatus) potest vnum peccatum remitti sine alio, & sic Deus posset damnatis extrinsecè condonare peccatum Odij, & tamen illos æternùm affligere propter peccata commissa in via. ergo etiamsi concederemus, peccatum Odij ex intrinseco perdurans essentialiter supponere statum damnationis æternæ, nullo modo legitimè infertur, illud esse intrinsecè irremissibile. Sed de hoc satis. Quæ alia argumenta, quibus hoc peccatum irremissibile solet impugnari, vt quòd præjudicet infinitæ misericordiæ Dei, quòd haberet infinitam voluntatem sistendi illius Clementiæ, quòd esset omnino nimiè eligibile, adeóque gravissimum &c. quæ quidem ab adversarijs eluduntur, nescio tamen an rectè solvantur.

CAPVT II.

DE PRÆCIPVO POENITENTIÆ ACTV AD PECCATI DELETIONEM IDONEO, CONTRITIONE.

CONTROVERSIA I.

Quale Motivum esse debeat Contritionis, prout differt ab Attritione.

904. NOtandum 1. Contritionem Theologicè per hoc distingui ab attritione, quòd ille actus dicatur Contritio, qui est connexus cum hominis justificatione, sive vt dispositio vltima, sive vt forma justificans (de quo alibi dictum) etiam sine vllo Sacramento re susceptо: Attritio verò dicatur omnis illa supernaturalis detestatio peccati, quæ sine Sacramento re suscepto non trahit secum justificationem.

Notandum 2. Motiva, ex quibus peccata detestamur, alia esse vniversalia, hoc est, extendentia se ad omnia peccata, vt Motivum Obedientiæ, Religionis, Charitatis, Spei &c. alia sunt specialia & diversa pro diversitate virtutum quas specificant, & non se extendunt ad omnia peccata, vt Motivum Temperantiæ, Liberalitatis, Misericordiæ &c.

Notandum 3. Ex motivis vniversalibus aliqua esse, quorum honestas desumitur per ordinem ad Deum, præcisâ omni pœnâ & præmio, adeóque possunt intendi etiamsi nullum præmium obtineretur, aut nullus reatus pœnæ incurreretur: hujusmodi est motivum Religionis; est enim honestum colere Deum vt supremum ens, illíque obedire, secluso omni præmio, & metu pœnæ. Alia verò sunt, quæ desumunt honestatem à præmio quod intenditur, & pœnâ quæ declinatur. Porrò quia difficilius est operari propter honestatem non attento præmio aut pœnâ, ideo illæ priores virtutes sunt nobiliores, & laudabiliores earum actus. His positis

Quæstio præsens est, ex quo motivo debeat esse Contritio perfecta & justificativa. Prima sententia est, non solùm ex motivo perfectæ Charitatis, cujus actus habent Deum pro fine *Vt*, sed etiam ex motivis vniversalibus suprà memoratis, quæ non respiciunt præmium aut pœnam, vt ex motivum Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis, posse haberi Contritionem justificativam extra Sacramentum. Ità non pauci RR. innominati quibus occasionem ità sentiendi præbuit Suarez, inquiens, sibi ità olim visum esse de motivo Justitiæ, quod motivum putat hic auctor esse proprium Pœnitentiæ, qui etiam supponit, omne peccatum esse contra Justitiam erga Deum. Hanc Sententiam Vasquez vocat erroneam; quæ tamen censura nimia est, vt ostendit Lugo, & agnoscit Arriaga, qui tamen immeritò dicit eam à Lugone defendi vt probabilem, hoc enim Lugo non absolvit, sed solùm adducit argumenta quædã speciosa, ob quæ potuerit Recentioribus videri probabilis, quod est longè aliud: nam nec Arriaga negat eam multis RR. visam esse probabilem, & tamen ipse negat esse probabilem, quod notare volui, ne quis legens Arriagam, amplectatur hanc Sententiam vt probabilem ob Lugonis auctoritatem.

905. D-

905. Dicendum est, ad Contritionem justificativam requiri motivum Charitatis Dei super omnia dilecti. Est Sententia clara S. Thomæ *q. 86. a. 3. in C.* vbi dicit, ad rationem veræ Pœnitentiæ requiri, vt displiceat peccatum, quia est contra Deum super omnia dilectum. Quæstio hæc, cùm sit facti (potuisset enim Deus alios etiam actus acceptare) probanda est ab auctoritate. Itaque

Ad probandam Conclusionem adducuntur varia Scripturæ testimonia 1. Joan. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Lucæ 7. *Cui minus dimittitur, minus diligit.* hoc est, ei qui nihil diligit, nihil dimittitur. Accedunt Patrum locutiones. S. Aug. *serm. 7. de tempore.* Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati & amor Dei. Verùm hæc & similia non difficulter reciperent interpretationem, vt videre est apud Lugonem & Arriagam, nisi accederet gravissima auctoritas Concilij Trid. quod planè videtur conclusionem definivisse, ad quod pertinebat interpretari sensum Scripturarum, & attendere communem Sensum DD. Ecclesiæ. Itaque Sess. 14. c. 4. distinguit inter Contritionem perfectam & imperfectam, quæ vocatur Attritio, quòd Contritio tunc justificet sine Sacramento in te susceptо, quando est charitate perfecta, non item, quando ex consideratione turpitudinis peccati, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur. Vbi observo, quòd Concilium non tantùm excludat actus procedentes ex metu pœnæ, sed etiam procedentes ex turpitudine peccati, tales autem sunt etiam actus, quibus detestamur peccatum prout opponitur honestati Religionis, Obedientiæ, Gratitudinis, &c. Nam turpitudo peccati consistit in privatione rectitudinis debitæ, hoc est, honestatis illius formalis, quæ invenitur in actu Religionis, Obedientiæ, &c. adeoque qui movetur ab honestate objectiva Religionis, Obedientiæ, &c. ad detestandum peccatum, attendit turpitudinem peccati; & tamen talem actum, ait Concilium, non nisi cum Sacramento justificare: ergo rejicit Concilium etiam illos actus, quos admittit contraria Sententia.

Objicies. Si verba Scripturæ essent intelligenda de dilectione perfecta, essent falsa: sæpè enim homo justificatur sine perfecta dilectione, scilicet per Sacramentum Pœnitentiæ cum sola attritione susceptum, sicut & per martyrium. R. Hanc objectionem etiam adversarijs solvendam esse; nam etiam sine illis actibus, ad quos illi extendunt efficaciam contritionis, potest quis justificari cum Sacramento Pœnitentiæ, nempe cum dolore ex metu gehennæ, quem tamen nemo dicit esse Contritionem perfectam. Itaque neganda est sequela: nam licèt verba sint vniversalia, est tamen subintelligendum, sicut in plerisque alijs regulis: præterquam in casibus exceptis in eadem Scriptura sacra: talis casus est vsus privilegij concessi per Sacramentum Pœnitentiæ, id quod optimè probat P. Valentia *d. 7. q. 8. punct. 3. §. Hoc verò.* nisi enim hæc exceptio subintelligeretur, Christus non contulisset reverà, & cum efficacia suis Ministris potestatem remittendi peccata, semper enim essent remissa per contritionem, vel illa non adesset, absolutio nihil operaretur, & sic beneficium Pœnitentiæ esset onus gravissimum, sine notabili & comparabili commodo. Voluit ergo Christus consulere fragilitati humanæ, & instituere Sacramentum, quod suppleret defectum dilectionis; ac proinde qui adhibet hoc Sacramentum, licèt non diligat formaliter, diligit tamen æquivalenter, hoc est, substituit aliquid æquivalens dilectioni: sicut dicuntur omnia Sacramenta constare verbis, & tamen in Matrimonio non requiruntur verba formalia, sed sufficiunt æquivalentia, vt nutus: & sicut Christus dicitur, redemisse B. Virginem non formaliter, sed æquivalenter, hoc est præservando à peccato. Simili modo dicit S. Augustinus, quòd non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, & tamen non semper restituitur ablatum formaliter, sed æquivalenter, v. g. pecunia pro equo ablato. Hinc nata est phrasis vsitatissima Theologis, quòd Sacramentum Pœnitentiæ faciat ex attrito contritum, non vtique formaliter, sed in effectu & æquivalenter.

906. Probatur Conclusio 2. Scriptura extra Sacramentum requirit ad Justificationem conversionem peccatoris ad Deum: Deuteron. 4. *Cum quæsieris Dominum Deum tuum, invenies eum, si tamen ex toto corde quæsieris eum.* Joel. 2. *Convertimini ad me ex toto corde vestro.* Isaiæ 31. *Convertimini sicut in profundum recesseratis.* Atqui perfecta conversio intentionalis à creatura ad Deum, non fit nisi per actum Charitatis, quo Deus constituitur pro fine *CVI.* ergo hic solus est contritio justificativa. Minor probatur. Vt enim conversio sit perfecta, debet homo avertendo se à creatura converti ad Deum eo modo & perfectione, quo se per peccatum avertendo à Deo convertit ad creaturam: atqui hæc aversio consistebat in hoc, quòd homo creaturam prætulerit amicitiæ divinæ & Deo, constituendo creaturam pro fine *CVI*, vltimo: ergo vt conversio sit perfecta, debet Deus constitui pro fine *CVI*, vltimo: atqui hoc non facit vllus alius virtutis actus præterquam actus Charitatis; nam omnes aliæ virtutes habent ipsum hominem pro fine *CVI* (non tamen vltimo & adæquato, sed vlteriùs referibili à Charitate ad Deum vt finem *CVI*, vltimum) nempe quia amant ipsi homini suam honestatem: ergo solus actus Charitatis est perfecta conversio.

CONTROVERSIA II.

An, & quo sensu Malum culpæ sit majus, magisq; detestabile per Contritionem perfectam, quàm malum Pœnæ Inferni.

907. DIcendum est, Malum culpæ prout est offensa Dei, esse majus malum quàm malum pœnæ æternæ, & per contritionem magis

detestandum affectu practico. quæ vltima verba quare addantur, patebit ex solutione quintæ objectionis. Ità omnes Catholici. Omissâ probatione RR. non minùs operosâ quàm obscurâ,

Probatur Conclusio 1. In comparatione duorum malorum illud est altero majus malum magísque detestabile, quod simpliciter reddit hominem malum, alterum verò potiùs jam supponit malum quàm faciat: atqui malum culpæ reddit hominem simpliciter malum, non item malum pœnæ, quod jam supponit malum: non enim homo est malus, quia punitur (dicente S. Dionysio: *Puniri non est malum, sed esse pœnâ dignum est malum*) sed econtra ideo punitur, quia per peccatum malus effectus est: ergo, &c. Major probatur. Per illud redditur aliquid simpliciter malum, per quod redditur ineptum ad suum vltimum finem: sed homo per peccatum redditur ineptus ad suum vltimum finem, & per nihil aliud: non quidem per aliquid præcedens, nam omnia quæ præcedunt, sunt idonea vt hominem perducant ad vltimum finem, etiam tentationes à dæmone immissæ: sed neque per aliquid subsequens: hæc enim supponunt hominem ineptum: ideo enim Deus privat hominem beatitudine, quia jam invenit hominem per peccatum redditum ineptum ad beatitudinem, vtpote quo constituitur inimicus Dei, indignus gratiâ sanctificante, quæ est radix beatitudinis.

Probatur 2. Illud, cujus Deus auctor esse non potest, est majus malum illo, cujus est auctor, & quod in ejus laudem & gloriam cedit. Sed peccatum est malum, cujus Deus auctor esse non potest, (vt lib. 2. probatum est) econtra pœnæ æternæ Deus est auctor, indeque gloriosus atque laudabilis. ergo, &c.

Probatur 3. Illud malum quod à Sapientissimo agente adhibetur ad cavendum alterum malum, est minus malum altero; sed pœna damni & sensûs adhibetur à Deo ad impediendum malum culpæ: ergo illud est minus malum isto. Major patet. v. g. medicus præcidit brachium, vt vitam salvet: econtra stultè ageret, qui in Caussidicum mille florenos expenderet, vt lucraretur caussam vnius floreni. Minor autem probatur. Nam Deus minatur pœnam æternam, vt absterreat à peccato; & commisso peccato infligit pœnam æternam, vt alios ab eodem absterreat. Declaratio & limitatio Conclusionis pendet, & patebit ex objectionum solutione.

908. Objicies 1. Si malum culpæ est per Contritionem magìs detestandum, quàm malum pœnæ, sequitur, quòd casu quo homo constitueretur in eo necessitatis articulo, vt vel deberet de novo peccare mortaliter, vel adire pœnam inferni, deberet vi Contritionis potiùs eligere infernum quàm peccare: consequens imprimis est valde durum, & videtur esse supra vires humanas: deinde etiam ex alio capite videtur hoc absurdum: ergo, &c. Sequelam omnes admittunt cum S. Anselmo *lib. de similitudinibus c.* 190. sequelam verò esse absurdam videtur agnovisse Durandus *in* 4. dist. 17. docens, malum æternæ pœnæ nunquam esse eligibile ad vitandum peccatum: & licet RR. communiter interpretentur, quasi loquatur de facto, quia de facto Deus decrevit non permittere eventum, quo electio inferni sit medium ad vitandum peccatum, nihilominus, quidquid sit de mente Durandi, Casum de facto contingere posse concedit Lugo, & est iste. Petrus existens in peccato mortali putat ex invincibili errore, neminem posse salvari sine Sacramento Pœnitentiæ re suscepto: cogitur autem à Tyranno ad abnegandam Christi fidem, vel ad moriendum, neque est copia sacerdotis, qui possit conferre Sacramentum Pœnitentiæ: in hoc casu Petrus necessariò judicat vel timendum esse ad infernum, ob peccatum jam antè commissum, vel de novo peccandum abnegando fidem. Quòd autem absurdum sit, in hoc casu Petrum obligari ad eligendam mortem, & per consequens infernum (in sua erronea æstimatione) præ abnegatione fidei, probatur; quia in hoc casu potest homo ex motivo pœnitentiæ speciali vel adhibere media ad delendum peccatum prius commissum. non habet autem præsens aliud medium quàm prolongationem vitæ, donec forte veniat confessarium: non potest autem vitam prolongare nisi abnegando hic & nunc existentem fidem: ergo honestum est illi, vti hoc modo, quia est actus virtutis Pœnitentiæ specialis. Sanè Petrus potest in hoc casu formare judicium, se teneri ad abnegandam fidem: est enim naturaliter obligatus ad non præcludendam sibi viam & spem qualemcunque consequendæ salutis & vltimum finis ad quem est creatus, & ad non eligendum illud, quo electo est illi necessariò desperandum de salute. atqui supereſt vnica via & spes, si prolongetur vitam abnegando simulatoriè fidem: contra si eligat mortem, est illi desperandum de salute, de qua nunquam licet desperare. Ergo, &c.

909. Ad hanc difficultatem tres responsiones adhiberi possunt, quarum duæ sunt aliorum RR. tertiam ego aliis dijudicandam proponam.

Primò ergo responderi posset, concedendo sequelam; negando minorem quoad vtrumque membrum, vel potiùs distinguendo quoad primum membrum: est talis electio dura, durior quam suâ culpâ induxit ipse homo per primum peccatum, conceditur, secùs negatur: neque potest homo de illa duritie conqueri rationabiliter, quum enim peccando se reum constituerit æternæ pœnæ, possétque à Deo statim sine mora detrudi in infernum, non potest durum videri, si obligetur ad infernum eligendum ne de novo peccet, & malum augeat, eoque auctо posset statim ad graviores pœnas damnari: sicut qui reus capitis ad supplicium ducitur, non potest conqueri quòd obligatur porrigere collum ferro; si enim resistat carnifici aut Judici, augebit culpam, & graviore supplicio afficietur: quo cognito non reputat grave obligere spontaneam porrectionem colli, ex præsupposito delicto. Quoad probationem secundi membri

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

bri, negatur ad Pœnitentiæ virtutem pertinere, eligere quæcunque media ad delendum peccatum, sed eligere media à Deo approbata, non enim sunt facienda mala, vt eveniant bona. Hæc est prima responsio, quæ pluribus replicis exagitari posset. Ob quas

910. Secunda responsio huic è diametro opposita est, negando posse accidere talem casum, in quo peccatum & pœna æterna ita veniant in comparationem deliberativam, vt vel admittendum sit peccatum, vel eligenda pœna æterna formaliter spectata, & cum perpetua dissolutione amicitiæ divinæ. Probant 1. Peccatum non potest esse medium necessarium ad evitandam pœnam æternam: sed hoc fieret in tali casu, si alterutrum esset necessarium, pœna vel culpa: ergo, &c. probant majorem. Repugnat peccatum esse licitum & honestum: sed si esset in aliquo casu necessarium ad evitandam pœnam æternam, esset licitum & honestum, quia valde evidens est, quòd liceat cuivis tendere ad vltimum finem, ad quem à Deo est ordinatus, & facere id, quod ad hunc consequendum est simpliciter necessarium: ergo non potest dari casus, in quo peccatum sit simpliciter necessarium ad evitandam pœnam æternam. Probant 2. Si posset talis casus accidere, tunc obligaretur homo ad eligendam potiùs æternam pœnam quàm peccatum, quia peccatum est simpliciter ineligibile: atqui non potest esse obligatus ad eligendam istam pœnam in his circumstantijs, quia deberet dicere: Ego vt Deum non offendam, volo æternùm manere ipsius inimicus, & ipsum offensum & iratum habere: hoc autem jam esset contra aliud præceptum, quo quilibet est obligatus, vt in via positus velit Deum offensum sibi reconciliare, si potest: ergo non potest esse obligatus etiam, vt dicat: ego in æternum volo esse inimicus Dei. Probant 3. Si homo in aliquo casu teneretur eligere pœnam æternam, deberet hæc obligatio provenire ex præcepto Charitatis, quo tenemur amare Deum super omnia, & plus etiam quàm nos ipsos; sed ex hoc præcepto non potest oriri prædicta obligatio, quia hoc præceptum ordinatur ad procurandam & conservandam amicabilem conjunctionem nostræ voluntatis cum divina, & consequenter vi istius præcepti non possumus obligari ad aliquid, quod est directè impeditivum & exclusivum hujus conjunctionis: sed æterna damnatio est talis: ergo ex præcepto charitatis non possumus obligari ad eam eligendam.

Ad Casum à Lugone propositum respondent, posse accidere, vt aliquis putet, peccata tantùm posse remitti per Sacramentum Pœnitentiæ actu susceptum: verùm talis constitutus in necessitate, qualis ponitur in casu, necessariò judicaret, abnegationem fidei vel adulterium esse sibi licitum, quia judicaret hoc esse medium necessarium unicè & simpliciter ad consequendum vltimum finem, & Deum reconciliandum, quod est formaliter esse honestum & licitum, adeoque non teneretur eligere pœnam æternam, sed potiùs vti medio necessario ad salutem, cùm quilibet homo sit obligatus, vt in via amplectatur media simpliciter necessaria ad eum finem, ad quem tenetur tendere.

Quodsi casum ita fingamus, vt talis homo simul judicet, abnegationem fidei esse inhonestam hic & nunc, & tamen etiam esse simpliciter necessariam ad consecutionem vltimi finis, respondent isti, eum habiturum judicia omnino contraria, adeoque fore ità perplexum, vt ad nihil obligetur, neque peccet, quidquid eligat; sicut si quis judicaret, mendacium semper esse peccatum, & ex altera parte crederet etiam, se obligari ad juvandum proximum, quod hîc & nunc putat fieri non posse sine mendacio, non peccaret, licèt eligeret mendacium putans esse peccatum. Hæc est altera quorundam ingeniosorum Responsio.

911. Vt aliam, & tertiam responsionem mihi probabiliorem & expeditiorem subjiciam, suppono priùs doctrinam pulcherrimam & consolatoriam, quam alibi, & ad aliud propositum, tradit Card. Pallavicinus, nempe, nunquam fieri posse, vt homo vltimo auxilio supernaturali cooperetur, & tamen damnetur: rationem dat: quia vltimum auxilium supernaturale est essentialiter medium, & vt tale eligitur à Deo, vt homo, cui illud gratis confert, eo mediante perveniat ad vltimum finem: ergo si homo illi cooperatur, & actus correspondens illi auxilio non est sufficiens ad justificationem, Deus vt auctor supernaturalium necessitatur vi collationis talis auxilij, ad procurandum aliud auxilium, disponens & sufficiens ad justificationem, si homo cooperetur: si ergo homo cooperabitur, justificabitur, sin minùs, damnabitur, quia vltimum auxilium frustravit. Hac doctrinâ suppositâ,

Ad Casum Lugonis respondeo, quòd ad Providentiam Dei spectet, providere illi homini talem illuminationem, cum qua si cooperetur, justificabitur: cùm enim adhuc sit in via, &, vt ponitur in casu, recipiat adhuc auxilium supernaturale, disponens ad nolendum negare fidem, hoc ipso illuminabitur taliter, vt intelligat, se ità posse non negare fidem, vt simul etiam possit evadere pœnam æternam: v. g. cognoscet ad Dei bonitatem spectare, vel non permittere, vt mors inferatur à Tyranno, vel dispensare in lege illa vniversali de non salvando peccatore nisi per Sacramentum Pœnitentiæ, sicut dispensat Deus cum Martyribus, nam talis homo moriendo pro fide, esset vtique Martyr. Et hæc responsio mihi videtur expeditissima, donec alius meliorem suggerat.

912. Objicies 2. Malum æternum & irreparabile, est majus illo quod est reparabile; sed pœna inferni est irreparabilis & æterna: malum autem culpæ est reparabile per pœnitentiam: ergo illud est majus isto. R. Majorem vniversim esse falsam. Nam malum amissæ Virginitatis ex: gr. (quod fieri potest per actum conjugalem

honestum) est malum irreparabile, & tamen vtique non est majus, quàm malum culpæ: idem est de malo cæcitatis, & similibus. ℟. 2. Negando minorem. Nam reverâ quocumque modo est irreparabilis pœna inferni, postquam semel incepta est, eo ipso modo est irreparabilis culpa, postquam accessit finalis impœnitentia: antecedenter verò sicut culpa est reparabilis per pœnitentiam, ità per eandem est declinabilis pœna inferni: deinde inferni irreparabilitas præsupponit tanquam caussam culpam vt irreparabilem post finalem impœnitentiam, & sic infernus est irreparabilis propter irreparabilitatem culpæ: propter quod autem vnumquodque tale, illud magis tale: ergo magis quodammodo est irreparabilis culpa quàm infernus.

913. Objicies 3. Sicut illud est melius, propter quod habendum quæritur aliud, ità illud est deterius, propter quod vitandum vitatur aliud, juxta illud: propter quod vnumquodque tale &c. atqui peccatum vitatur ad vitandam pœnam inferni. ergo &c. Ad hanc objectionem respondet P. Esparza, illud malum esse majus, quod boni oderunt magis, non quod mali, quia soli boni sequuntur rectam rationem, quæ est vera regula bonitatis & malitiæ: boni autem magis oderunt malum culpæ quàm pœnæ, & mali econverso, juxta illud Horatij: *Oderunt peccare mali formidine pœnæ: oderunt peccare boni virtutis amore.* Hæc tamen responsio patitur difficultatem, si spectetur vt verba sonant. Nam etiam juxta rectam rationem potest quis ad vitandam pœnam inferni vitare peccatum, neque hìc actus est proprius malorum: Deus enim non tantùm malis, sed etiam bonis minatur infernum vt absterreat à peccato: ergo est juxta rectam rationem, moveri hac comminatione. Quidquid ergo sit de hac responsione,

Aliter & clarè respondeo, distinguendo inter hæc duo: A: eligi hìc & nunc præcisè propter B. &: A, esse præcisè eligibile propter B. Hoc posterius arguit A, esse minus bonum quàm B. quia habet præcisè rationem medij respectu B, tanquam finis. Bonitas autem medij quà talis, minor est quàm bonitas finis, quia est præcisè bonitas desumpta à bonitate alterius. & hoc sensu etiam conceditur, quòd malum præcisè vitabile propter vitandum alterum, sit minus malum. Sed jam nego, peccatum esse præcisè vitabile propter infernum: est enim etiam per actum charitatis vitabile propter Deum vt finem *CVI*, secluso omni periculo inferni. Quoad prius verò membrum meæ distinctionis dico, eò quòd hìc & nunc eligam præcisè A. propter B. bene quidem argui, à me minùs amari A, quàm B, sed nullo modo argui, quòd A. sit minus bonum in se, quàm sit ipsum B. possum enim, optimè gnarus B. esse minus bonum quàm A. magis amare B. quàm A. sic peccans gnarus Deum esse meliorem quavis creaturâ, potest magis amare creaturam quàm Deum: imò simile quid contingit in actu licito, & honesto: vt si quis eligat Cælibatum præcisè propter bonum studij & peregrinationis liberæ per varia regna, quàm rus Cælibatum in se esse meliorem quàm studium & regnorum considerationem: nihilominus amen si non esset studium aut peregrinatio, dimen vxorē. Econtra etiam potest quis hìc & nunc infamiam præcisè ad vitandam jacturam lucri, & sic de alijs, præscindendo adhuc, quacturus esset, si jactura lucri non sequeretur: tamen certum est, jacturam famæ esse in se malum quàm jacturam lucri: ergo pari modo potest quis hìc & nunc vitare peccatum propter fernum, præscindendo quid acturus esset, si fernus non consequeretur culpam.

914. Objicies 4. Illud quod privat potentiâ ad actum, est pejus quàm illud quod privat solo actu: v. g. Cæcitas est majus malum quàm præcisè negatio visionis, aut tenebræ absantes negationem visionis, & absentia ligaminis majus malum, quàm præcisè ligatio pedum, privans actu ambulationis, quia cæcitas & ligaprivant potentiâ ad actum Visionis & ambulationis: atqui pœna æterna privat potentiâ ad actu bonos, quibus homo posset redire ad amicum Dei, & consequi suum finem, peccatum privat solis actibus: ergo est minus malum. Ratio à priori videtur esse, quia privatio actus secundi, continetur in privatione actus primi potentiæ. ℟. Distinguendo majorem. Privatio potentiæ non est effectus privationis actus secundi, concedo, si est effectus illius, negomorem: jam verò pœna æterna vt privativa potentiæ ad actus bonos, est effectus peccati, & actus privatio potentiæ continetur in peccato vt in causa, ac præterea, vt suprà notavi, peccatum habet etiam ex alio capite malitiam quàm quod inducat pœnam. Non ità se res habet in Cæcitate respectu tenebrarum aut negationis visus, & obligatione respectu ligaminis, hoc enim non est causa absolutionis &c.

915. Objicies 5. Illud malum est absolutum majus, quod vt imminens est materia majoris timoris doloris, quàm aliud malum præsens vel futurum: sed pœna inferni vt incurrenda, est materia justi majoris doloris, quàm culpa præsens vel futura. ergo &c. Minor probatur à paritate. Vnusquisque rationabiliter magis doleret, sciens se paulò pòst fore in circumstantijs moraliter necessitantibus ad peccandum mortaliter, quàm doleret, sciens se de præsenti esse in peccato Veniali, vel Deum permissurum esse, vt labatur in Venale: nam necessitas moralis ad malum, hoc est ne spe evitandi, licet physicè evitari posset, ferme æquè à nobis æstimatur atque necessitas physica. Jam subsumo pro casu nostro. Atqui pœna æternitatem graviss imè peccandi mortaliter per ni infert moralem & sine spe evitandi necessitatem · ergo pœna inferni est materia majoris justi doloris, quàm præsens culpa etiam mortalis.

Ob simile argumetum P. Arriaga n. 2. putat, non carere magnâ probabilitate, quòd [illegible]

leve mendacium posset rectè eligi ad vitandum infernum, si alterutrum esset necessarium, & talem electionem Deo magis placituram, adeóque tunc mendacium non fore peccatum. Quæ doctrina est contra communem sensum DD. & etiamsi vera esset (quod non est) non solveret præsentem objectionem.

Respondetur cum Card. Lugo, & Pallavicino *c. 9. n. 105.* distinguendo inter affectum speculativum & practicum, hoc est, electivum. Itaque de affectu practico non procedit nec probat objectio, sed benè probat de affectu speculativo, hoc est, non influente in culpam, nec illam eligente. Sic etiam potest quis affectu speculativo gaudere de culpa præterita, propria & aliena, tanquam materia humiliationis, compunctionis &c. Et propter hæc addita sunt in Conclusione vltima verba: *Affectu practico.* Hinc tamen non sequitur, pœnam inferni esse simpliciter majus malum peccato, quia hoc desumendum est per ordinem ad affectum practicum.

Replicabis. Objectum affectûs practici & speculativi nihil inter se differunt: ergo repugnat vnum affectum esse honestum & alterum inhonestum: debet enim honestas vel inhonestas desumi ab objecto. R. Negando antecedens. Nam affectus practicus tendit in objectum vt habens dependentiam à libero exercitio sui subjecti, vult enim objectum facere, & dependere à se. affectus verò speculativus vult objectum secundùm circumstantiam independentiæ à se, sive, vt ponendum ab alio. in exemplo. desiderat aliquis amico jacturam bonorum temporalium, quia videt, quòd sint ipsius ruina spiritualis: & talis affectus speculativus vult illam jacturam vt ponendam aliquo casu fortuito, vel alio à se independente, & est honestus. sic S. Augustinus desideravit superbis lapsum, quando dixit *lib. 14. de Civit. c. 13. ad finem.* [Audeo dicere, superbis vtile esse cadere in aliquod manifestum peccatum, vt sibi displiceant, qui jam sibi placendo ceciderant.] Non licet tamen illam jacturam velle practicè, hoc est, velle illam inferre. Jam ergo, quando quis affectu speculativo minùs odit peccatum mortale vt jam existens, vult præcisè hoc quod est: poni à Deo seu conservari id, in quo consistit peccatum habituale secundùm id quod superaddit actuali, & hoc non est aliquod liberum exercitium hominis, sed vel negatio condonationis, vel negatio gratiæ &c. pro diversitate sententiarum in hoc puncto, de quo actum in 2. libro. Item quando quis affectu speculativo minùs odit permissionem divinam peccati quàm infernùm, mavult poni in illis circumstantijs, in quibus Deus videt eum lapsurum, quod iterum est objectum ponendum independenter ab exercitio libertatis humanæ, & sæpè est beneficium, quando scilicet est occasio majoris sanctitatis, imò effectus Prædestinationis, vt tradunt SS. PP.

CAPVT III.

DE NECESSITATE POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

An defacto Pœnitentia sit necessaria necessitate medij.

916. TRiplex quæstio circa necessitatem Pœnitentiæ est; 1. an defacto, ex divina saltèm ordinatione & decreto, sit retractatio peccatorum commissorum necessaria necessitate medij. 2. an etiam sit necessaria necessitate medij in ordine ad potentiam Dei absolutam. 3. an sit necessaria necessitate præcepti, & quomodo. Ad 1. quæstionem quæ facilis est,

DICO 1. Aliqua retractatio, vel formalis vel virtualis, est defacto necessaria necessitate medij. Habetur in Trident. *sess. 14. c. 4.* Per virtualem Pœnitentiam intelligimus actum, qui quidem non est explicitè reflexus supra peccata commissa, formalisque eorum retractatio, est tamen talis prosecutio honestatis objectivæ oppositæ, vt sit incompossibilis cum voluntate committendi tale peccatum, & consequenter si occurreret memoria peccati commissi, talis actus determinaret ad formalem retractationem peccati commissi. Probatur ex S. Scriptura. Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Eccles. 2. *Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Dei.* Apocal. 1. *Age pœnitentiam, sin minus, veniam tibi citò.* Ezech. 18. & alibi passim. Congruentia cur Deus ità ordinaverit, vt homo post lapsum aliter non admittatur ad gratiam, redditur à S. Thoma *q. 86. a. 2.* & illustratur à Recentioribus. Homo est agens liberum, & per peccatum liberè se avertit à Deo, & convertit ad creaturam, ideo congruum est, vt non redeat ad Deum, nisi per motum contrarium priori, per motum scilicet intentionalem

tionalem voluntatis, revocando priorem voluntatem, & detestando statum peccati, ac desiderando statum Justitiæ.

917. DICO 2. Non est necessarius necessitate medij actus elicitus à Pœnitentia vt est virtus specialis, explicata suprà. Est contra Tannerum. Probatur. Nam actus Charitatis justificat: atqui ad hoc vt justificet, non est necesse, vt imperetur à Virtute Pœnitentiæ, alioquin vis justificandi potiùs actui imperanti quàm actui imperato tribuenda esset: ergo actus Pœnitentiæ specialis non est necessarius necessitate medij.

918. DICO. 3. Non est necessaria necessitate medij Pœnitentia formalis, sed sufficit Pœnitentia virtualis, in casu quo virtualis dari potest sine formali. Est contra Melchiorem Canum, qui asseruit, posse actum perfectæ dilectionis existere in homine peccatore, quando deest formalis retractatio. Probatur. Potest enim homo non recordari suorum peccatorum, adeoque tunc non potest elicere formalem retractationem, potest tamen tunc cognoscere bonitatem Dei, & ab ea moveri ad amandum Deum; quo amore homo ille justificabitur: ergo vera est conclusio. Major est certa. Minor probatur. Nam actui charitatis promittitur reciprocus Dei amor & justificatio. Proverb. 8. *Universa delicta operit Charitas, Ego diligentes me diligo &c.*

CONTROVERSIA II.

An Pœnitentia sit necessaria de potentia absoluta.

919. DICO, non esse sic necessariam, sed posse hominem justificari absque omni prævia pœnitentia. Est contra vtrumque Sotum, Lorcam & Becanum & Amicum *de Justific. d. 32. sect. 22. n. 50.*

Pro fundamento Conclusionis supponendum est, ad remissionem peccati de potentia absoluta non esse necessarium actum perfectæ dilectionis, hic enim tantùm est necessarius, juxta præsens Dei decretum, disjunctivè, vel ipse, vel Sacramentum Pœnitentiæ. Hoc posito

Probatur Conclusio. Ad remissionem peccati, sive ea fiat per infusionem Gratiæ, sive per meram condonationem extrinsecam, de potentia absoluta non requiritur talis prævia dispositio, quæ sit ex natura sua connexa cum remissione peccati: ergo nulla requiritur. Antecedens concedunt adversarij. Consequentia probatur. Dispositio quæ connaturaliter ad formam requiritur, eam tamen non trahit indispensabiliter post se, potest à Deo suppleri tanquam à supremo Domino omnium creaturarum, vt communiter omnes concedunt in alijs formis: ergo nisi ostendatur specialis repugnantia in remissione peccati, potest homo, vtpote etiam post peccatum capax remissionis ejusdem, & reconciliationis cum Deo, transire à denominatione *inimici* ad denominationem *Non inimici*, sine vlla prævia dispositione: qui dispositio quam adversarij vnicè requirunt, esset retractatio peccati commissi: ergo per absolutam potentiam potest homini remitti peccatum sine tali retractatione.

Dices, hæc vera esse loquendo de dispositione physica, non verò de dispositione moralis, quæ sit motivum alliciens ad præstandam misericordiam, à qua exhibenda semper aliquo modo retardat peccatum præteritum necdum condonatum, quatenus hominem reddit indignum eam misericordiâ & beneficio. Sed contra. Quia absque omni motivo creato, sufficit Deo bonitas intrinseca infinita bonitas in ratione motivi ad sublevandam quamcunque miseriam. Denique vis resistendi quæ inest peccato (nostro concipiendi modo, nam, vt in 1. lib. dictum, nullius creaturæ existentia habet verè rationem motivi) ea quod Dei decretum, cùm simplicitas Dei divini nullam admittat virtualem distinctionem, nec præsupponat visionem vllius creaturæ (bonitas & limitata, Bonitas autem Dei & essentialis inclinatio ad miserendum, est infinita, adeoque potens superare omnem resistentiam finitam, præsertim cum peccatum semper sit aptum conduce ad majus bonum inde eliciendum, vnde fit, vt Deo permitti possit, sicut ergo ejus resistentia ei movet ne permittatur fieri, vincitur ab illis bonis quæ ex ejus permissione elici possunt, ita ejus resistentia ne condonetur vinci potest ab illis bonis, quæ ex gratuita condonatione elici possunt.

920. Objicitur 1. & principaliter. Tandiu manet peccatum habituale (de hoc enim præsens quæstio) quamdiu manet peccatum præteritum habitualiter voluntarium: atqui tandiu manet habitualiter voluntarium peccatum præteritum, quamdiu non retractatur: ergo tandiu manet peccatum habituale seu peccatum præteritum in ratione peccati habitualis, quandiu non retractatur: ergo ad peccati destructionem essentialiter requiritur retractatio: ergo sine hac per nullam potentiam fieri potest.

Hujus argumenti infirmitas ostenditur ex eo quòd nimium probet. Probaret enim 1. quod retractatio esset pars formæ justificantis: quæ formaliter opponitur peccato, si vera est eorum argumentatio, quod etiam observavit Lugo. Et Esparza *q. 11. de Justif. in fine vlt. probat.* Probaret. 2. Quòd quæcunque retractatio esset sufficiens ad destruendum peccatum habituale, independenter ab omni infusione Gratiæ, vel condonatione extrinseca, vel Sacramento. Nam omnis retractatio tollit rationem voluntarij habitualis peccati præteriti. hæc autem ratio voluntarij habitualis, per te est ipsa essentia peccati habituali saltèm inadæquatè: ergo hac sublata est saltèm inadæquatè essentia peccati habituali, atqui quando aufertur etiam inadæquatè essentia rei, est simpliciter sublata essentia: ergo post qualicunque retractatione, esset destructum peccatum habituale.

Ad objectionem respondet P. Esparza, posse supernaturaliter fieri, vt cesset atque revocetur habitualiter prior ratio Voluntarij, Deo infundente habitum incompossibilem cum repetitione ac ratihabitione actûs præteriti, & perfectè dispositivum animi ad actum contrarium, quoties occurrerit occasio deliberationis & electionis similis, perinde ferè acsi elicitus esset actus contrarius priori; ac proinde supernaturaliter fieri potest, vt non perseveret absolutè prior voluntarietas habitualis, ad cujus videlicet conceptum adæquatum pertinet non solùm actus præteritus, vt præteritus, sed etiam vt nihil adsit de præsenti actualiter vel habitualiter illi contrarium, & incompossibile ratione suæ perfectionis ac bonitatis cum repetitione & approbatione actûs mali qui præterijt. Porrò jam priùs dixerat, illum habitum quem Deus infunderet, & qui per suam inclinationem tolleret rationem Voluntarij, aliud non esse quàm gratiam sanctificantem.

921. Hæc responsio mihi non probatur. Primò, quia hic Auctor supponit sententiam à nobis rejectam in secundo libro, peccatum mortale non posse remitti per condonationem extrinsecam. Secundò sic argumentor. Gratia sanctificans non inclinat habitualiter tali modo in objectum contrarium peccato præterito, sicut peccatum illud inclinat ad similem actum, actus enim nostri causant habitus ità facilitantes, vt hæc facilitas cadat sub experientiam, præsentia autem Gratiæ non cadit sub experientiam: vnde etiam, postquam Deus infudisset peccatori Gratiam sine retractatione, adhuc maneret ille homo experimentaliter eodem modo inclinatus ad malum, adeoque adhuc maneret illi peccatum præteritum habitualiter voluntarium, si hæc habitualis voluntarietas aliud non est, quàm inclinatio relicta ab actu. Et hoc videtur ipse auctor advertisse dum dixit, quòd *ferè* eodem modo inclinet gratia in contrarium, sicut inclinaret actus retractativus peccati. Sed quæso, quid est: *ferè sic inclinare?* ego dico, esse simpliciter non inclinare, sicut *ferè tangere*, est simpliciter non tangere, sed aberrare.

Aliter ergo respondendum est, negando majorem. Pro cujus falsitatis evidentia distinguendum est inter hæc duo: *Peccatum præteritum perseverare habitualiter*: & *peccatum præteritum perseverare habitualiter voluntarium*: quæ quidem sunt phrases theologicæ verborum tenus valde similes, sed quoad significationem diversissimæ. Peccatum præteritum habitualiter perseverare, aliud non est, quàm perseverare in aliquo fundante justum Dei odium propter peccatum præteritum, quod quidem, saltèm partialiter, est vel negatio condonationis divinæ, vel negatio Gratiæ, pro diversitate Sententiarum, de quâ quæstione dictum est lib. 2. Peccatum autem perseverare habitualiter voluntarium, aliud non est, quàm quòd hoc ipso quòd non sit retractatum, detur probabile fundamentum, quòd si ille homo denuò deberet in simili occasione peccandi operari, iterum operaretur, sicut priùs, quia verisimile est, quod vltimò placuit, iterum placiturum fuisse, si daretur eadem occasio, & eædem circumstantiæ: adeoque hæc habitualis voluntarietas aliud non est, quàm negatio retractationis. Neque arguit de præsenti vllum actum peccaminosum absolutè existentem, sed tantùm sub conditione, si rediret eædem circumstantiæ: imò hunc ipsum actum futurum non arguit nisi probabiliter.

Dicimus ergo, quòd sicut peccatum præteritum in ordine ad odium Dei potest perseverare in ratione peccati habitualis, quin sit ampliùs habitualiter volutarium, quia non omnis retractatio tollit peccatum habituale, vt apud omnes certum est, & de fide quidem, ità econtra possit per absolutam potentiam manere habitualis voluntarietas peccati, & tamen tolli reatus culpæ per divinam condonationem, adeoq; desinere peccatum habituale, quin desinat peccatum præteritum in ratione voluntarij habitualiter.

Declarat rem totam exemplo aptissimo Cardin. de Lugo. Qui fecit votum, contrahit obligationem voti, & in hac obligatione perseverat votum habitualiter: præterea etiam tamdiu perseverat habitualiter voluntarium, quamdiu non retractatur. Porrò hæc secunda perseverantia desineret, si hominem voti pœniteret, nec tamen propterea desineret prior perseverantia, alioquin esset in hominis potestate liberare se ab obligatione voti. Sic dicimus posse desinere peccatum in ratione habitualiter voluntarij, quin desinat in ratione peccati constituentis hominem reum odij. Jam econtrario potest etiam desinere perseverantia voti quoad obligationem, quin desinat perseverantia in ratione Voluntarij. Posset enim Pontifex dispensare in illo voto, inscio vovente, & sic non ampliùs obligaretur: & tamen potest illi homini votum non displicere, sed adhuc ità comparatus esse, vt in ijsdem circumstantijs iterum voveret. Eodem modo dicimus posse per condonationem desinere reatum culpæ, quin desinat esse habitualiter voluntarium.

922. Objicitur 2. Conversio ad aliquid non potest tolli nisi per aversionem: atqui creatura per peccatum se convertit ad creaturas: ergo non potest tolli peccatum nisi per aversionem à creatura: sed non potest averti nisi per retractationem: ergo, &c. 3. hoc argumento probaretur, non posse tolli peccatum, nisi per contritionem perfectam. per peccatum enim homo se convertit ad creaturam, & ad seipsum, constituendo se pro fine *CVI.* ergo hæc conversio non potest tolli nisi per aversionem à creatura, & à se, vt fine *CVI.* sed per solam perfectam contritionem hoc modo se averteret à creatura, constituendo Deum pro fine *CVI.* Ergo, &c. 3. ergo: Sicut per Sacramentum Pœnitentiæ suppletur defectus perfectæ aversionis à creatura in ratione finis *CVI*, & ideo dicitur homo per Sacramentum fieri ex attrito æquivalenter contritus, ità per condona-

tionem Dei, sine vlla retractatione fieri potest homo ex non contrito æquivalenter contritus.

Objicitur 3. Quamdiu homo est maculatus, tamdiu adhuc habet peccatum: sed quamdiu non retractat, tamdiu est maculatus: ergo quamdiu non retractat, tamdiu habet peccatum. Minor probatur. Quamdiu homo est habitualiter aversus à regula conscientiæ, nempe à recta ratione, & à lege naturæ, tamdiu est maculatus: sed quamdiu non retractat peccatum, manet habitualiter aversus à regula conscientiæ: ergo tamdiu est maculatus. R. negando minorem. ad probationem nego majorem. Nam TÒ *esse habitualiter aversum*, à regula rationis, aliud non est, vt diximus, quàm probabilitas, quòd si redirent eædem circumstantiæ, iterum averteretur: adeoque est tantùm peccatum sub conditione probabiliter futurum: peccatum autem sub conditione futurum non est macula de præsenti, vt constat.

Objicit P. Amicus 4. Tridentinum *Sess. 6. c. 7.* dicit, Justificationem adulti fieri per voluntariam susceptionem Gratiæ: ergo susceptio Gratiæ non voluntaria, erit insufficiens ad justificationem. Confirmatur. Quia peccatum etiam habituale intelligitur tale per dependentiam & respectum quendam dependentiæ liberæ & voluntariæ ejusdem peccati à voluntate peccatoris: hujusmodi autem respectus dependentiæ voluntariæ peccati à voluntate peccatoris, non potest tolli per vllam formam, nisi sit voluntaria ipsi peccatori, vt retractet & deleat dependentiam peccati à voluntate tanquam forma contraria similiter voluntaria. R. Concilium loqui de Justificatione prout de facto fit, quatenus in illa Deus attendit etiam mensuram dispositionis præviæ, cui tamen mensuræ nemo facilè dixerit Deum esse indispensabiliter alligatum. Ad Confirmationem patet responsio ex paulò antè dictis, nempe, confundi, TÒ *Habituale*, &, *Habitualiter voluntarium*. & quomodo nimium probet, patet ex responsione ad primam objectionem.

Objicitur 5. Si Deus potest sine vlla retractatione condonare peccatum habituale, poterit etiam condonare peccatum actuale pro tempore quo actu fit: consequens est absurdum, quia sic homo esset simul peccator & justus, quia condonatio est forma constituens hominem justum saltèm negativè, hoc est, non injustum, peccatum actuale est forma constituens injustum.

Card. de Lugo *d. 7. s. 8. n. 126.* respondet, sibi verisimilem esse sequelam. Vnde infert 1. quòd dum ponitur peccatum, Deus quidem odio haberet peccatum, non tamen ipsum peccantem, quia jam cessisset jure suo. Infert 2. quòd tunc Petrus per tale peccatum amitteret nihilominus gratiam, ideo, quia, juxta hunc auctorem, gratia nec divinitus est conjungibilis cum peccato. Non esset tamen inimicus Dei, licèt esset peccator, adeoque esset simul peccator, & negativè justus, hoc est, non odibilis proximè, quia peccatum esset condonatum.

Hæc doctrina semper mihi summè dura est visa, tum quoad ipsam substantiam, tum quoad doctrinæ consequentiam, quam videmur hic audere deferere, quod adverti alibi, nunc verò idem advertisse video Card. Pallavicinum de Pœnit. c. 8. & patebit paulò pòst.

Quod attinet ad Objectionem præsentem, responsio est facilis, negatur enim sequela & paritas: Disparitas insinuatur in ipsa objectione. Peccatum actuale præsens, est forma adæquatè reddens hominem injustum: ergo mirum non est, quod non possit stare cum forma adæquata, faciente negativè justum, hoc est, *non injustum*, alioquin simul esset forma & negatio. At verò peccatum habituale includit vltra peccatum præsentem etiam negationem condonationis de præsenti, & hæc negatio est pars formæ denominantis habitualiter injustum: atqui per condonationem tollitur formaliter negatio condonationis: ergo tollitur pars constitutiva peccati habitualis, & formæ denominantis injustum: ergo desinit homo esse injustus, & fit negativè justus: ergo in hoc casu non conjunguntur formæ oppositæ, sicut in casu priore. Sed nunc de veritate consequentis videamus.

CONTROVERSIA III.

Vtrum Deus possit remittere peccatum pro tempore quo committitur.

923. POst Lugonem affirmavit Ripaldà *tom. 2. de ente supernaturali disp. vlt. sect. 29. n. 4.* quos nuper secutus est R. Hispanus. Negativam defendit Suarez *lib. 7. de Gratia. c. 2. n. 5.* P. Amicus *hìc d. 32. n. 49.* Dicastillo *tr. 8. disp. 1. dub. 7. c. 7. à n. 311.* Pallav. Cum quibus & ego sentio.

Probo Conclusionem 1. Si posset peccatum condonari pro instanti quo committitur, posset Gratia Sanctificans conjungi cum peccato mortali in illo instanti quo committitur. consequens non admittit Lugo, neque nos, Ergo &c. Sequela probatur ex principijs ipsius Lugonis. Vna caussa, quare Gratia Sanctificans non possit conjungi cum peccato habituali (& multò minùs cum actuali) secundùm Lugo est hæc, quia contia, vt habet Tridentinum, est vnica & adæqua forma justificans. atqui si posset conjungi cum peccato habituali, non esset forma adæquatè justificans, nam tunc quando conjungeretur cum peccato habituali, talis homo adhuc esset inimicus Dei, & invisus Deo, quia peccatum habituale constituitur per negationem condonationis; quamdiu autem peccatum non est condonatum, homo est inimicus Dei & odio dignus, adeoque non est justus. ergo non habet formam adæquatè justificantem: ergo Gratia non esset forma adæquata justificans, sed complenda esset per condonationem contradistinctam à collatione Gratiæ, si collatio Gratiæ est separabilis à condonatione, & conjungibilis cum negatione condonationis. Sed

& nos cum illo in tract. de Gratia. Sed hinc contra illũ subsumitur hoc modo. atqui si homini dum actu peccat condonaretur peccatum, tunc homo non esset inimicus Dei, nec Deo invisus, vt in terminis fatetur Lugo loco cit. ergo si tunc illi conferretur Gratia, non conjungeretur Gratia cum negatione condonationis, nec cum inimicitia: ergo nihil obstaret quo minùs tunc posset conferri gratia, & sic conjungi cum peccato actuali. Probatur hæc vltima consequentia. ideo enim non potest Gratia conjungi cum peccato habituali, quia condonatio non potest dari, quando datur peccatum habituale, nam negatio condonationis est pars constitutiva peccati habitualis: atqui per te condonatio potest dari quando datur peccatum actuale: ergo nihil ampliùs obstat, quo minùs possit conferri gratia.

Breviùs sic proponitur hoc argumentum. Vnica caussa, quare Gratia non possit conjungi cum peccato habituali, est hæc: quia talis homo esset simul justus & injustus: justus propter gratiam, injustus propter peccatum habituale: atqui si peccatum actuale posset, dum actu existit, condonari, talis homo non esset injustus aut inimicus, vt docet Lugo: ergo si illi daretur gratia, non sequeretur quòd simul esset justus & injustus: ergo nulla esset ratio, cur non posset infundi gratia.

Adhuc aliter hoc ipsum proponi potest. Ideo per te Gratia non potest conjungi cum peccato habituali, quia peccatum habituale includit essentialiter negationem condonationis, Gratia autem non potest conjungi cum negatione condonationis: atqui per te peccatum actuale non includit essentialiter negationem condonationis, quia potest conjungi cum condonatione: ergo etiam potest conjungi cum Gratia.

Respondebis fortè, supponendo cum Recentiore Hispano (à qua tamen doctrina procul abest Lugo) Gratiam quæ defacto datur, esse quidem inconjungibilem cum peccato actuali, esse tamen possibilem aliam Gratiam, quæ quidem etiam sit inconjungibilis cum peccato habitnali, sit tamen conjungibilis cum peccato actuali. Sed contra. si non est alius modus respondendi, quàm confugiendi ad hujusmodi Gratiam, salva res est: nam ego talem possibilem Gratiam non agnosco, quamdiu mihi non ostenderis illud prædicatum primum, ex quo resultet hoc prædicatum secundum: *posse conjungi, non posse conjungi cum peccato actuali.* Censeo enim argumenta quæ probant, nostratem Gratiam non esse conjungibilem cum peccato actuali, probare de omni possibili Gratia Sanctificante, vel de nulla probare.

924. Probo Conclusionem 2. Tunc non potest dari condonatio, quando non posset poni satisfactio si alioquin illa in se possibilis esset: sed in instanti quo ponitur actu peccatum, esset impossibilis satisfactio, etiamsi alioquin possibilis esset: ergo, &c. Major & minor est probanda. Major ergo probatur. quia condonatio est virtualis remissio satisfactionis, & loco illius substituitur. Minor verò probatur, quia Satisfactio includeret retractationem formalem vel virtualem: hæc autem non est conjungibilis cum actuali peccato; sicut restitutio non est possibilis pro instanti furti, sed pro sequenti, & ideo non potest remitti pro instanti furti, sed pro sequenti. Ergo sicut satisfactio non potest fieri, nisi transacto peccato, ità condonatio non potest respicere nisi tempus post peccatum commissum.

Probatur Conclusio 3. argumento Card. Pallavicini. Si potest condonatio conjungi cum actuali peccato mortali, sequitur, quòd esset, & non esset peccatum mortale. Quòd esset mortale, supponitur ab adversarijs; quòd non esset, probat Pallavicinus, quia essentia peccati mortalis in eo consistit, quòd quis voluntariè avertatur à Deo, & propter bonum creatum velit contemnere amicitiam divinam: talis autem homo si sciret sibi jam antecedenter condonatum esse peccatum, etiam hoc ipso sciret, se non incursurum inimicitiam Dei: ergo sciret se non peccare mortaliter. Omitto alia argumenta, quæ videri possunt ad longum apud P. Dicastillo, quæ sanè non sunt mera verba multiplicata, vt videtur cuidam Recentiori.

925. Restat solvendum argumentum Cardin. de Lugo, quo probat, posse peccatum remitti in eodem instanti quo committitur. Probat autem vnicè à paritate desumpta ex hominibus. Homo potest homini dimittere injuriam antecedenter, antequam ab adversario committatur: ergo etiam Deus potest hoc modo dimittere offensam. Antecedens patet. quia homo potest se obligare alteri, quòd nolit pro offensa illi irasci aut petere satisfactionem, &c. R. Transeat antecedens (cujus falsitatem postea ostendam) nego consequentiam & paritatem. Disparitas duplex est. prima, quia per offensam humanam homo offensus non necessitatur ad auferendum ab homine, vel denegandum homini aliquod donum incompossibile cum ipsa offensa, tribuens jus ad amorem amicabilem, sicut Deus necessitatur ad auferendam vel negandam gratiam pro instanti quo ponitur offensa secundùm suam physicam entitatem. Secunda disparitas est, quia homo potest se homini obligare ex justitia, ad non prosequendum illum odio, & ad non exigendam satisfactionem quacunque offensâ positâ: Deus verò non potest se homini obligare vllo modo ex Justitia, vt docet ipse Lugo. Quapropter respectu hominis adæquatum motivum licitæ aversionis non est sola offensa secundùm suam physicam entitatem, sed offensa cum negatione obligationis non habendi odio Petrum propter offensam, sive, quod idem est, offensa cum negatione juris in Petro existentis ad resistendum Paulo offenso ne Satisfactionem exigat. Vnde si Paulus se obligasset ad non petendam Satisfactionem, positâ deinde offensâ non posset eam exigere, quia peccaret contra Justitiam exigendo. Deus verò non potest obligari creaturæ: ergo

ejus jus ad licitum odium & denegandam Gratiam, atque exigendam pœnam, non potest per talem obligationem auferri, & ideo semper manet jus ad odium, & est adæquatè identificatum cum ipsa physica entitate offensæ. Verùm

Dixi: *Transeat antecedens*: in rei veritate id etiam falsum est. Nam obligatio, quâ se Paulus obligaret Petro ad non habendum odio, nec exigendam satisfactionem, propter offensam, non est (propriè loquendo) condonatio offensæ; quia condonatio injuriæ propriè sumpta est moralis destructio injuriæ seu offensæ: atqui in nostro casu propriè existeret offensa: ergo non esset condonata, tametsi non liceret exigere satisfactionem; hæc enim sunt separabilia, vt omnes fatentur: v.g. qui solvit Vsurario vsuras cum juramento non repetendi, non potest licitè repetere, & tamen alter tenetur reddere, & non reddendo peccat contra Justitiam.

926. Dices. Potest Paulus antecedenter ad offensam non tantùm obligare se ad non petendam satisfactionem, sed etiam potest cedere jure suo quod habet, ne à Petro percutiatur: atqui saltem hæc erit propriè condonatio injuriæ: ergo hoc modo posset etiam Deus antecedenter cedere jure suo. Respondeo negando minorem & suppositum: nam tali casu percussio non esset injuria nec contra Justitiam, quia consentienti, seu nolenti alterum habere obligatum, non fit injuria: hæc ergo cessio non esset remissio aut condonatio (vt malè supponunt adversarij) injuriæ, sed esset sublatio partis constitutivæ injuriæ, quia Injuria constituitur intrinsecè per voluntatem alterius obligativam, vt dicam in tr. 1. de Jure & Justitia. Itaque talis cessio Juris non esset sublatio tituli ad offensam, sed potiùs esset mutatio materiæ, hoc est, faceret, vt id, quod alioquin esset injuria, non esset injuria, sicut facit licentia facta famulo, vt auferat pecunias. Quæstio autem præsens est, an Deus posset remittere offensam pro instanti quo verè existeret offensa, & hoc negamus fieri posse, & dicimus, quòd potiùs esset tectio seu non imputatio (vt loquuntur hæretici) quàm remissio pro instanti quo existit. Potest quidem etiam Deus aliquam actionem alioquin illicitam reddere licitam, dispensando in lege, vt dixi lib. 2. sed hoc non est condonare injuriam, sed est facere, vt objectum quod alioquin esset illicitum, non sit illicitum, & ejus electio esset conformis rationi.

CONTROVERSIA IV.

An Pœnitentia Justificativa sit necessaria ex præcepto naturali.

927. CErtissima est omnium Theologorum contra Victoriam sententia, exstare præceptum pœnitentiæ salutaris seu justificativæ, præscindendo nunc à præcepto naturali & positivo, & etiam præscindendo à Contritione perfecta siue sacramento, & ab attritione cum Sacramento. Et quidem communiter Theologi censent esse præceptum divinum in Scripturis, quoties illis Deus indicat necessitatem Pœnitentiæ, excepto Arrjagâ, qui putat, illis textibus plus non probari, quàm necessitatem medij. Quidquid sit de præcepto positivo divino

Dicendum est, dari præceptum naturale dictèm pro mortis periculo, pœnitendi saltaltem, si quis sibi conscius est peccati mortalis. Probatur. Pœnitentia est necessaria necessitate medij, saltem ex ordinatione Dei: ergo tenemur lege naturæ hoc medium procurare. Antecedens probatur est. Consequentia probatur. Nam lege naturæ tenemur procurare vltimum finem ad quem conditi sumus: atqui obligatio ad finem obligat ipso ad media necessaria ad finem: sicut voluntas efficax finis, est hoc ipso voluntas mediorum necessariorum ad illum: ergo datur obligatio saltem ex charitate erga seipsum procurandi hoc medium, quando & quatenus est necessarium.

Dixi. Saltèm ex charitate erga seipsum: quia nolo disputare, an si Deus gratis condonaret culpam, adhuc daretur obligatio naturalis ex reverentia & amore erga Deum retractandi peccatum, licèt hæc retractatio tunc non esset medium ad justificationem procurandam.

928. Quæres. 1. Quo sensu dixerit S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 2. Impœnitentiam, præcipuùm est permanentia in peccato vsque ad mortem, non esse speciale peccatum, sed circumstantiam peccati. R. Aliquos ex hoc loco voluisse concludere, in sententia S. Thomæ voluntatem non pœnitendi vsque ad mortem non esse speciale peccatum, distinctum à speciebus cæterorum peccatorum: sed malè. Nam eodem loco statim addit, impœnitentiam prout est propositum non pœnitendi, esse speciale peccatum. Et 3. p. q. 84. a. 7. ad 1. & 2. disertè tradit, dari præceptum naturale pœnitendi. Porrò variæ sunt interpretationes illius prioris dicti, quomodo sit sola circumstantia aliorum peccatorum, quæ videri possunt apud Suarez, Lugo, Arriag. Mihi præ omnibus placet interpretatio Lugonis, quam etiam amplectitur Pallavicinus, eo modo permanentiam esse circumstantiam peccati, sicut perseverantia in actibus virtutum est meta circumstantia, juxta eundem S. Thomam in 2. d. 43. a. 3. ad 3. Nempe accipiendo perseverantiam pro actuali continuatione & duratione actûs.

929. Quæres. 2. Quo sensu dicatur propositum non pœnitendi esse speciale peccatum, & quidem contra charitatem sui ipsius, quando quidem hæc videatur esse malitia generalis, prætendens omnia peccata mortalia: nam omnia sunt contra charitatem sui, dum hominem exponunt periculo æternæ damnationis, & imponunt mortem spiritualem animæ, privandoque gratiâ sanctificante. R. Duas esse in hoc puncto opiniones contrarias, quarum tamen

men huc non spectat, & neutrius veritas præjudicat nostræ conclusioni. Prima docet, omne peccatum mortale habere totam illam speciem malitiæ, quam habet propositum expressum nunquam pœnitendi, scilicèt malitiam contra charitatem sui, obligantem ad procurandam animæ salutem. Ità Vasquez. Contraria sententia communior est, non singulis peccatis mortalibus inesse illam malitiâ contra charitatem, nam licèt singula exponant aliquali periculo remoto, non tamen proximo moriendi sine pœnitentia, sicut exponit voluntas nunquam pœnitendi. Quemadmodum etiam non est contra charitatem sui, exponere suam vitam aliquali periculo v. g. per longam navigationem etiam recreationis causâ, & tamen esset contra charitatem exponere se periculo proximo & moraliter inevitabili, ut pluribus ostendit Arriaga, dissolvens rationes dubitandi, allatas à Lugone pro sententia Vasquez.

Cæterùm etiamsi vera esset sententia Vasquez, nihil pugnaret contra nostram Conclusionem. Nam sicut Inobedientia v. g. est malitia transcendens omnia peccata mortalia, & tamen qui eliceret expressum propositum non obediendi Deo, peccaret peccato Inobedientiæ, & deberet hoc peccatum explicare in Confessione, quamvis non teneatur explicare inobedientiam contentam in alijs peccatis, ità se res haberet in nostro casu, & hoc sufficit, vt dicatur exstare præceptum naturale pœnitendi.

CONTROVERSIA V.

Pro quo tempore sit Pœnitentia necessaria ex præcepto naturali.

930. IMprimis certum est, ad minimum obligare in articulo mortis, vt patet ex dictis. Deinde certum est, per accidens obligare quandoque extra mortis periculum, vt si quis vellet sumere Eucharistiam, vel gravis vrgeret tentatio aliter non superabilis. Nunc quæritur, quandonam obliget ex natura rei. Et primùm quidem dubitatur, an præceptum salutaris pœnitentiæ obliget statim post commissum peccatum. Secundò an extra articulum mortis. Tertiò, an saltem obligemur ad aliquam retractionem toties quoties occurrit memoria peccati.

§. I.

An Præceptum naturale Pœnitentiæ salutaris obliget statim post commissum peccatum.

931. AFfirmant Guilielmus Parisiensis, Major, & quidam alij. Sed Respondendum est cum cæteris negativè. Probatur à Suarez & Lugone quasi à priori. Præcepta affirmativa non obligant statim, nec semper sicut negativa: sed præceptum Pœnitentiæ est affirmativum: ergo. Hoc argumentum tanquam inefficax meritò rejiciunt Arriaga & Pallavicinus. Nam licèt spectatis verbis videatur affirmativum, putant tamen adversarij, suis argumentis probari, quòd quoad vim obligandi non minùs sit negativum, quàm præceptum restituendi ablatum, quod quidem etiam spectatis verbis apparet affirmativum, & tamen obligat statim. Ratio autem hujus est, quia affirmatio cadit supra actionem quæ debet tollere effectum ex peccato relictum, cujus continuatio semper est mala & prohibita, videlicet retentio rei alienæ: supra hanc ergo cadit præceptum negativum: *Non esse retinendum alienum.* Pari modo dicerent adversarij, præceptum pœnitendi præcipere quidem actionem positivam, sed quæ debeat tollere aliquod malum cujus continuatio semper prohibetur, scilicet inimicitiam cum Deo & periculum animæ, seu reatum æternæ damnationis.

Melius ergo probatur responsio 1. à posteriori: quia talis obligatio est contra sensum fidelium, & contra praxin Ecclesiæ, quia nemo se de hoc peccato accusat, nemo præter paucos illos nominatos agnoscit malitiam in hoc, quòd non statim post peccatum procuraverit Contritionem perfectam etiam cùm posset. Confessarij etiam non interrogant de hoc peccato pœnitentes: non est autem credibile, in Ecclesia exstituram esse talem ignorantiam apud animarum pastores, circa obligationem perpetuò occurrentem, certè hoc non potest prudenter de Christi providentia præsumi. Hic sensus fidelium deprehenditur etiam ex eo, quòd sine vllo scrupulo accedant ad Sacramentum pœnitentiæ non præmissâ perfectâ contritione, contenti attritione, quòd fieri non posset, si agnoscerent obligationem statim eliciendi contritionem, vt consideranti liquet.

932. Probatur denique à priori, & ex generali regula agnoscendi obligationes naturales, quâ jam aliquoties in alijs materijs vsus sum, & eâdem hîc vtitur P. Ant. Perez, Pallavicinus & Esparza. Ad hoc vt censeatur aliqua actio esse sub præcepto naturali, non est satis, quòd illa actio plus boni afferat secum, si fiat, quàm afferat omissio illius actionis: si enim ad hoc solùm attendendum esset, nihil esset merè sub consilio, sed omnia sub præcepto, v. g. status religiosus esset sub præcepto, quia per se loquendo plus boni affert quàm status sæcularis. sed insuper & principaliter observandum est, an ipsa obligatio, sive, hocipsum quod est, *obligari*, plus boni sit allaturum toti generi humano, quàm tò *non obligari*. Ratio est, quia potest actio aliqua esse quidem allativa magni boni, sed tamen simul esse adeo difficilis, vt spectatâ fragilitate & communi propensione hominum, rarissimè fiat, & longè frequentiùs omittatur, & quidem sit adeo difficilis, vt ne quidem accedente obligatione impediretur illius raritas, sed adhuc longè excederet omissio, adeoque obligatio esset ansa innumerorum peccatorum, & insuper rarissimè obtineret suum finem; consequenter esset

pernitiosa, & melius esset non obligari. Et quidem hoc longè clariùs procedit in illa obligatione, cujus finis esset recuperare amicitiam cum Deo, & tamen actio præcepta esset adeo difficilis, vt non obstante præcepto plerúmque omitteretur, adeoque multiplicarentur potiùs peccata per transgressionem illius præcepti, & augeretur magìs inimicitia; talis obligatio esset manifestè contraria suo fini. atqui tale esset præceptum naturale obligans ad salutarem pœnitentiam statim post peccatum: ergo non datur talis obligatio. Minor probatur. Nam difficillimum est statim ex altissimo motivo Charitatis retractare id quod immediatè antè placuit, vt consideranti patet, & bene confirmat Pallavicinus, qui enim non exstimulatur (inquit) ad pœnitendum ex periculo in quo manet propter peccatum præteritum, vix movebitur ex timore peccati futuri seu de novo committendi contra obligationem pœnitendi: ergo talis qui immediatè peccavit, communiter non est dispositus, vt ab eo sperari possit cum aliqua magna probabilitate, acturum pœnitentiam, si obligaretur, ergo communiter illa obligatio esset potiùs ansa novorum peccatorum, quàm serviret ad finem intentum.

933. Objicitur 1. Sicut se habet perseverantia in bono ad specificandum actum bonum, quo dico: Volo perseverare in bono acquisito; ità se habet Perseverantia in malo ad specificandum actum malum, quo dico: volo perseverare in malo: atqui talis voluntas esset, quâ dicerem: nolo adhibere media deletiva peccati: ergo talis actus est malus. R. Comparationem hanc in vno sensu procedere, in alio non procedere. Procedit in hoc sensu, quòd sicut est bona continuatio actûs boni virtuosi, ità sit mala continuatio actûs mali: neque de hoc est controversia. Non autem procedit in alio sensu, quòd sicut est bonum & laudabile, velle perseverare in bonis quæ consecuta sunt ad actum bonum præteritum, scilicet, in jure ad præmium & laudem, in gratia acquisita, &c. hoc est, nolle de novo peccare, & sic illa bona destruere, quòd inquam ita etiam sit malum, velle nihil ponere destructivum peccati commissi quoad effectus relictos. Ideo enim illud primum est laudabile & bonum, quia sive loquamur de actu exercito perseverantiæ in ratione Virtutis, sive de actu signato, semper evincitur esse actus virtutis: nam in actu exercito est formaliter ipsissima observatio aliorum præceptorum, ad quæ observanda obligor independenter ab actu bono præcedente, & hoc vtique est laudabile: loquendo de actu signato seu reflexo, ille pertinet ad virtutem Perseverantiæ, quæ intendit honestatem in victoria difficultatis, quæ est in duratione temporis. Jam econtrario qui in actu exercito non agit Pœnitentiam, si hoc fiat per actus oppositos aliis præceptis, quæ existerent etiamsi nullus actus peccaminosus præcessisset, vtique hoc est malum, nec de hoc procedit objectio. Loquendo verò de actu signato, non procedit paritas cum actu perseverantiæ in bono: quia facilitas perseverandi sine pœnitentia, non est apta refundere malitiam in actum, sicut difficultas perseverantiæ in bono est apta refundere bonitatem; alioquin sicut, quò est major difficultas, ità est major bonitas, ità ex altera parte quò est major facilitas & proclivitas ad peccandum, eò esset majus peccatum, quod adeo est falsum, vt potiùs minuatur malitia. Itaque non procedit in hoc paritas, quia nos ostendimus in probatione Conclusionis, quòd nimia facilitas, & quasi naturalis necessitas non statim pœnitendi, exigat potiùs non præcipi quàm præcipi pœnitentiam: econtra verò perseverantia in bono debebat esse sub præcepto, alioquin malum fieret licitum, quod in terminis repugnat. Cæterùm in hoc etiam est aliqua paritas, quòd sicut perseverare in bono vsque ad mortem, est præceptum, & bonum, ità perseverare in impœnitentia vsque ad mortem inclusivè, est malum & prohibitum, & esset actus peccaminosus quo post peccatum commissum decerem: nolo pœnitere toto vitæ tempore: hoc tamen non sequitur esse actum peccaminosum quo dico: Nolo pœnitere nunc.

934. Objicies 2. Qui commisit peccatum Infidelitatis, tenetur statim elicere actum fidei, quo, ex probabili Sententia, etiam statim recuperatur habitus fidei, licèt non recuperetur Gratia: ergo etiam qui per peccatum amisit Gratiam (quæ est majus bonum quàm habitus fidei) tenebitur eam statim recuperare. R. transeat pro nunc id quod supponitur in objectione, per actum fidei recuperari habitum fidei sine gratia (quod lib. 2. negatum est) distinguo antecedens: tenetur elicere actum fidei statim obligatione provenante ex peccato Infidelitatis præcedente, nego, obligatione jam priùs existente, qua tenetur toties credere, quoties proponuntur motiva fidei, & tot eliciendus actus moralis essentialiter pendens ab actu fidei, concedo antecedens, & distinguo consequens; teneor recuperare gratiam amissam, & aliunde instet aliquod præceptum de procurando statu Gratiæ (quod per accidens fieri potest) concedo, per se & præcisè spectatâ obligatione, provenientè ex peccato præcedente, nego consequ.

Ex eodem fundamento solvuntur plures hujusmodi objectiones, quas Lugo refert fusiùs: v.g. qui contraxit malum corporis, tenetur statim procurare sanitatem ex charitate sui: item ex charitate proximi tenemur ad correctionem fraternam: ergo multò magis ad curandum morbum animæ propriæ, cùm sit pejor morbo corporis, & quilibet teneatur amare magìs salutem propriam quàm proximi. Respondetur, inquam, in his exemplis & nostro casu esse paritatem, si rectè applicentur, & ideo inde potiùs confirmatur nostra Sententia, si, vt volunt adversarij, est attendenda paritas. Sicut tunc solùm teneor statim adhibere media, nam, quando est periculum, ne morbus fiat incurabilis, aut impediat alias actiones præceptas, ità teneor delere peccatum, quando vel immine-

pericu-

periculum, ne peccatum fiat indelebile per finalem impœnitentiam, vel quando status peccati impediret actionem aliam præceptam, v. g. sumptionem Eucharistiæ. Item, sicut tunc solùm teneor corrigere proximum, quando ex dilatione correctionis vel timetur relapsus, vel impœnitentia finalis, ità etiam teneor pœnitere, si respectu mei alterutrum imminet.

935. Objicitur 3. Scriptura sæpè minatur & prædicit gravia mala imminentia non pœnitentibus, vt Isaiæ 65. *Jerem.* 8. atqui pœna gravissima præsupponit culpam gravem: ergo non pœnitere est culpa gravis. R. in illis locis per Impœnitentiam intelligitur continuatio pravi affectûs, vt colligitur ex contextu, additur enim: *faciebatis malum in oculis meis, & quæ nolui, egistis* item: *omnes conversi sunt ad cursum suum.* Deindè Deus prædicit pœnas temporales infligendas propter peccatum præteritum, nisi deleatur per pœnitentiam, adeoque pœnitentia est medium impeditivum illarum pœnarum, sed illa mala non sunt propterea pœna impœnitentiæ, alioquin esset etiam quandoque gravis culpa non pœnitere de Veniali commisso, quod etiam sæpè graves pœnas temporales meretur. Imò quandoquè Scriptura monet de malis imminentibus ex neglectu Consiliorum Evangelicorum, quæ nullo modo sunt sub præcepto, sic de divitibus dicitur, quòd difficillimè ingressuri sint Cœlum, & quòd incidant in tentationes & laqueos diaboli; quapropter hujusmodi etiam minæ fieri possunt illis qui negligunt ad longum tempus pœnitentiam, etiamsi non sit sub præcepto, sed sub consilio, præsertim quando sæpius à Deo excitantur ad pœnitentiam, sed respuunt vocantem Deum, quod etsi non sit peccatum, sicut non est peccatum non sequi vocantem Deum ad religionem (per se loquendo) præcludit tamen viam favoribus divinis majoribus, sine quibus invalescunt tentationes, & aliæ difficultates in via salutis.

936. Objicitur. 4. Constat, multos mori morte repentinâ & nullo modo prævisâ, imò nec suspicabili: ergo homo semper est in periculo aliquo mortis: ergo si differat pœnitentiam, semper se exponit alicui periculo amittendi salutem æternam: atqui debet hujusmodi periculum declinare: ergo tenetur statim agere pœnitentiam. R. Negando, quod illud periculum sit tantum, ut sit obligatio vitandi: non enim tenetur homo ad procurandam summam certitudinem suæ salutis & statûs gratiæ, & negationis periculi, sed sufficit moralis certitudo, & magna probabilitas, quod hìc & nunc non sit eventurus talis casus. Quamvis autem multi repente moriantur, incomparabiliter tamen plures valentes & sani non ità moriuntur: ergo loquendo de vno homine particulari & sano, est moraliter certum, quòd non morietur morte repentinâ nunc: & hæc certitudo moralis sufficienter excusat ab obligatione nunc pœnitendi. Sicut nemo tenetur procurare majorem certitudinem quàm moralem quòd sit ritè baptizatus, etiamsi multi non ritè baptizentur, & sic damnentur.

§. II.

An præceptum naturale Pœnitentiæ obliget solùm in periculo mortis.

937. PRima sententia asserit, hoc præceptum obligare per se etiam, post aliquod tempus, licèt non sit periculum mortis: quantum autem illud tempus sit, dicunt non posse vnâ regulâ omnibus communi determinari, sed attentis circumstantijs esse prudentis viri arbitrio taxandum. Conveniunt quidem AA. hujus sententiæ, infrà annum non obligare. quod colligitur ex sensu Ecclesiæ, non nisi annuam confessionem præcipientis: quantùm verò sit ultrà extendendum, non conveniunt. Lugo in fine n. 243. videtur extendere ad tres vel 4. annos. Arriga ad annum tantùm. Hanc sententiam tenent Suarez, Conink, Lugo, Arriagà.

Secunda sententia negat hoc præceptum per se obligare extra articulum & periculum mortis. Ità Cajetanus, Durandus, Navarrus, Valentia, Vasq. Dicastillo, Esparza, Pallavicinus, & novissimè P. Antonius de Spiritu S. in Directorio Confess.

DICO Cum hac secunda sententia, in in solo mortis periculo dari per se obligationem pœnitendi ex præcepto naturali. Probatur 1. Quiâ ab adversarijs nullum sufficiens & vrgens fundamentum pro ea affertur, vt patebit. Probatur 2. à Pallavicino. Quia præceptum pœnitendi extra articulum mortis, adhuc esset noxium, eo ferè modo, quo foret noxium præceptum statim pœnitendi post peccatum commissum. Nam qui non movetur ad pœnitendum ratione peccati jam contracti, vix movebitur ad pœnitendum intuitu peccati contrahendi per impœnitentiam post tres annos: nam quæcunque ratio ab adversarijs afferatur ad ostendendum, quòd post tres annos cessabit pernicies legis obligantis statim ad pœnitentiam, illa ratio probabit, etiam cessare illam perniciem intra primum annum: atqui intra primum annum nolunt adversarij cessare: ergo non est ratio cur cesset postea. Certè qui pœnitentiam agunt non exspectato mortis articulo, vel moventur præcepto Ecclesiastico, vel tædio priorum peccatorum, vel devotione ad certum sanctum aut festum diem: nemo enim ferè est fidelium, qui audiverit aliquid de præcepto naturali pœnitendi post duos annos: ergo non moventur ab hoc præcepto. Et mihi indubitatum est, quòd, si fidelibus omnibus constaret de veritate nostræ sententiæ; quòd inquam (seclusò præcepto Ecclesiastico) æquè multi pœniterent non exspectato mortis articulo, atque modo pœnitent: ergo signum est, quòd non moveantur probabilitate contrariæ sententiæ.

938. Ob-

938. Objiciunt 1. Qui perseverat diu in peccato, constituitur eo ipso in periculo peccandi de novo, juxta illud Gregorij *in Ezech. hom.* 11. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud:* atqui obligamur præcepto naturali nos ponere extra periculum peccandi de novo: ergo obligamur ad pœnitentiam intra longum tempus, etiam seclusō mortis articulo. ℟. Hanc objectionem non facere ad rem, quia nos non negamus, quòd casu quo homo perveniat ad illas circumstantias, in quibus advertat, quòd nisi eliciat actum contritionis, vel recipiat sacramentum Pœnitentiæ, sit ipsi moraliter impossibile vitare novum peccatum ad quod tendatur, sit obligatus pœnitere; sed dicimus hoc esse per accidens, sicut ipsi adversarij dicerent, si illæ circumstantiæ evenirent intra primum annum. Itaque esto per se loquendo & communiter eveniant tales circumstantiæ homini diu existenti in peccato habituali, quòd tamen homo advertat ad illud temporis punctum, quo completur talis longitudo, pro qua solent per se loquendo tales circumstantiæ evenire, vel jam evenerint, est moraliter impossibile, & vix vnquam contingit, & si contingeret esset per accidens.

Objicit Card. de Lugo 2. n. 234. Videtur necessitas pœnitendi saltèm post longum tempus, etiam extra articulum mortis apertè colligi ex dignitate Dei offensi, in cujus contemptum redundare videtur, si quis adeo parùm curet de reconciliatione cum Deo procuranda, & velit per totam vitam in ejus inimicitia perseverare. Constat enim non fieri absque principis indignatione & offensione, si post delictum in principem commissum, de oblata principis gratia & pace nihil curet, sed differat veniæ petitionem & reconciliationem ad finem vitæ. Deinde n. 273. ferè similia repetit: qui, inquit, Deum graviter offendit, si reconciliationem aut veniam negligat, videtur Deum ipsum offensum negligere & contemnere. ℟. Cum P. Dicastillo, totum hoc argumentum reduci ad vnum: *Videtur*: & nos dicimus: *non videtur*. Deinde cur videtur Deus contemni, si differam per tres vel quatuor annos, & non, si per annum? certè principes terrenni putarent se contemni, si oblata gratia intra annum non acceptaretur: quodsi tibi hoc non videtur, nec nobis post tres annos futurum videtur. Deinde est disparitas inter Deum & Principes terrenos. Principes terreni offenduntur tali dilatione, quia præsumunt vel suspicantur in offendente animum nunquam petendi reconciliationem, vel affectum quo ratificant delictum commissum, nec volunt agnoscere, se errâsse: in Deo non habet locum præsumptio aut suspicio, & ipsi adversarij fatentur, ex nolitione pœnitentiæ non rectè inferri ratificationem peccati præteriti.

§. III.

An post peccatum commissum teneatur homo lege naturali ad peccatum statim retractandum, & deinde toties, quoties peccati memoria occurrit.

939. Supponitur ad quæstionis resolutionem, quòd homo possit meminisse peccati, & animo liberè nec velle illud ratificare seu approbare, nec etiam revocare seu retractare, eliciendo actum incompossibilem cum illo affectu peccaminoso.

Card. Pallavicinus tametsi nobiscum sentiat in præcedentibus conclusionibus, in quibus hactenus sumus de Pœnitentia justificativa, tamen, c. 25. à n. 259. defendit, peccatorem statim ubi peccatum teneri ad aliquam pœnitentiam imperfectam, quæ sit retractatio, & detestatio divini contemptûs; & ait, eandem obligationem esse, quoties peccatum, quantumvis antea retractatum, memoriæ occurrit. Quia verò advertit Auctor, hanc doctrinam videri posse scrupulis obnoxiam, addit, posse aliquem sequi sententiam contrariam probabilem, & requiri plenam advertentiam.

DICO, non dari hujusmodi obligationem. Probatur Conclusio ijsdem planè verbis, quibus ex ipso Pallavicino priorem Conclusionem probavimus. Qui enim non movetur ad pœnitendum de peccato præterito, vix movebitur ad pœnitendum à futuro per neglectum attritionis: ergo lex esset noxia, quia esset potiùs occasio multiplicandorum peccatorum, quàm incentivum ad delenda præterita.

Respondere videtur tacitè Pallavicinus, facillimum esse retractare per attritionem, supposito quòd homo nolit approbare peccatum. Sed contra. Quia licèt sit facilius elicere attritionem quàm contritionem, non est tamen facile illum post commissum peccatum retractare quoque tandem modo; sanè hoc non tantum probat experientia, sed etiam supponitur à Theologis, qui in certis materijs suadent, ne quis exigis, citè & reflexè se examinet, quid esset faciendum illæ circumstantiæ redirent, eò quòd hoc sit periculosum. Præterea ipse Pallavicinus videtur hujus sententiæ praxi magnam difficultatem agnoscere, alioquin cur diceret, posse aliquem vitandos scrupulos oppositam opinionem sequi? quando enim res est facillima, non est magnum periculum scrupulorum, nec ratio recurrendi ad opinionem minùs probabilem relictâ probabiliore.

Denique huic sententiæ etiam obstat fidelium praxis, quæ per suos Ministros neque ad hanc retractationem hortatur fideles tanquam ad rem præceptam, nec Confessarij examinant pœnitentes an tali obligationi satisfecerint; deberent autem examinare, quia, vt Pallavicinus putat, hæc obligatio est ex terminis evidens, vel certè probabilior: deberent ergo ministri supponere, non

pluribus innotuisse: deberent etiam ignorantes de hac obligatione instruere, quod tamen nemo facit. Quis enim pœnitenti plurima peccata enumeranti ausit dicere: scias te deinceps per totam vitam tuam graviter esse obligatum ad retractanda hæc tua peccata, quotiescunque memoriæ occurrent. quis non videt, quæ anxietates, desolationes & perplexitates ex tali instructione nascerentur? Sed argumenta adversarij videamus.

940. Objicit Pallavicinus 1. atque suam opinionem validè suaderi sic posse. quia pertinet ad dignitatem Dei, vt quoties occurrerit memoriæ, quòd illum graviter offendimus, toties aversemur illam actionem. ℟. Si adversarius vult dicere, quòd Deus sit dignus tali aversione à peccatis, omnino sic pertinet ad dignitatem Dei, vt aversemur non tantùm commissa, sed etiam non commissa; si verò vult quòd obligatio pertineat ad dignitatem Dei, Nego id pertinere, sicut adversarius ipse negat pertinere ad dignitatem Dei, vt quis statim pœniteat justificativè. audiamus ipsum Pallavicinum loquentem n. 257. [Talis, inquit, obligatio vix esset pro dignitate Dei: exponeret quippe illum innumeris & ferè inevitabilibus offensis viatorum, quos ipse ordinat ad suam æternam amicitiam. Quare non modò dignitas Dei non exigit hanc obligationem sed potiùs exigit negationem illius.] Hæc ille de obligatione pœnitendi pœnitentiâ justificativâ. & nos idem dicimus de obligatione retractandi toties quoties memoria peccati occurrit.

Objicit. 2. [Quis, inquit, constitutus ante faciem alicujus Principis, & memorans se fuisse illius perduellem, putat se posse sine illius contemptu non ostendere aliquam displicentiam de ejusmodi crimine perpetrato?] ℟. 1. Hoc modo posset etiam probari obligatio statim reconciliandi modo possibili, vel si hoc negligi potest sine contemptu, poterit etiam retractatio quam propugnat Pallavicinus. ℟. 2. Cùm Principes terreni non possint inspicere animum paratum ad reconciliandum Principem eo tempore quo ipse Princeps voluerit, facilè præsumunt perversum adhuc erga se animum durare, neque talis hominis præsentiam ferrent, quamdiu nollet Principem sibi reconciliare; aliter se Deus gerit erga peccatores, à quibus nihil est quod sibi timeat: & contentus est, si absit continuatio præteritæ offensæ, eò quòd videat non expedire graviorem obligationē.

Objicit. 3. S. Thomam 3. *p. q.* 84. *a.* 8. *in C.* vbi ait: [Pœnitentia interior debet durare vsque ad finem vitæ, semper enim debet homini displicere, quòd peccavit; si enim ei placeret peccâsse, jam ex hoc ipso peccatum incurreret, & fructum veniæ perderet.] ℟. S. Thomam non posse intelligi de casu, de quo disputamus, nempe quando homo potest suspendere tam affectum complacentiæ, quàm displicentiæ: sic enim esset consequentia pessima: *Non displicet: ergo placet.* quia datur medium præscindens ab vtroque. Loquitur ergo S. Thomas de casu quo homo non habet libertatem contradictionis, eò quòd non proponatur illi reflexè difficultas & bonitas displicentiæ, vt eam possit vel eligere vel respuere, sed de casu quo habet solam libertatem contrarietatis, vel ad reprobandum vel ad approbandum peccatum, & de casu quo homo vult practicè versari circa peccatum præteritum, approbando vel improbando: & hoc sensu est bona illatio S. Thomæ. Porrò hæc mens S. Thomæ etiam ex eo colligitur, quòd in argumentis nullum posuerit ad probandum, sufficere præcisionem ab vtroque actu, & quòd quæstionem brevissimè expediat.

941. Objicit 4. & quasi diffidens probationibus ad obligandum toties quoties occurrit memoria peccati. [Quidquid sit, inquit n. 261. de prædicta Sententia, saltèm rationes suprà indicatæ evincunt, peccatorem statim teneri ad primam retractationem vbi memoria peccati occurrit. Videtur enim magnus contemptus Principis facere hunc actum: Ego scio, quòd vltima vice mihi placuit graviter offendere Principem, & tamen nolo retractare hanc meam vltimam voluntatem, quamvis sciam, meos actus interiores versari in conspectu ipsius Principis. ℟. Hoc ipsum est, de quo disputamus, & ego dico, non videri quòd sit contemptus Principis, quando quis aliquid non vult facere nunc, sed postea, dum non apparet obligatio pro nunc, sed pro postea: non apparet autem obligatio, quia non probatur aliter, quàm quòd ità videatur, ad quod respondetur, alijs non ità videri. Cæterùm Pallavicinus non explicat nec exprimit actum integrè, prout deberet exprimi, nempe in ordine ad motiva quæ habet. Si enim dicat: *Nolo retractare, sive obliger, sive non obliger*; est vtique contemptus: dicere autem: *nolo retractare, quia princeps non exigit, contentus, quòd non ratificem & approbem peccatum commissum*; non est contemptus Principis, sed potiùs aliqua observantia. Quamdiu ergo non probatur dari obligationem, non possumus dicere, quòd sit contemptus nolle retractare: & priusquam statuamus, an sit contemptus: nolle retractare, debemus priùs statuere, an detur obligatio retractandi: malè ergo infertur & probatur obligatio retractandi ex eo, quòd nolle retractare sit contemptus: si enim dicit: *nolo retractare, licèt obliger*, erit contemptus: si dicat: *nolo retractare, quia non obligor*, non erit contemptus: ergo non possumus scire, an nolitio retractationis sit contemptus, nisi priùs sciamus, quale esset ipsius motivum seclusâ ignorantiâ, scilicet, an detur vel non detur obligatio retractandi: ergo qui vult ex ipso actu probare obligationem, committit circulum, & nihil probat.

CAPVT IV.

DE EFFECTIBVS POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

Quomodo Pœnitentia deleat pœnam.

942. DE fide est, quòd delerâ culpâ non propterea deleatur omnis pœna. Trid. *sess.* 14. *c.* 8. Hujus rei rationem reddidi ex Recentiore quodam Hispano in tr. 1. de Incarn. quòd nempe Pœna æterna respondeat peccato Mortali vt habet rationem offensæ & contemptûs divinæ amicitiæ: prout autem habet rationem transgressionis legis, & vt sic non caussat nisi malum aliquod finitum, sicut bonum oppositum quod obtineretur per actum bonum oppositum, etiam est finitum, vt sic inquam respondet peccato pœna temporalis commensurata gravitati transgressionis, & hæc manet etiam post recuperatam amicitiam.

Quia verò hæc doctrina & ratio necdum apud DD. invaluit, ideo nunc referam aliorum rationes hujus veritatis, quæ duobus modis impugnari potest. Itaque

943. Objici potest 1. actus justificativus impetrat remissionem pœnæ æternæ, & quidem secundùm minimum gradum suum, & secundùm durationem vnius instantis: ergo cùm vix contingere possit, vt tantùm ponatur vnicus gradus, vel actus tantùm duret per instans, per reliquos gradus & per vlteriorem durationem impetrabitur remissio cujuscunque pœnæ temporalis: qui enim potest quod est plus, potest etiam quod est minus: & sic vix vnquam remanebit vlla pœna temporalis.

Responderi potest. 1. cum Card. de Lugo. Contritionem in primo instanti quoad omnes gradus non de condigno, sed de congruo tantùm impetrare remissionem pœnæ æternæ, & quidem consequenter ad impetrationem Gratiæ, cum qua non stat debitum pœnæ æternæ. Porrò meritum de congruo non acceptatur à Deo ad conferendum in actu secundo omne id, respectu cujus est in actu primo meritum de congruo. Quoad durationem verò pro secundo instanti, vel consideramus contritionem in ratione meriti, vel in ratione satisfactionis: in prima consideratione expletur ejus meritum de condigno per collationem vlterioris gradûs gratiæ, & ideo vt sic non obtinet remissionem vllius pœnæ: in secunda consideratione delet quidem aliquid pœnæ, sed cum ea restrictione, quam exigit resistentia contrarij, licet peccati præteriti.

Secunda responsio est Card. Pallavicini, n. 233. observat, tam in physicis quàm in moribus naturam esse ità comparatam, vt sæpè facilius sit liberare se ab ingentibus malis, quàm à tenuibus reliquijs eorundem. Cujus ratio est, quia id quod magis accedit ad summam miseriam, est magis violentum naturæ, ac proinde habere debet media magis parata: non ità verò illa mala, quæ tantùm impediunt, vel retardant felicitatem prosectam: hæc enim est bonum eximium, adeoque debuit esse difficile. Sic etiam natura parauit cunctis artes, quibus arcerent leones & tigres, non ità quibus arcerent muscas & culices.

Aliam responsionem, magis theologicam, & quæ mihi tam solida quàm ingeniosa videtur, addit idem Card. [Pertinuit, inquit, ad divinam misericordiam, vt homo posset per instantaneam pœnitentiam liberare se ab æterno reatu, ne aliàs quin maneret in præsenti discrimine tantæ miseriæ: non ità facilè debuit posse liberari ab omni planè reatu pœnæ sensibilis, ne alioquin apud homines peccatum vilesceret (vt etiam insinuat Trid. sess. 14. c. 8.) & vt homines non exstimularentur ad frequentiam, & industriam in operibus bonis: sicut enim magis movet nos sensûs, quàm pœna damni, quia licèt hæc potior majori bono, illa tamen magis cadit sub hominis imaginationem, adeoque magis externos, ità magis movet timor purgatorij, quàm allicit spes augmenti gratiæ & gloriæ, quod accedit per quemlibet actum meritorium, & ideo expedientissimè ne illa tota pœna justis remitteretur, ad hoc vt desiderio ejusmodi remissionis semper stimularentur ad novos actus bonos, ac proinde ditiores hîc in gratia, & post hanc vitam in beatitudine.]

944. Objici potest 2. Si dimissa culpa æternâ potest à Deo retineri reatus ad pœnam temporalem, sequitur posse à Deo retineri totum ad majorem pœnam quâcunque determinatam pœnâ assignatâ, quia semper adhuc erit finitum: temporalis: ergo non posset Deus remittere pœnam æternam, quin simul exerceret liberalitatem pœnitúsque gratuitam remissionem pœnæ eius

temporalis, & nunquam posset taxare pœnam aliquam temporalem, quin simul præstaret liberè beneficium remissionis: consequens videtur absurdum; qui enim præstat beneficium vnum, potest vtique negare aliud distinctum, sed remissio pœnæ æternæ est beneficium, ergo debet posse præstari secluso alio novo, nempe remissione pœnæ temporalis. Hæc objectio cessat secundùm primam rationem ex Recentiore superiùs relatam. Præscindendo tamen ab illa,

Respondetur concedendo primam consequentiam, negando hoc esse absurdum in collatione illorum beneficiorum, quæ consistunt in remissione certi debiti præcisè in ratione *debiti tanti*. v.g. si dominus promitteret servo, nolle se servitutem continuare per annum, non potest beneficium manumissionis exequi, quin plus præstet quàm ad quod tenebatur vi promissionis: quocunque enim die manumitteret, potuisset sine violatione promissi aliquantulùm continuare, quin perveniret ad annum.

CONTROVERSIA II.

Quibus modis deleatur Peccatum veniale.

945. DIcendum 1. Peccatum Veniale potest per Pœnitentiam deleri tam quoad culpam quàm quoad pœnam, sine Sacramento Pœnitentiæ etiam in voto. Probatur. Peccatum Veniale posse extra Sacramentum Pœnitentiæ deleri, constat ex Tridentino sess. 14. c. 5. Quòd autem tunc non sit necessarius actus, qui contineat votum Sacramenti Pœnitentiæ in ordine ad Venialia, patet, quia confessio Venialium non est sub præcepto: ergo contritio v.g. qua quis dolet de Venialibus, non est votum Sacramenti: in tantùm enim est votum Sacramenti respectu Mortalium, in quantùm est voluntas servandi omnia præcepta, inter quæ etiam est obligatio confitendi mortalia: ergo si non est obligatio confitendi venialia, non est votum Sacramenti necessarium.

Dicendum 2. Tametsi actus dilectionis Dei qui sit vel formalis vel virtualis retractatio alicujus peccati Venialis, sufficiat ad delendam culpam, non est tamen tam perfectus actus necessarius. Primum membrum communiter à Doctoribus supponitur, excepto P. Arriagâ, & probari solet à fortiori: sufficit enim ad delendum mortale, quod est difficilioris remissionis. & sanè est actus valde heroicus, quo quis amore Dei non solùm respuit omnia quæ opponuntur amicitiæ divinæ, sed etiam illa quæ non opponuntur. ergo rationabiliter dicitur, Deum talem actum acceptare pro remissione culpæ, præsertim cùm sit hoc valde ad mentem Tridentini, dicentis, multis modis posse Venialia extra Sacramentum deleri; non apparet enim nobilior modus.

Secundum membrum Conclusionis probatur ex verbis Tridentini, dicentis s. 14. c. 5. peccata Venialia taceri citra culpam in confessione, eò quòd multis alijs remedijs expiari possint: vnde subsumitur, atqui si Contritio esset determinatè necessaria, non apparet pluralitas aliorum mediorum, quibus expiari possint.

946. DICO 3. Non videtur quævis attritio etiam supernaturalis extra Sacramentum sufficere ad delendum peccatum veniale. Hæc Conclusio est contra P. Suarez & P. Dicastillo. Probatur ex sensu communi fidelium, existimantium, in Sacramento Pœnitentiæ remitti culpas veniales, non solùm quando simul cum mortalibus exponuntur, & homo est in statu peccati mortalis, sed etiam quando sola venialia confitentur, & sumus in statu Gratiæ: atqui nunquam hoc fieret, si vera esset sententia Suarezij, nam semper præcederet attritio; peccata enim non possunt remitti per Sacramentum Pœnitentiæ, nisi præcesserit eorum retractatio: si ergo hæc sufficit ad delendum peccatum Veniale, jam absolutio inveniet peccatum deletum per attritionem: ergo absolutio nunquam delebit primò. Responsiones varias adhibet huic argumento P. Dicastillo, quibus bene quidem offendit, adhuc vtiliter fieri confessionem venialium, etiamsi supponantur remissa, sed non satisfacit sensui fidelium, arbitrantium ea remitti frequenter primò per ipsam absolutionem.

DICO 4. Nunquam videtur remitti culpa venialis sine aliqua peccati retractatione, saltem virtuali. Est contra Suarez & Arriagam, qui putant, in susceptione alicujus Sacramenti, v.g. Confirmationis, Eucharistiæ, &c. deleri Venialia sine positiva retractatione, modò adsit negatio actualis complacentiæ. Ratio est, quia de lege ordinaria tamdiu non dimittitur peccatum, quamdiu manet voluntarium habitualiter, hoc est non retractatum, nec ex vllo solido fundamento potest probari hæc virtus Sacramentorum, vt supplere possint retractationem. Porrò hunc sensum fuisse etiam tempore S. Augustini, non obscurè colligitur ex libro de vera & falsa Pœnitentia c. 8. vbi dicitur de Venialibus: [Est enim Pœnitentia assiduè peccantibus assidue necessaria; in multis enim offendimus omnes, quæ quotidie remittuntur, si semper deplorentur.] Eadem mens videtur fuisse S. Thomæ, qui adeo persuasum habuit, sine retractatione non dimitti etiam Venialia, vt *q. 7. de malo a. 11. in fine C.* requisiverit etiam in animabus purgatorij, decedentibus cum veniali in hac vitâ non retractato. Clariùs nostram Conclusionem supponit *q. 87. a. 3. in C.*

947. Dico 5. Probabilis valdè est Sententia Turriani, & Card. de Lugo, pro diversitate Venialium requiri & sufficere diversitatem attritionis extra Sacramentum, præsertim si attritio vestiatur alijs pijs operibus, vel sit ex nobiliore motivo, vel cum majore intensione & fervore, vel diuturnior, vel repetita, &c. ità vt respectu gravio-

ris peccati Venialis alia perfectior requiratur, vel insuper aliud pium opus, v.g. oratio aliqua Ecclesiæ, qua petitur venia, vel eleemosyna, vel humiliatio coram nostro proximo, auditio, & oblatio Sacrificij Missæ. Probabilitas Conclusionis inde colligitur, quòd probabile sit, non sufficere quamvis attritionem, vt dixi Conclus. 3. nec etiam semper requiri perfectam Contritionem. Congruentia vlterior est, quia Deus pro mortali vult sufficere perfectam Contritionem extra Sacramentum: ergo pro veniali videtur imperfectiore actu contentus esse. Quia verò vnum veniale est altero levius, congruum erat, etiam intuitu hujus discriminis plus pro vno quàm pro altero requirere.

Dices, attritionem sufficere extra Sacramentum Pœnitentiæ, si conjungatur cum alijs Sacramentis, v.g. cum Eucharistia, extrema Vnctione, Confirmatione, &c. & sic adhuc salvatur, quomodo sæpè venialia dimittantur primò etiam sine mortalibus in Sacramento Pœnitentiæ. Ergo non est necesse admittere, quòd Attritio aliquando extra omnia Sacramenta sufficiat. R. Concedendo non esse necessitatem; sed tamen dico esse probabilitatem, quia sic meliùs intelligitur dictum Tridentini, quòd extra Sacramentum Pœnitentiæ multis alijs medijs deleantur venialia. Videtur autem hoc dictum non adstrinxisse ad solos casus quibus aliud Sacramentum frequentatur, alioquin hoc probabilissimè monuisset. & cur non accessio aliorum operum piorum possit supplere insufficientiam attritionis? & hæc est expressa mens S. Thomæ *q.* 87. *a.* 3. *in C.*

Certum præ alijs remedium est Eucharistiæ sumptio, juxta Trid. *sess.* 13. *c.* 2. cujus elegantem rationem reddit Lugo, quòd etiam amici terreni soleant in convijs leviores offensas dimittere, & quòd de ratione cibi sit reparare, quæ per continuam contrariorum pugnam deperdimus. De alijs Sacramentis & remedijs plura videri possunt apud Suarez, Lugo & alios.

CONTROVERSIA III.

Virum peccata redeant per lapsum.

948. STatus quæstionis est, an postquam peccata remissa sunt quoad reatum culpæ, & titulum odij, si homo de novo peccet, redeat reatus culpæ, & titulus ille odij, ità vt Deus odio habeat non solùm ratione peccati de novo commissi, sed etiam intuitu peccatorum priorum, & semel dimissorum. Affirmârunt antiqui aliqui vniversim, vt Hugo de S. Victore, Gratianus, Guilielmus Parisiensis, & inclinabat Magister sent. apud Vasquez *q.* 88. *a.* 1. *n.* 3. aliqui apud S. Bonavent. limitârunt ad quatuor genera peccatorum, per quæ volebant redire priora peccata, quæ hoc versu comprehendebant:

Fratres odit, Apostata fit, spernítque fateri.

Pœnituisse piget, pristina culpa redit. Breviter sunt hæc quatuor. Odium & crudelitas in proximum: Apostasia: Contemptus Confessionis: Detestatio seu improbatio factæ aliquando pœnitentiæ.

Dicendum est, peccata non redire, postquam semel dimissa sunt. Conclusio hæc quoad quæstionem facti, seu defacto, est jam ità certa, vt aliqui eam existiment esse de fide. Probatur maximè ex Gelasio Papa, *in cap. divina. de Pœnit. dist.* 4. Divina, inquit, Clementia dimissa peccata in vltionem redire non patitur. S. Prosper, S. Augustini discipulus, ad capitula Gallorum in resp. ad. 2. Qui, inquit, recedit à Christo, & alienus à Gratia finit hanc vitam, quidni in perditionem cadit? sed non in quod remissum est, incidit.

Probatur deinde partim ratione, partim ex Scriptura. In Scriptura dicitur Deus pœnitentibus simpliciter remittere peccata, sicut qui alteri debitum aliquod condonat: atqui debitum absolutè condonatum non redit per contractum novi debiti: condonatio autem conditionata, *nisi novum debitum contrahatur*; non est simplex condonatio, sed est suspensa vsque ad eventum conditionis. Ratio hujus Conclusionis robobitur ex dicendis de potentia absoluta.

949. Objicitur præcipuè parabola Matth. 18. vbi servus crudelis in conservum suum, traditur tortoribus, donec reddat vniversum debitum, quod paulò antè erat dimissum. P. Arriaga rejiciens alias interpretationes putat esse intelligendum de debito de novo contracto, quod dominus exegit. Sed hæc interpretatio infert vim textui, & est contra sensum DD. qui omnes intelligunt de debito priùs condonato.

Tres sunt interpretationes. Prima, quod redeat prius debitum virtualiter & secundum quid, quia ratione ingratitudinis subsequens peccatum fit gravius peccatum, & ità occasione peccatorum dimissorum crescit pœna posterioris peccati. Hanc interpretationem amplectuntur aliqui RR. non tamen in eo rigore & sensu, quo antiquiores aliqui, quorum meminit Magister sent. & S. Thomas *q.* 88. *a.* 3. *in* 1. *arg.* & *in C.* quasi circumstantia ingratitudinis tantæ sit malitiæ, quantæ erant simul omnia peccata præcedentia remissa, ità vt reus hujus circumstantiæ sit omnia æquivalenter totius odij & vindictæ, cujus esset, si nunquam priora dimissa fuissent. Hæc ingenua opinio est falsa & refutata à S. Thoma; sed genuina interpretationis est, quòd circumstantia ingratitudinis augeat aliqualiter & secundùm quid gravitatem peccati post justificationem commissi.

Secunda Interpretatio est Vasquezij, scilicet speciale hoc peccato crudelitatis, vt Deus ratione illius permittat hominem labi in peccata vel tam gravia, vt adæquet debitum cujusrum priùs remissarum.

Tertia interpretatio est Maldonati, quam approbat P. Dicastillo, Christum Dominum in-

in parabolis aliqua posuisse facta, non quòd facta approbaret, sed quia fieri solent, & serviebant Christo ad obtinendum scopum parabolæ. Sic etiam Lucæ 16. Laudat Christus astutiam Villici in dimittendo per fraudem debito domini sui, quia ità solent facere sæculares, non quòd Christus approbaret, sed quia serviebat ad scopum suum, hoc est, ad declarandum, quòd Deus etiam sit severus & immisericors in immisericordes.

Ego, salvo meliore judicio paulò aliter interpretaret, & dicerem, esse applicandam parabolam & factum Regis Deo, quantùm seclusis imperfectionibus fieri potest, hoc modo. Rex ille dimittebat debitum servo, sed ex ignorantia eventûs & crudelitatis futuræ, quia si sciviſſet futuram crudelitatem, non dimisisset, adeóque inspecto affectu Regis, fuit donatio implicitè conditionalis, sicut dicunt Juristæ, posse defacto donationem revocari ob ingratitudinem, ex quòd hæc conditionalis videatur semper inesse donationi. Jam verò quia in Deum non cadit ignorantia futurorum, neque Deus elicit actus voluntatis conditionales, quando videt conditionem non ponendam, essent enim supervacanei, ideo in Deo debet ità intelligi, quòd scilicet Deus hominibus crudelibus non dimittat peccata, negando auxilia congrua ad pœnitendum, quæ tamen non fuisset negaturus, si crudelitas abfuisset. quare in ordine ad puniendam crudelitatem supervenientem alijs pluribus peccatis, perinde est in effectu, si denegentur postea auxilia pœnitentiæ, acsi pœnitentia peracta fuisset, & tamen peccata ob crudelitatem redijssent. Posset etiam intelligi non de negatione auxiliorum pœnitentiæ, sed de condonatione pœnæ temporalis reliduæ, quam Deus fuisset condonaturus, si ille homo fuisset in fratrem Misericors & liberalis. Et hoc suaderi posset ex verbis ipsius parabolæ: tradidit enim dominus tortoribus, quoadusque solveret vniversum debitum: ergo debitum erat finitum & solubile, qualis non est pœna inferni. Sed, vt dixi, non omnia quæ pronuntur in parabolis debent ad amussim posse applicari veritati, ad quam docendam parabola est instituta.

950. Restat breviter videndum, an de potentia absoluta possit peccatum absolutè dimissum redire quoad reatum culpæ. Affirmant Scotus, Valentia, Thomas Hurtadus, Arriaga, & probabile putat Conink.

DICO 2. Non posse redire. Ità Vasquez, Lugo, Dicastillo, Pallavicin. Esparza. Probatur. Vt peccatum habituale semel destructum rediret, deberet redire aliqua pars illius, per cujus destructionem destructum est: sed nulla potest redire: ergo &c. Minor probatur in duplici sententia circa peccatum habituale. Si enim constituamus in peccato actuali præterito cum negatione condonationis, clarum est non posse redire, quia non potest fieri, vt negatio condonationis, quæ per condonationem est formaliter destructa, redeat, quia factum infectum fieri nequit: ergo semper deest vna pars peccati habitualis, nempe negatio condonationis: ergo non potest redire, quia totum non potest esse sine suis partibus. Si verò dicamus, peccatum habituale consistere in privatione Gratiæ, posita dependenter à peccato actuali præcedente tanquam causa adæquata, iterum clarum est, peccatum destructum non posse redire per subsequens peccatum: jam enim poneretur privatio gratiæ dependenter à novo peccato tanquam causa proxima: ergo peccatum præcedens non esset causa adæquata: ergo non rediret peccatum habituale destructum, sed aliud poneretur.

Objicies. Potest quis abdicare à se jus *sub modo* (vt loquuntur Juristæ) hoc est cum adjecto pacto seu conditione, vt si hoc vel illud fiat, redeat illud jus, v. g. possum donare fundum alicui, sed cum hac conditione, vt ipso defuncto redeat ad me jus fundi. ergo etiam potest Deus abdicare jus ad odium propter peccatum A, sed cum hac adjecta conditione seu modificatione, vt si de novo peccet homo, redeat jus ad odium propter peccatum A. Respondetur negando consequentiam & paritatem. disparitas est hæc. Jus ad fundum potest redire semel destructum, quia potest dari novus titulus ex quo resultet tale jus: nam eadem res potest acquiri sæpius, sed semper ex novo titulo: v. g. fundus jam est meus ex donatione, emptione, hæreditate &c. si illum vendam, desinit esse meus: si iterum emam, iterum est meus titulo emptionis. Sic in casu posito, antequam fundum donarem, habebam jus v. g. titulo hæreditatis, postea verò quando donatarius moritur, acquiro jus non titulo hæreditatis (qui jam est extinctus) sed titulo conventionis inter donatorem & donatarium: ergo jam est aliud jus, quàm jus prius, nam *Titulus* & *Jus*, sunt realiter idem, & tantùm sunt diversa vocabula. At verò titulus & jus ad odium propter peccatum A non potest esse alius, quàm ipsum peccatum A, existens; quare si semel hic titulus est destructus, non potest redire jus ad odium propter peccatum A, quia non potest redire ipsum peccatum A.

Quare autem reviviscant merita mortificata, & non peccata, constabit ex dicendis sequenti controversia.

951. Disputant hoc loco aliqui, an per accidens peccato mortali in hac vita dimisso quoad culpam & pœnam æternam, correspondeat aliquando in inferno pœna æterna. Resolvi hanc quæstionem lib. 2. & respondi negativè. Nunc invenio in M. S. Recentioris Hispani quæstionem eodem modo resolutam: sed insuper refert varias adversariorum explicationes illius particulæ, *Per accidens*, quâ putant se satisfacere argumentis, quibus probatur, talem punitionem fore iniquam. quas explicationes quia apud auctores impressos non invenies, & ab eodem Recentiore solidè rejiciuntur, ideo eas ex eodem referre non pigebit. Imprimis ergo dicit, nescire se, cujus significa-

tionis sit illa part. *Per accidens*, in præsenti materia, præsertim cùm illa apud suos Auctores tertio quoque die significationem mutet. Deinde generaliter illam particulam impugnat. Quidquid enim illa vox significet, implicat contradictionem, pœnam vt 4. debitam peccato A. ex conjunctione cum peccato B. fieri pœnam vt 8. debitam peccato A. vltra debitam per se peccato B. ergo *ly. Per accidens* est merum vocabulum sine re. Antecedens patet, quia vnumquodque peccatum etiam actuale tantùm punitur secundùm suam gravitatem, & malitiam: vnde quando vnum non est circumstantia augens malitiam alterius, vel accipiens ab alio augmentum malitiæ, etiam conjunctum cum alio æqualiter punitur, & non plus quàm puniretur non conjunctum. Ratio à priori est, quòd mensura pœnæ infligendæ pro delicto, sit sola gravitas delicti: vnde conjunctio omnino per accidens vnius delicti cum alio non augens malitiam vnius, non auget pœnam illius. Quodsi hoc accidit in peccatis actualibus concurrentibus, idem dicendum erit de peccato habituali jam dimisso quoad culpam, & perseverantem solùm in debito pœnæ remporalis.

Secundò. Jus ad odium & inimicitiam natum olim ex peccato, neque per accidens resurgit, si semel dimissum fuit, ex conjunctione cum alio non dimisso: ergo neque jus ad pœnam æternam olim natum ex eodem peccato redibit ex conjunctione cum peccato non dimisso.

Tertiò, vel Deus cùm dimisit pœnam æternam, illam dimisit absolutè, & donatione absoluta, vel tantùm sub conditione: nisi homo iterum peccet. si dicas primum, est impossibile quòd peccatum redeat quoad pœnam æternam, vt constat ex dictis: si dicas secundum, pœna non redit per accidens, sed per se, sicut merita post recuperationem gratiæ non obtinent præmium per accidens, sed per se, vt dicam contr. seq.

Videamus jam explicationes illius particulæ *Per accidens*. Primò ergo aliqui dicunt, *ly Per accidens*, significare, *ratione fori* in quo punitur. Sed contra vrget iste Recentior. Illud forum nil est aliud quàm divinum Judicium & tribunal: divinum autem Judicium ratione sui non potest punire hominem vltra illam pœnam, cujus est dignus ratione sui, neque potest hominem semel factum liberum à pœna æterna, iterum facere obligatum æternæ pœnæ.

Alij tò *Per accidens* exponunt, vt idem sit, ac *Ratione statûs*. [Sed rogo, (subdit iste Recentior) quisnam fecerit illum iniquissimum statum? præterea ille Status quid est aliud, aut quæ prædicata & proprietates habet, nisi esse divinæ Sententiæ executionem justissimam? ergo cùm dicis, reum per se, & ex se pœnæ tantùm temporalis, fieri reum pœnæ æternæ ex solo decreto, & Sententia judicis, idem est ac dicere, Deum Sententiâ suâ decretoriâ, & definitivâ exigere pœnam vltra condignum; Sententia enim condemnatoria Judicis, non facit hominem reum, sed supponit nec confert illi dignitatem ad pœnam, sed exigit pœnam condignam, eam commensurando ipsi reum. Hæc ille Recentior. Ego tamen existimo, quod illi qui ità respondent, aliud intelligant per eam *rationem statûs*, nempe Statum damnationis: dicunt enim ideo redire pœnam æternam, quia damnatus justè sit damnatus ob peccata non remissa, hoc est, quòd non sit dignus vllius pœnæ remissione, & quia per accidens est, quòd sit damnatus, idem per accidens punitur pœnâ æternâ propter peccatum remissum, cujus pœna aliqua est reliqua. Sed contra. Quia hac explicatione non declaratur, quomodo non puniatur vltra condignum, falsum per accidens. Deinde pœna temporalis non debet cessare per affectum Dei beneficum, sed cessat per satispassionem absque liberali condonatione: non est ergo opus aliqua dignitate, quam Deus respiciat in remissione debiti, sed sufficit sola potentia sustinendi pœnam residuam.

CONTROVERSIA IV.

Quomodo per Pœnitentiam merita reviviscant.

952. QVæritur, an per Pœnitentiam ità justificetur homo, vt reviviscant merita omnia quæ præcesserunt, & erant facta in Statu Gratiæ, adeoque an redeat, & restituatur omnis pristina Gratia habitualis, quam ille homo per peccatum mortale perdiderat, & quidem non tantùm Gratia quam acceperat ex meritis proprijs, sed etiam quam acceperat sine proprijs meritis, vt in baptismo.

Merita in aliquo sensu reviviscere certum est hodie apud Theologos, post S. Thomam. Verùm in quo sensu, & cum quo effectu seu in ordine ad quem effectum ea redeant, est controversum. Reditus ergo meritorum, præscindendo nunc à modo & effectu, colligitur ex epist. ad Gal. 3. *Tanta passi estis sine causa, si tamen sine causa.* quem locum pro reviviscentia interpretantur PP. ut passim apud AA. videri possunt, sicut & aliæ probationes, ob quas censent DD. ad minimum remanere rarium futurum, reviviscentiam meritorum pro tus negare. Quo autem modo, & in ordine ad quem effectum reviviscant, est discutiendum, & deinde solvendæ objectiones, ac reddenda ratio discriminis, cur merita reviviscant, non item peccata.

Prima Sententia fuit quorundam, merita tantùm reviviscere in ordine ad aliquod gaudium accidentale, quo gaudent beati de talibus meritis elicitis. Huic Sententiæ adeo favet S. Thomas *q. 89. a. 5. ad 3.* vt Suarez existimet, eum non posse in bonum sensum explicari, quod an ità sit, discutiant. Sententia hæc rejicitur ab omnibus.

Secunda Sententia est, reviviscere quidem merita in ordine ad præmium substantiale, sed

præmium

præcisè hoc sensu, quòd Gratia quæ datur intuitu operis justificantis, v. g. intuitu Contritionis, detur non solùm titulo & intuitu contritionis, sed etiam intuitu meritorum præcedentium in gratia factorum, licèt nihil plus gratiæ detur quoad entitatem, ac daretur, si nulla opera præcessissent: adeóque reviviscentia meritorum erit sola multiplicatio tituli sine multiplicatione rei. Ità Dominicus Bannez, quem postquam non solùm DD. nostræ Societatis, sed ipsi etiam Thomistæ apud Turrianum impugnâssent, de novo tueri conatus est Thomas Hurtadus in suo Præcursore Theologico, qui in hoc prælio adeo certus est de victoria, vt tandem Jesuitis claudat omnes scholas his verbis: *Valeat ergo schola Jesuitarum, & oret Deum, vt mentem D. Thomæ illis aperiat.* Verùm scholas Jesuitarum non ità clausas vult in hoc puncto Doctissimus P. Antonius à Spiritu S. Carmelita, editus hoc anno quo hæc scribo, in suo Directorio Confessariorum, qui pro sententia Societatis stat, *tr. 4. d. 2. sect. 8. n. 85.* non alios citans quàm Jesuitas, Suarez, Ripaldam, Lugonem, Perez, Dicastillo, addens esse communem sententiam contra antiquos Thomistas: & in toto suo opere plerumque Societatis auctores dignatur allegare & sequi.

Tertia sententia est aliorum Thomistarum, aientium, restitui quidem etiam gratiam aliquam ex ea quæ deperdita est per peccatum, sed non semper omnem, sed cum quadam proportione ad præsentem dispositionem per quam justificantur, quæ si v. g. est vt duo, restituetur gratia deperdita vt duo. alij hanc proportionem aliter accipiunt, vt videre est apud Suarez, Lugo & alios.

Quarta Sententia est Scoti: restitui quidem totam gratiam, non tamen in hac vita, sed in altera primùm cum gloria.

953. DICO 1. Merita non tantùm reviviscunt ad gaudium accidentale. Probatur. Si enim hoc sufficeret, etiam reviviscerent merita mortua, hoc est in statu peccati facta, quod dici non potest. sequela patet. Nam de his etiam gaudent beati, vtpote quibus meritis sæpè de congruo impetrârunt auxilia ad resurgendum: imò magis de his quàm de mortificatis quandoque gauderent, quia fortè plus vtilitatis ad vltimum finem inde consecuti sunt.

954. DICO 2. Non rectè explicatur Reviviscentia meritorum per titulum multiplicem vt volebat Bannez, cujus sententiam duo Thomistæ celeberrimi gravi censurâ notârunt. Sotus dixit esse falsissimam, Ledesma erroneam. Suarez modestissimè dixit, eam esse improbabilem; quod ægerrimè ferens Thomas Hurtadus exclamat nescire se, quâ fronte dixerit improbabilem.

Probatur Conclusio 1. Ex Trid. sess. 6. Et primò quidem ex Canone 32. vbi expressè ad augmentum gratiæ per merita duo solummodo requirit, scilicet, vt sint facta in gratia, & vt homo in gratia moriatur: atqui vtraque conditio impletur in nostro casu: ergo dabitur augmentum Gratiæ pro meritis præcedentibus: ergo merita præcedentia non erunt merus titulus, sed habebunt suum fructum distinctum à fructu aliorum operum.

Secundò, eâdem sessione cap. 6. docet Tridentinum, quomodo debeat hominibus justificatis ad eorum consolationem & stimulum inculcari bonorum operum in gratia factorum vtilitas, his verbis. [Justificatis hominibus sive acceptam gratiam perpetuò conservaverint, sive amissam NB. recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino; non enim injustus est Deus, vt obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius.] Quòdsi quis concionator huic exhortationi adjiceret explicationis loco & diceret: [Hæc tamen ità intelligatis velim, quòd Gratia amissa non quidem reipsâ recuperetur, sed quòd ex operibus quibus illam promeriti eratis, nihil aliud redeat præterquam titulus] nunquid hic talis frigidam affunderet, potiùs quàm fervorem excitaret?

Tertiò, idem Tridentinum can. 6. sic loquitur: [Nihil ipsis justificatis deesse credendum est, quominùs plenè illis quidem operibus quæ in Deo sunt facta, divinæ legi pro hujus vitæ statu satisfeciisse, & vitam æternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam promeruisse censeantur.]

Probatur 2. Ex absurdo. Si enim merita possunt dici reviviscere præcisè ideo, quòd præstent titulum distinctum ad gratiam pro alio opere posteriore dandam, nulla ampliùs ratio supereset ad probandum, quòd, si homo semper in gratia perseveraret, & continuò se bonis operibus exerceret, quòd, inquam, talis per singula opera novum gradum Gratiæ & physicum augmentum acciperet, sed dici posset, posteriora merita esse tantùm novos titulos, ex quibus prior gratia conserveretur. Ratio est, quia Reviviscentia priorum meritorum aliud non est, quàm eorundem additio seu accessio ad opus illud per quod reviviscunt: ergo si accessio priorum operum ad posteriora plus non dicit quàm titulum, neque accessio posteriorum ad priora plus dicet quàm titulum.

955. DICO 3. Merita reviviscunt quoad totam Gratiam, quæ per peccatum subsequens erat deperdita, sive deinde restituatur eadem formaliter & realiter, sive alia æquivalens omnibus gradibus per peccatum amissis. Probata satis est conclusio ex dictis, & quia nullum penitus fundamentum est restringendi ad certam proportionem. Nam quod supponunt Thomistæ, per actum remissiorem non posse augeri Gratiam intensiorem præexistentem, rejectum est in tract. de Merito, vbi etiam probatur, gratiæ collocationem non differri in alteram vitam.

Solvun-

Solvuntur Objectiones, & explicatur Ratio fundamentalis Reviviscentiæ.

956. OBjicies 1. Si restitueretur Gratia deperdita, vel hoc faceret Deus ex Justitia vel ex liberalitate & misericordia; neutrum dici potest. non primum, quia in nostris principijs Deus non potest obligari ex Justitia. Non secundum, quia sic hæc restitutio non tribueretur meritis præcedentibus, quod est contra Tridentinum.

℟. Deum restituere omnem gratiam deperditam ex Justitia Providentiali, hoc est, juxta exigentiam Gratiæ de novo concessæ. Declaratur. Gratiæ de novo data constituit hominem verum amicum Dei: atqui de ratione amicitiæ est, amicum non punire æternùm per diminutionem dilectionis propter offensas dimissas; puniretur autem amicus à Deo æternùm diminutione dilectionis & felicitatis, hoc est, carentiâ illius gratiæ, quam per peccatum deperdidit, & quam si haberet, magis diligeretur, & gauderet beatitudine majore. Porrò privationem Gratiæ esse pœnam peccati certum est, quia gratia expellitur demeritoriè per peccatum, & est terminus odij divini. Vnde rectè infert P. Esparza, quòd si Deus non restitueret pristinam gratiam propter peccata præterita, adhuc secundùm quid odisset hominem, & non amaret simpliciter, amor enim simpliciter excludit omne odium, & effectum procedentem ex odio.

Dices. Gratia non tantùm expellitur in pœnam peccati, sed etiam quia peccatum est forma contraria: ergo licèt privatio Gratiæ non debeat durare in ratione pœnæ, poterit tamen durare, quatenus est expulsa per formam contrariam: v.g. quando per nigredinem expellitur albedo, manet privatio albedinis, etiamsi tollatur nigredo, si non adsit caussa productiva albedinis. ℟. Peccatum non esse formam contrariam Gratiæ nisi in ratione offensæ moventis ad odium, & mediante odio expellit gratiam, & caussat privationē Gratiæ, dependentem semper & continuò ab odio divino: quare privatio Gratiæ præcisè durat in ratione pœnæ, & tanquam effectus necessariò connexus saltèm connaturaliter cum odio, quo proinde per amorem sublato tollitur etiam privatio gratiæ, adeóque redit gratia.

Dixi, restitutionem Gratiæ deperditæ in Justificatione esse juxta Exigentiam Gratiæ. An autem hæc Exigentia sit dispensabilis, vel indispensabilis, adeoque, an etiam posità novâ post lapsum amicitiâ possent merita præcedentia non reviviscere per absolutam Dei potentiam, nec deperdita Gratia redire, non est certum. Recentior Hispanus ait sibi ex terminis notum esse, quòd etiam ex suppositione restitutæ amicitiæ, Deus non teneatur hominem restituere omnino & quoad omnia in illum statum pristinum quem habuerat, antequam in peccatum prolaberetur: vnde concludit, quòd sit nova liberalitas, & beneficium distinctum à dono Justificationis, & nova gratia reviviscentia meritorum. addit tamen, quòd de Gratia & liberalitas maximè consentanea huic amicitiæ in quem homo recipitur. Quia secundùm D. Thomam amicitia habet duos motus voluntatis, alterum indirectum, alterum pro directo: ad hunc secundum motum pertinet pro amico pati & facere, quidquid secundùm regulas prudentiæ hîc & nunc possibile est, & rationem requirere, quibus amicus magis astringatur amico, & quòd Deus antecedentia amici merita & labores pro ipso toleratos in memoriam revocet, & & ipsos statuat remunerari, est possibile hîc & nunc secundùm regulas prudentiæ, & maxime decens liberalissimum amicum, & infinitè divitem qualis Deus est.

Mihi tamen tum ob rationem antea positam, tum ob alia principia alibi stabilita, magis videtur dicendum cum Cardin. Pallavicino & Esparza, Reviviscentiam meritorum esse metaphysicè necessariam, suppositâ restitutione amicitiæ, & exigentiam illam Gratiæ esse indispensabilem, & hoc videtur insinuare S. Paulus dicens. *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, &c.*

957. Objicies 2. Peccata non reviviscunt, vt in præcedentibus dictum est: ergo nec merita. Probatur consequentia. Sicut peccatum tollitur per Justificationem, ità & merita tolluntur per peccatum. ℟. 1. Negando paritatem. Nam, vt ostendimus, per Justificationem tollitur aliqua pars constitutiva peccati habitualis, quæ non potest redire: per peccatum verò nulla pars meriti tollitur, sed tantùm ejus vis impeditur, & nullus effectus illius: ipsum autem meritum semper manet in memoria Dei. ℟. 2. Negando paritatem etiam ex alio capite. quia de ratione amicitiæ est, non punire in æternum: non item de conceptu inimicitiæ est odisse ex omni caussa & titulo, qui aliquando præcessit & est condonatus: imò est contra rationem condonationis absolutæ, iterum ob talem titulum odisse.

Objicies 3. Ex eo quòd Scriptura dicat Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum ejus non recordabor*, inferimus, quòd peccata non reviviscant: ergo cùm ibidem dicatur de Justo, quòd si peccaverit, non recordabitur Deus justitiæ præcedentis, debet pariter inferri, non reviviscere merita. ℟. Negando consequentiam: quia Scriptura loquens de oblivione practica Dei, debet intelligi juxta capacitatem rei circa quam versatur: est autem diversa capacitas peccati & meritorum, vt ostensum est.

Objicies 4. Si per gratiam subsequentem possunt opera mortificata reviviscere, possunt etiam opera mortua, hoc est, quæ nunquam vixerunt, quia facta sunt in peccato mortali, vivificari: consequens est falsum, ergo, &c. Sequela probatur, quia facilius est aliquid vivificare, quam occisum vitæ restitui. ℟. Negando sequelam, & ad probationem negatur suppositum, scilicet, quod

quòd mortificatio operum sit eorundem occisio seu omnimoda extinctio; est enim tantùm positio obicis & impedimenti, quominùs conservent & obtineant suum præmium, quo obice remoto dicuntur revivíscere, sicut qui tristitiâ impeditur ne sumat cibum, remotâ tristitiâ dicitur revixisse.

958. Objicies 5. Conceptus amicitiæ non tollit reatum pœnæ temporalis: ergo nec tollit conceptum alicujus pœnæ æternæ, quæ non sit omnimoda privatio beatitudinis. R. 1. Pœnam temporalem residuam respondere peccato non secundùm formalitatem offensæ, & prout opponitur amicitiæ, sed secundùm formalitatem transgressionis legis, & prout respicitur à Judice & Justitia vindicativa legum, prout dixi tract. de Incarn. statim ab initio: ergo non est mirum quòd per reassumptionem ad amicitiam non tollatur. R. 2. Præscindendo ab hac doctrina, negando paritatem; nam pœna temporalis quæ remanet etiam post peccatum dimissum, non arguit odium in infligente, quia non infligitur cum intentione privandi aliquo gradu felicitatis æternæ, sed potiùs cum intentione conferendi per totam æternitatem omnem gradum felicitatis essentialis, quem habuisset, si nunquam peccâsset; & insuper pœnæ temporalis compossibilitas cum amicitia erat necessaria, vt amicus absterreatur à levibus offensis, & stimuletur ad satisfaciendum pro pœna residua post peccatum dimissum, vt suprà dictum.

Objicitur 6. Deus & Natura in subjecto dispositio producunt formam pro mensura dispositionis præsentis: atqui si merita reviviscerent, sæpè produceretur gratia longè excedens præsentem dispositionem, quæ quandoque ad justificationem sufficit, etiam remississima: ergo merita non reviviscunt adæquatè, sed cum aliqua proportione ad præsentem dispositionem, vt volunt Thomistæ. R. Nego minorem. Nam quicunque gradus actûs justificativi est sufficiens dispositio moralis & meritoria ad adæquatam reviviscentiam, ob rationes allatas; nec debet hæc moralis dispositio quoad intensionem comparari cum dispositione physica, vt dictum in tract. de Merito.

Ex dictis colligitur, non rectè Vasquezium restrinxisse Reviviscentiam ad illas gratias, quas homo obtinuit per propria merita, sed extendendam etiam esse ad illas, quas accepit ex meritis Christi per Sacramenta sine suis meritis. Nam semper militat ratio allata, quòd alioquin Deus adhuc practicè recordaretur peccatorum, quorum intuitu abstulit illam gratiam, eámque nollet restituere. Atque hæc de Virtute Pœnitentiæ.

PARS II.

DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

CAPVT V.

DE ESSENTIA ET PARTIBVS CONSTITVTIVIS HVIVS SACRAMENTI.

CONTROVERSIA I.

Quænam sint partes constitutivæ hujus Sacramenti.

959. DIcendum est 1. Verba absolutionis sunt pars essentialis hujus Sacramenti. Ità communissima contra Scotum, de cujus mente immeritò dubitant aliqui DD. an totam essentiam hujus Sacramenti in absolutione constituerit. Nam licèt ejus verba quæ habet in 4. *dist.* 14. *q.* 4. possent sententiæ communi non difficulter accommodari, quòd solùm velit, absolutionem solam importari in recto: quæ tamen habet *dist.* 16. *q.* 1. non videntur recipere interpretationem. sic enim loquitur. [DICO quòd ista tria, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, nullo modo NB. sint partes (Sacramenti Pœnitentiæ) quia Pœnitentiæ Sacramentum est illa absolutio Sacramentalis facta certis verbis: hujus autem nulla pars est contritio, quæ est quoddam spirituale in anima: neque Confessio, quia nihil est ipsius sententiæ Sacerdotis, sed actus rei accusantis: Neque satisfactio, sed sequitur absolutionem Sacramentalem: hæc tamen tria ad Sacramentum Pœnitentiæ ad hoc vt ritè suscipiatur, requiruntur, vel prævia vel sequentia, simpliciter enim requiritur confessio, quia Sacerdos non absolvit reum arbitrariè, nisi priùs reus fuerit sibi accusatus in illo foro; non est etiam vtilis illa absolutio, nisi præcedat in confitente aliqua contritio vel attritio.]

Quòd ergo Verba absolutionis non sint totum Sacramentum Pœnitentiæ, probabitur in sequentibus Conclusionibus, vbi cæteræ partes assignabuntur. Et satis constat ex Conc. Flor. & Trid. asserentibus, quòd Verba absolutionis sint forma hujus Sacramenti: atque forma est pars & non ipsum totum. Scio, Recentiorem Filiputum totum esse in eo, vt ostendat, posse Concilia intelligi de forma non prout comparata ad materiam *ex qua*, sed ad materiam *in qua*, hanc autem non est necesse esse partem constitutivam totius quod exprimitur nomine formæ, vt si quis diceret: Albedo est forma, cujus materia est lac. Ita ego ipse notavi in tract. de Sacram. in genere, Concilia non semper enumerâsse materiam *ex qua*, sed quandoque Materiam *circa quam*. Mihi tamen certum est, Concilium per *formam* voluisse vniversim intelligere partem Sacramenti, & comparâsse ad alias partes etiam constitutivas, nam post Florentinum nullus Classicus Doctor constituit Sacramentum adæquatè in sola forma, quod ego sciam, nisi quòd hic Recentior dicat, se aliquando Scoti sententiam defendisse.

Quòd verba absolutionis sint de Essentia hujus Sacramenti, plusquam certum est. Nam Verba absolutionis sunt operativa effectûs, qui per hoc Sacramentum intenditur, sunt enim sententia absolutoria: ergo sunt de Essentia hujus Sacramenti, cujus essentia est: esse Judicium. Deinde, solâ absolutione non positâ, cætera omnibus positis, non est Sacramentum: ergo juxta Regulam Partium est constitutiva Sacramenti, impossibile enim est, aliquid non esse, præcisè ex defectu alicujus non constitutivi.

960. Do-

960. Dicendum 2. Confessio est etiam pars essentialis Sacramenti Pœnitentiæ. Probatur 1. ex Regula generali de omnibus Sacramentis. Quidquid Deus ad valorem Sacramenti cujuscunque instituit & requirit, quod est aliquid sensibile in seipso, & immediatè sub sensus cadens, illud agnoscitur tanquam pars constitutiva Sacramenti in ratione signi & cæremoniæ sensibilis : sed talis est confessio & accusatio in Sacramento Pœnitentiæ : ergo. Minor est indubitata, nam aliquam saltem inchoatam confessionem essentialiter requiri omnes fatentur, etiam pro articulo mortis. Major patet ab inductione, nec enim quidquam sensibile requisitum ad valorem in vllo Sacramento potest assignari, quod non habeatur pro constitutivo.

Probatur 2. Specialiter in hoc Sacramento. Nam Sacramentum Pœnitentiæ est institutum in forma Judicij forensis, seu Tribunalis, & per hoc maximè differt à Baptismo, vt docet Tridentinum *sess.* 14. c. 2. Atqui de essentia Iudicij forensis & Tribunalis exerciti est accusatio rei : ergo &c.

961. Dicendum 3. Contritio (præscindendo à Perfecta & imperfecta) est etiam pars constitutiva hujus Sacramenti. Probatur. Non posità retractatione, posità quantumvis confessione & absolutione, & etiam intentione Ministri, non fit Sacramentum. ergo juxta regulam receptam est pars constitutiva, vel erit necesse assignare aliam partem, quæ deficiat in casu positæ confessionis & absolutionis, sine retractatione, nulla autem alia assignatur : ergo tunc deficit totum ex defectu retractationis.

Confirmantur hæ tres conclusiones ex eo quòd sint planè conformes Tridentino c. 3. sess. 14. vbi dicitur : [Sunt autem quasi Materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio & Satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur.]

Objicies 1. Contritio non est sensibilis : ergo non est pars Sacramenti. R. Distinguo antecedens. Non est sensibilis in se immediatè, concedo; in alia comparte, nempe in Confessione, quæ est manifestativa animi volentis absolvi, & præstantis ea quæ ad obtinendam absolutionem requiruntur, nego. Plures autem sunt Sacramentorum partes quæ non nisi in alio sunt sensibiles : v. g. forma substantialis aquæ in baptismo : Intentio Ministri : consensus internus in Matrimonio : voluntas instituentis : character quoad aliquorum Sacramentorum administrationem, vt dictum tr. de Sacram. in genere.

Objicies 2. Ergo pœnitens est partialiter minister hujus Sacramenti, & administrat Sacramentum sibi ipsi. Nam ille est Minister, qui exercet actus constituentes Sacramentum. R. Negando consequentiam. Ille solus denominatur Minister, qui exercet officium Iudicis; ille autem exercet officium Iudicis, qui ad instantiam rei fert sententiam : & vniversim in omni Sacramento ille est Minister, qui per formam nomine Christi prolatam determinat reliquas partes ad esse Sacramenti.

Objicies 3. Ergo etiam peccata erunt pars Sacramenti, quia includuntur à Confessione vt verà, & illis non positis cæteris positis non est validum Sacramentum. Ad hanc objectionem respondebitur Controv. Sequente. Nunc

962. Dicendum 4. Satisfactio est pars saltèm integralis, hoc est, sine qua quidem esset essentia Sacramenti, non tamen integrum. Probatur ex Tridentino paulò antè allegato, cujus verba recitavimus, in quibus ratio conclusionis continetur, & explicabitur in loco.

CONTROVERSIA II.

An peccata absolvenda ità sint Materia remota, vt nullo sensu sint pars Sacramenti.

963. S. Thomas q. 84. a. 2. quærens an peccata sint materia Pœnitentiæ, respondet in C. his verbis. [Dicendum, quòd duplex est materia, scilicet proxima & remota : sicut statuæ proxima materia est metallum, remota verò aqua. Dictum est autem, quòd materia proxima hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis, cujus materia sunt peccata de quibus dolet, & quæ confitetur, & pro quibus satisfacit. Vnde relinquitur, quòd remota materia pœnitentiæ sunt peccata, non acceptanda, sed detestanda & destruenda.] Hæc S. Thomas, cujus auctoritate ducti cæteri Theologi dixerunt, Peccata esse materiam remotam, non quidem sicut est aqua respectu baptismi & ablutionis, sed materiam circa quam vt destruendam versatur Sacramentum, sicut in Eucharistiæ materia circa quam est panis.

Card. de Lugo docet, Peccatum esse quidem materiam remotam, vt destruendum, sed tamen in ratione *præteriti* esse partem constitutivam. Ratio est, quia si nullum peccatum præcessisset, & tamen adesset dolor de peccato (quia falsò puto me peccâsse) & confessio & absolutio, non fieret Sacramentum, vt omnes fatentur : vnde vi regulæ partium infert, peccatum in ratione præteriti esse partem constitutivam.

Contra hanc Lugonis sententiam insurgunt potissimùm duo Recentiores, P. Dicastillo & P. Esparza (quibus accedunt Perez *d.* 17. *sect.* 7. *n.* 4. & P. Antonius à Spiritu S.) qui quidem in eo conveniunt, quòd sententia Lugonis sit contra omnes anteriores Theologos; sed in modo rejiciendi differunt. Nam P. Dicastillo rejicit per viam Connotatoribus familiarem, quo modo rejecit eundem Auctorem asserentem, quòd Intentio Ministri sit pars constitutiva Sacramenti;

sed P. Esparza in hoc stat pro Lugone, vt suo loco dixi, & ideo circa P. Dicastillo nihil est hic addendum.

Fundamentum P. Esparza quare peccatum præteritum in ratione præteriti non possit esse pars Sacramenti, est hoc. Repugnat aliquid esse caussam etiam partialem destructivam sui: sed Sacramentum est Causla destructiva peccati: ergo peccatum non est est pars Sacramenti. Censeo hoc argumentum continere æquivocationem, & in vno æquivocationis sensu minorem esse apertè falsam, in altero argumentum esse demonstrativum, sed veritatis quam nec Lugo nec alius negat. Omnia ostendo. &

964. DICO 1. Peccatum secundùm id, secundùm quod destruitur, seu, in eo sensu quo destruitur, nempe in ratione Peccati habitualis, non est pars constitutiva Sacramenti, neque hoc Lugo dixit. Probatur. Nam peccatum destruitur, quatenus vel tollitur negatio condonationis vel privatio gratiæ: sed neque negatio condonationis, neque privatio Gratiæ est pars constitutiva Sacramenti, neque hoc Lugo dixit. ergo peccatum secundùm id, secundùm quod destruitur non est pars Sacramenti.

965. DICO 2. Peccatum actuale in ratione *præteriti*, sive, hoc quod est peccatum esse commissum, est veritas objectiva, quæ nunquam per totam æternitatem destruitur aut destrui potest, & ideo in hoc sensu non repugnat (vi argumenti P. Esparza) esse partem Sacramenti, & sic argumentum continet minorem falsam. Conclusio tam est evidens, quàm evidens est, factum non posse fieri infectum. Videamus nunc, quid ipse respondeat ad argumentum Lugonis.

Respondet ergo negando hypothesim (quam cæteri adversarij admittunt) nempe, negat posse realiter manere cæteras partes, nempe dolorem &c. & non fuisse positum peccatum: Probatur. quia dolor & odium constituens sacramentum pendet (vt ipse putat) essentialiter à cognitione vera præexistentiæ peccati: cognitio autem vera pendet essentialiter à reali præexistentia peccatorum, & veritas est illi adæquatè intrinseca.

Contra hanc responsionem efficaciter vrget Lugo, & quidem dupliciter 1. permittendo id quod adversarius assumit in sua probatione. deinde verò ostendendo falsitatem assumpti.

Primo ergo sic vrget Lugo. Si per impossibile non præcessisset peccatum, & tamen poneretur talis dolor & cognitio, non esset sacramentum: ergo per hypothesin impossibilem adhuc sequitur, præteritionem peccati esse partem constitutivam. Respondebit P. Esparza, se abominari has hypotheses impossibiles. Sit ità. Hinc tamen infero duo. primum. Ergo cùm antehac hujusmodi hypotheses tanquam vtiles ad investigandum formalem conceptum & constitutiva rerum, fuerint à summulistis optimis agnitæ & receptæ, quisquis ex tali hypothesi deducit peccata vt præterita esse partem sacramenti, nihil asserit contra omnes antiquiores Theologos. Secundò & fortiùs infero. Ergo P. Esparza non habet ampliùs vllum eligens argumentum, ad probandum, quòd Intentio divina Sacramentorum sit pars Sacramenti, vt ipse asserit. Probatur, nam ille fatetur in ministris, esse probabile, quòd Ministri actio externa & etiam intentio interna essentialiter præsupponant institutionem divinam: ergo si peccatum præteritum potest excludi, quia ab alia parte Sacramenti essentialiter præsupponitur, etiam Institutio divina poterit excludi, quia essentialiter præsupponitur ab actione externa & intentione Ministri.

Respondebit, aliunde nos cogi vt admittamus, Institutionem esse partem, quia scilicet omnis Institutio signi est forma denominans signum ad placitum: omnis autem forma est pars, & Sacramentum est signum ad placitum.

Sed contra. Sicut tu negas, objectum esse formale verificativum cognitionis essentialiter connexæ cum objecto, ità ego negabo, Institutionem esse formam denominantem illud signum, quod essentialiter pendet à tali institutione: vna sicut per te dantur aliquæ propositiones essentialiter veræ per veritatem adæquatè intrinsecam, & aliæ quæ complentur per objectum, ità ego dicam, dari aliqua signa ad placitum, quæ sunt essentialiter talia, alia verò non.

Contra Responsionem principalem vrget Lugo, & cum eo Arriaga 2. Falsum est, quod Contritio seu dolor de peccatis essentialiter supponat cognitionem veram de existentia peccati. Nam Contritio supponit essentialiter cognitionem supernaturalem Prudentiæ, quæ dicat: *honestum est hîc & nunc detestari peccatum:* & hoc quidem dictamen est essentialiter verum, sed non propterea essentialiter supponit, peccatum esse commissum, sed ad summum supponit, esse probabile vel dubium, quòd sit commissum. Ratio est, quia honestum est confiteri peccata dubia, & tunc quidem si peccatum revera præcesserit, fiet Sacramentum, si non præcessit, non fiet, quamvis dolor & dictamen Prudentiæ sint actus supernaturales, & dictamen Prudentiæ erit actus verissimum, licèt non præcesserit peccatum: licut enim honestum est, dare eleemosynam illi, qui probabiliter est pauper, licèt à parte rei non sit pauper, ità honestum est detestari peccatum probabiliter commissum, etiamsi revera commissum non sit. Et ità semper sensit antiquus. Declaratur exemplo. Dicit mihi aliquis, me ante tot annos furtum commisisse, possum illi credere, & quandoque teneor, & possum honestè furtum illud confiteri: si revera commissum fuit peccatum, valebit Sacramentum, sin minùs non valebit; & tamen si ille meminit est, existent in me omnes ijdem actus, qui existerent, si verum dixisset. Nam opinio mea de veritate dicti non est essentialiter vera; actus vero quo evidenter judico, & reflexè affirmo, probabile esse quod ille dixit, est quidem essentialiter vera.

verus; sed adhuc esset verus, etiamsi peccatum non præcessisset, quia etiam tunc adhuc mihi eâdem probabilitate probabile esset esse verum. Multa enim falsa sunt probabilia. Denique dependenter ab his actibus elicietur dictamen prudentiæ supernaturale & dolor supernaturalis, sive præcesserit, sive non præcesserit peccatum, sicut imperium piæ affectionis, quo impero assensum præstandum parocho, casu quo falsum dicit (pono me obligari ad credendum) est supernaturale & meritorium, licèt actus subsequens in intellectu non sit supernaturalis. Hæc pro Lugone.

Ex dictis colligo clarè, in Lugonis sententia valde convenienter ad sensum S. Thomæ explicari, quomodo peccatum *vt destruendum* sit materia remota Sacramenti, sicut aqua est materia remota statuæ factæ ex marmore genito ex aqua, & sicut panis sensibilis est materia remota Eucharistiæ. Nam aqua ità est materia remota & destruenda per introductionem formæ marmoris, vt tamen remaneat in marmore pars aquæ, nempe Materia prima. Et panis sensibilis ità destruitur per consecrationem, vt tamen maneant accidentia; & sic aqua dicitur transire in marmor, & panis in Corpus Christi. Pari modo peccatum habituale destruitur quidem secundùm vnam partem, nempe secundùm negationem condonationis seu privationem Gratiæ, sed manet secundùm alterum, scilicet, secundùm hoc quod est, peccatum præcessisse.

CAPVT VI.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

Quo sensu vera sit forma: Ego te absolvo, *respectu peccatorum jam antè remissorum.*

966. CErtum est ex praxi totius Ecclesiæ, rectè posse eadem peccata sæpiùs clavibus subjici, & ab ijs sæpiùs absolvi. Vnde nascitur difficultas & quæstio, quomodo possit verificari forma respectu peccati jam semel remissi. sicut enim solutio à corporali vinculo non datur, nisi immediatè præcedat vinculorum ligatio, ità nec videtur quis à vinculo peccati dici posse nunc absolvi, si non ampliùs illo ligatus est, sed jam solutus. In hoc puncto variant AA. quorum opiniones præcipuas referam, omissis manifestè falsis, aut obscuris.

§. I.

Aliorum Sententiæ referuntur.

967. pRima Opinio est Scoti & Cajetani, in casu posito subintelligi: *in quantum tu indiges.* Sed contra est: ergo in tali casu, si nullum aliud peccatum dicatur, nisi remissum, absolutio est nulla, quia, cùm nulla sit indigentia, deficit conditio.

Secunda est P. Ægidij Conink: ex peccato etiam remisso remanere semper quandam indignitatem, ratione cujus minùs dignus est cæteris paribus, novis beneficijs, quàm qui non peccavit, & hanc dignitatem semper in hac vita remanere; hancque, ait, indirectè minui, quatenus augetur gratia, quæ præponderat ex altera parte: sicut si Deus imprimeret plumbo qualitatem furium trahentem, relictâ tamen ibi totâ gravitate, absolutè non minueretur gravitas nisi indirectè.

Hæc tamen sententia difficultatem non tollit. & omissis varijs impugnationibus Lugonis & Arriagæ, breviter rejicio, quia indignitas illa non est peccatum, sed effectus peccati, & quidem talis, qui, vt vult auctor, nunquam in hac vita tollitur, sicut in illius exemplo non tollitur in plumbo gravitas: quomodo ergo verum est, me à peccato absolvi? certè sicut in exemplo posito Deus non rectè diceretur auferre gravitatem, sed eam impedire per contrarium ab effectu suo connaturali, ità si indignitas illa semper manet, non dicetur verè tolli peccatum, impediendo illius dignitatis vim per collationem Gratiæ. Denique illa indignitas posset tolli, quia defacto tollitur in beatis, quatenus in illis nullum beneficium impedit, vt hic docet ipse Conink: ponamus ergo Deum promittere mihi, quòd nolit deinceps vllum beneficium negare intuitu peccati commissi, adhuc potero ab illo absolvi: ergo independenter ab hac indignitate est præsens quæstio resolvenda.

968. Tertia Sententia est, verba formæ non significare in tali casu absolutionem à culpa, sed à reatu aliquo pœnæ temporalis remanente. Huic Sententiæ videtur ansam præbuisse S. Thomas *in 4. dist. 18. q. 1. a. 3. quæstiunc. 2. ad 4.* Ad eandem Sententiam multùm, si non ex integro videtur accedere P. Esparza, qui ait, absolutionem qui-

dem à culpa significari tantùm conditionatè, si non sit prius remissa, vt autem evitaret incommodum primæ Sententiæ, addit, absolutam significationem formæ cadere supra remissionem partialem pœnæ alicujus relictæ à peccato, & quæ nunquam tollitur adæquatè in hac vita, consistitque in incertitudine de peccati remissione præcedente, adeoque caussare semper saltèm levem aliquam sollicitudinem, an reverâ sit remissum. hanc sollicitudinem ait minui novâ absolutione, quia jam est quis securior quàm antè.

Rejicitur hæc Sententia communiter & meritò. Nam primò ex ea sequeretur, quòd habens revelationem de peccato sibi etiam quoad pœnam dimisso (prout aliqui Sancti habuerunt) non posset iterum subjicere clavibus eadem peccata, quod est contra sensum fidelium. Imò, vt observat Pallavicinus, ne illi quidem possent confiteri, quibus moraliter constat (sicut constare posse supponit S. Thomas 3. p. q. 84. a. 9. ad 1.) esse sibi remissa; quia non licèt conferre aut recipere Sacramentum, quando moraliter constat, non fore efficax ex defectu materiæ. Secundò, contra hanc Sententiam acutè observat idem Cardinalis, ex ea sequi, Sacerdotem gnarum, illa peccata jam antè fuisse subjecta clavibus, debere habere intentionem restrictam absolvendi à sola pœna, & nullo modo à culpa; addo ego, quòd in hunc finem teneretur eum pœnitens monere. Ratio est, quia non licet habere intentionem generalem extendentem se ad aliquem effectum Sacramentalem, quem non potest prudenter credere futurum: sicut qui haberet ante se positas decem hostias, supra quarum novem jam essent prolata verba consecrationis, non deberet habere intentionem generalem consecrandi, quidquid non est consecratum, sed consecrandi specificè illam solam hostiam determinatam, supra quam verba ante non essent prolata. Tertiò & in specie difficilis est Sententia P. Esparza; quia si res attentè consideretur, intentio ministri esset semper conditionata: *si peccata non sunt dimissa.* quæ proinde conditio, quia deficeret in nostro casu, Sacramentum esset nullum. probo sequelam: talem enim haberet intentionem, quæ sufficeret ad augendam securitatem de peccato remisso: atqui sufficeret conditionata etiam tunc, quando ex defectu conditionis esset nullum Sacramentum; quia ideo esset nullum, quia peccata jam essent dimissa: atqui Sacramentum etiam vt nullum redderet securum pœnitentem, non minùs quàm si esset validum: ergo illa securitas non esset effectus specialis valoris Sacramenti, sed eodem modo obtineretur, si ponatur Sacramentum non valere ex defectu hujus conditionis: *si nondum sunt peccata dimissa.* ergo est effectus tantùm consequens ad intentionem remittendi peccata. & non directè, absolutè, ac primariò intentus, aut per verba significatus.

969. Quarta Sententia est Cardinalis de Lugo, qui cùm rejecisset Sententiam communem paulò post referendam, scilicet, quòd significatio formæ cadat directè & immediatè supra collationem Gratiæ sanctificantis, docet, eam cadere immediatè supra ipsam culpam, & tamen esse verum dicere; *Absolvo te*; etiamsi non adsit culpa: hoc sic explicat. Sicut non mentitur, qui post dimissum semel delictum, iterum rogatus dicit, se dimittere, & qui semel se obligavit, & semel voto aliquid, potest se iterum & iterum obligare, & vovere id ipsum, ità fit in nostro casu, quando Sacerdos secundò dicit: *Absolvo.* vel: Remittere enim est obligare se per cessionem ad non vtendum jure acquisito: neque enim renuntiandum est necessum, quòd actu sit nostrum, id cui renuntiamus; sicut per professionem iteratam renuntiamus de novo carni: ponimus ergo per novam cessionem novum titulum, seu novam obligationem ad non vtendum jure quod habuimus.

Vlteriùs declarat discrimen inter solutionem vinculi corporalis, & vinculi spiritualis moralis, quare scilicet illa prior supponat immediatè antè existentiam vinculi, & non etiam posterior: & ait, quòd verba: *ego te absolvo.* respectu vinculorum corporalium habeant solùm pro objecto immediato ipsam solutionem vinculi, quæ si reipsâ non ponatur, erit falsa propositio: at absolutio solutionis vinculi spiritualis habet pro objecto immediato non ablationem externam vinculi, sed actum voluntatis meæ, quo interius ego cedo jure acquisito ex offensa, & obligo me ad non vtendum eo jure in eos vsus, ad quos poterat, affirmatur ergo actus Voluntatis, qui est remissio, condonatio, seu voluntas me obligandi. Vnde infert Lugo, hanc solutionem repeti posse, quia licèt homo solutus à vinculis corporis non possit secundò solvi, offensa tamen potest secundò remitti, quia potest creditor iterum se obligare ad non petendam rem illam.

Sententia hæc admodum ingeniosa pluribus impugnatur ab Arriaga d. 49. s. 6. n. 2. quibus tamen, vt spero, ex dicendis sequens liberabitur; quare etsi aliam explicationem, & quidem communem traditurus sim, aliqua tamen in hujus Sententiæ confirmationem afferam. Dico solùm hîc quæ mihi in ea, vel potiùs in modo loquendi non placent, notabo. Dissimulo autem, quòd ponat in Deo obligationes, quas suo loco rejeci.

Primò ergo mihi paradoxum videtur, quòd dicatur Deus per secundam condonationem se obligare ad non vtendum jure, quod aliquando habuit, jam autem non ampliùs illud habeat, effactam priùs remissionem: hoc sanè esset se obligare ad non faciendum aliquod impossibile. est enim impossibile vti jure, quod modo non habeo, adeóque tam absonum esse videtur, imaginari Deum dicentem: obligo me ad non vtendum jure, quod quidem aliquando habui, sed jam non habeo; atque est: obligo me ad nolendum quæ nunquam venire existere, ad non faciendam chymæram. Secundò non placet, quòd dicit, eum, qui remittit

sua vota, novo se vinculo obstringere, & novam obligationem inducere, prout loquitur *disp. 13 de Pœnit. n. 83.* Aliter lego in nostris Constitutionibus *5. p. c. 4. lit. H.* vbi dicitur. [Non est, obligatione novâ se astringere, sed ejus qua obstricti sunt, in Domino recordari, atque eandem confirmare.] Verùm hæc parùm ad rem præsentem faciunt; notare tamen placuit.

§. II.

Nostra Sententia.

970. COmmunis aliorum explicatio est, verborum *Absolvo te*; esse hunc sensum: *Confero tibi Gratiam quantum est ex se reconciliativam.* Quia verò statim objici posset, hac ratione formam fore veram, si gratia conferretur nullo vnquam peccato commisso, ideo P. Arriaga paulò distinctiùs sic effert. Confero tibi gratiam ex se remissivam ejus peccati, quod commisisti, si remissum autem necdum est, illud tibi remitto. Verùm neque sic omnino perfectè videtur forma expositа esse. Nam licèt sic exponatur commodè significatio vocis, *Condono*; vel: *Remitto*; in præsenti tamen plùs significat vox; *Absolvo*: significat enim Sententiam Judiciariam, seu, in Judicio latam. Itaque

DICO, verba *absolvo te*, esse vera etiam respectu peccatorum jam remissorum, quatenus ex impositione sua & vsu recipiunt hunc sensum: *Ego, intuitu propriæ accusationis & humiliationis tuæ de his peccatis, confero tibi gratiam collativam & exclusivam juris ad aversionem, quam tuis peccatis promeruisti; nec condignè satisfeci.* Hoc totum defacto est verum. Quare verò mentio fiat non exhibitæ satisfactionis, ratio est, quia peccatum pro quo quis condignè satisfecit, non potest condonari, adeóque condonatio præsupponit negationem condignæ Satisfactionis.

Restat solummodo defendendum, & declarandum, quòd ex vsu hominum verba *absolvo: condono*, &c. sufficienter verificentur respectu condonationis radicalis, & collationis Gratiæ reconciliativæ, licèt jam præcesserit reconciliatio, adeóque quòd veritas hujus vocis: *Condono, absolvo*; non præsupponat negationem condonationis, sicut præsupponit negationem condignæ Satisfactionis.

Declaratur autem hic vsus hominum exemplis humanis. Quando filius offendit Patrem, eúmque sibi jam reconciliavit, ità vt non possit de reconciliatione prudenter dubitare (vt est exemplum filij prodigi Evangelici) quia pater dixit, se ignoscere, vel signa evidentia reconciliationis exhibuit, vt osculum, amplexum, &c. adeóque injurius esset filius in patrem, si vellet suspicari simulatam reconciliationem: in tali, inquam, casu, nemo omnium hominum prudentum est, qui negaret, laudabiliter acturum talem filium, si deinde (vt solet in Germania fieri) accessurus ad sacram Confessionem peteret priùs veniam à patre: simili modo petunt Religiósi laudabiliter veniam suorum errorum commissorum in communitate, tametsi indubitatè sciant, eos jam esse remissos ab ijs qui læsi sunt, & nemo reprehendit dicens: *stultè agis petendo rem impossibilem. non enim potest remitti quod jam remissum est.* ergo possibile est id quod tunc petitur, nempe concessio veniæ, & condonatio secunda: ergo qui tunc dicit, *ignosco*, non dicit falsum: ergo non vult dicere, *ignosco id quod hactenus non ignovi.* ergo in tali casu illud verbum alium sensum admittit, præscindentem à præcedente remissione: scilicet: *Ego te tali affectu prosequor, qui est incompossibilis cum jure ad aversionem, & si illud jus quod habui, adhuc existeret, esset illius delectivus.*

Ex quo constat, verba hæc: *Condono, absolvo &c.* in vsu hominum non solùm & vnicè significare actualem & formalem reconciliationem & destructionem tituli ad odium, sed etiam significare destructionem radicalem. Exemplum aptissimum est in Absolutione ab Excommunicatione ad reincidentiam: quæ est vera absolutio: & tamen si postea ad evitandam reincidentiam petatur absolutio, hæc secunda absolutio est vera & simpliciter dicta absolutio, & tamen supponit jam absolutum. Et quid multis opus est? quis dicat, eum qui sciret omnia peccata sibi esse dimissa quoad culpam & pœnam, non posse orationem dominicam orare, dirigendo petitionem ad peccata præterita, eò quòd peteret à Deo chymæram, dicendo: *Dimitte nobis debita nostra.* Defacto verò Deus decrevit non dimittere peccata, nisi per infusionem Gratiæ: petitur ergo saltèm implicitè hæc infusio Gratiæ sub nomine Remissionis & *Absolutionis*: ergo Deus exaudiendo preces & infundendo Gratiam, rectè dicitur dimittere peccata, sine vlla impropriétate verborum.

971. Objicit huic sententiæ vnicè Card. Lugo n. 72. observando, verba Sacramentorum duas habere significationes: vnam quam habent ex hominum impositione, antecedenter ad omnem Sacramenti institutionem: alteram mysticam ex institutione Christi. Jam ergo, quando quærimus, quomodo verificentur hæc verba: *Absolvo te*: quærimus de significatione priore, non de Sacramentali: atqui ex hominum impositione non significant illa verba Gratiam sanctificantem: ergo non explicatur rectè eorum significatio per ordinem ad gratiam.

R. Ex dictis, distinguendo minorem. Verbum *absolvo* non significat ex hominum impositione infusionem gratiæ determinatè, & explicitè, concedo; indeterminatè & in confuso nego. Itaque verbum *absolvo*, significat omnem absolutionem quæ verè absolutio dici potest: atqui ex communi hominum vsu radicalis absolutio etiam vocatur *absolutio*, & infusio gratiæ est radicalis absolutio: ergo hæc absolutio significatur indeterminatè & confusè. Hinc patet discrimen inter formam hujus Sacramenti, & aliorum quorundam Sacramentorum, v. g. Baptismi: nam vox, *Abluo*,

ex

ex hominum impositione non significat infusionem Gratiæ, quia infusio Gratiæ in nullo sensu est ablutio corporis, quam solam significat vox *Abluo*. At vox, *absolvo*, ex hominum impositione significat liberationem factam à culpa quocunque modo: ideo significat indeterminatè etiam eam quæ fit per infusionem gratiæ: distinguitur tamen adhuc à significatione Sacramentali, quia hæc significat determinatè infusionem Gratiæ. Hocipsum totum reperitur etiam in forma extremæ Vnctionis, quæ secundùm significationem naturalem significat remissionem peccati, præscindendo à remissione extrinseca & intrinseca per gratiam; secundùm significationem Sacramentalem verò significat determinatè infusionem gratiæ, quia defacto peccata non aliter dimittuntur.

Porrò, quòd infusio Gratiæ sit propriè condonatio, adeóque significetur etiam per verbum: *Condono*, vel *Absolvo*: tradiderat ipse Lugo in suo tomo, nam *disp. 7. n. 162. in fine* habet hæc verba. [Vnde Deus infundendo gratiam, dicitur propriè condonare peccatum, quia per infusionem gratiæ gratis destruit jus & titulum quem habet ad odium peccatoris:] & circa medium habet hæc verba. *Per quam gratiæ infusionem dicitur formaliter condonare peccatum.*

Hanc formæ Sacramentalis explicationem videtur approbâsse S. Thomas 3. *p. q.* 84. *a.* 3. *ad* 5. in fine dicens. [Esset autem perfectior expositio: *Ego te absolvo*, id est: Sacramentum absolutionis impendo.] quorum verborum sensus est iste, vt interpretatur Pallavicinus. Do tibi effectum Sacramentalem, cujus virtute sufficienter es absolutus à debito patiendi aversionem.

372. Post hæc, duodecim ab hinc annis dictata, nunc in M. S. Recentioris sæpè laudati, reperio aliqua quæ faciunt pro hujus, & prioris sententiæ confirmatione, quæ proinde hîc apponam in compendio.

Supponit ergo hic Auctor 1. verba formæ Sacramentalis pœnitentiæ, non esse à Christo assumpta ad aliud significandum vltra id, quod ex institutione humana ex se & extra Sacramentum significant. solùm enim Christus contulit vim significandi infallibiliter, sive cum effectu conjunctam necessariò, & vim causandi quod significant, objectum tamen significandum non mutavit.

Supponit 2. (& est res certa & probata in Logica) aliud esse quærere: quid petant voces illæ pro objecto suo, vt verificentur: & aliud, quid defacto sit illud ratione cujus defacto verificentur: non enim petunt semper voces ad sui verificationem illud determinatè, per quod defacto verificantur. v. g. hæc propositio: *Aliquis currit in foro*: pro sui veritate petit quidem, vt vel Petrus vel Paulus vel alius currat: sed non petit determinatè, vt Petrus currat, cùm æquè vera esset, si Paulus curreret. Si tamen defacto solus Petrus ibi currit, ille est, ratione cujus propositio defacto verificatur. His positis

Docet 1. Hæc verba: *Ego te absolvo* &c. ad sui veritatem solùm exigere in genere quilibet formam, sive extrinsecam pœnitenti, sive intrinsecam, sive physicam, sive moralem, per quam peccatum hominis deleatur. (hoc totum ego superiùs dixeram) Probatur ex suppositis. Verba illa formæ nihil aliud significant intra Sacramentum, nisi quod significant extra Sacramentum (loquendo de significatione per impositionem hominum) sed extra Sacramentum prolatæ absolutionem, significant formam quâ ipse condonat injuriam ab homine. ergo intra Sacramentum significant formam quâ Deus condonat injuriam peccatori.

Docet 2. hæc verba: *ego te absolvo*: defacto determinatè verificari per gratiam sanctificantem. (Et hoc ego suprà dixeram) Advertendum tamen, inquit, est, quòd non intendimus in hac conclusione, existentiam actualem gratiæ de præsenti requiri ad veritatem formæ, sed solùm quod requiratur saltèm conditionalis exitentia gratiæ de præsenti: scilicet, sub hac conditione: si non sit sufficiens dispositio. hoc advertendum est, quia hic auctor in favorem sententiæ admittentis posse dari hoc Sacramentum validum & informe, quam ipse sequitur. Nam in hac sententia non potest formæ significatum esse Gratia absolutè collata de præsenti, sic enim forma esset falsa: quare dicit ergo est significatum & verificativum formæ in casu quo Sacramentum est validum & informe. Hoc verificativum censet esse sufficienter allegatum à S. Thoma in verbis suprà à me relatis, quæ asserit, sensum formæ esse hunc: *Ego tibi Sacramentum absolutionis impendo.* juxta hanc explicationem forma, dum Sacramentum est validum, licet actu gratiam conferat, sive non, sive homo vere & in effectu absolvatur à peccato sive non, verum est Sacerdotem actu impendere & de præsenti ponere Sacramentum absolutionis.

373. Sed quia nemo est, cui non statim occurrat contra hanc S. Thomæ expositionem objectio vulgaris, nempe quòd hac ratione forma hujus Sacramenti reflectat supra seipsam, idque significet seipsam in actu signato, quod videtur inconveniens, quia haberet hunc nullum sensum: *Ego dico supra te hæc verba: Ego te absolvo.* huic inquam objectioni, rejectâ solutione Suarezij & Lugonis (vtpote qui non evitat reflexionem, cùm maximè velint) respondet hic auctor hoc modo. [Dicendum est, dari duplex objectum quod significatur hac formâ. Aliud quod significat absolutè de præsenti, aliud quod significat vel de præsenti, vel de futuro, sub hac conditione, & in vtroque sub conditione: *si non sit sufficiens dispositio.* Explicat singula. Primum objectum quod significatur de præsenti, & est verificativum copulæ de præsenti, est ipse absolutionis actus, sive, sententia pronuntiata in causa confessionis

torum peccatorum, sive actus Judicis ex legitima potestate sententiam absolutionis pronuntiantis.

Nullum autem est inconveniens, quòd verba significent seipsa secundùm aliquam rationem communem (quæ est doctrina receptissima à Logicis) nam hæc propositio vocalis: *omnis vox fit ex aëre repercusso*, significat seipsam secundùm quod continetur in ratione vocis articulatæ.

Sed vt ad rem nostram propiùs accedamus, Judices omnes humani in proferendis Sententijs vtuntur formulis reflexivis seipsas significantibus. v. g. *Declaramus Petrum innocentem, & à Jure impunibilem.* certè vox: *Declaramus*: significat seipsam, id enim quo formaliter judex declarat, est illa vox: *Declaramus*. Similiter est in vsu alia formula: *Addicimus Petro talem hæreditatem.* quæ formula cùm sit de præsenti, significat seipsam; nam ratio formalis, quâ Judices addicunt litiganti hæreditatem, est eadem vox: *Addicimus*. In testamentis idipsum apparet clariùs. Nam hæc formula: *Lego Petro hortum meum suburbanum*: reflectit supra seipsam, quia testator non per aliam rationem formalem legat, quàm per ipsam vocem: *Lego*. Sicut ergo in his formulis reflexivis nemo difficultatem habet, ità nec habere debet in Sententia Sacramentali, contenta verbis: *Absolvo te*.

Neque tamen ideo negatur, esse etiam immediatum objectum gratiam Sanctificantem, sed solùm negatur, quòd hæc significetur de præsenti absolutè vt existens, & non purè conditionaliter: negatur præterea, quòd Gratia requiratur præsens, vt forma verbalis absolutionis, quæ importat copulam de præsenti, verificetur. Quod vt planum fiat, interpretor verba absolutionis per hæc æquivalentia: *Ego tibi confero meam Sententiam absolutoriam à crimine, vi cujus, si habeas debitam dispositionem, tibi simul confero realem formam remissivam peccati, & vi cujus,* (id est Sententiæ) *si actu non habeas debitam dispositionem* (ad recipiendâ nunc gratiam) *actu tibi confero per meam Sententiam formam remissivam peccati pro tempore futuro, pro quo debita tibi accesserit dispositio.* Contra hanc interpretationem,

974. Dices 1. Quonam pacto verificatur ista vltima clausula: [vi cujus tibi actu & de præsenti confero formam remissivam peccati, sive gratiam Sanctificantem, pro tempore futuro quo accesserit dispositio?] videtur enim hæc clausula involuere contradictoria. Si enim Sacerdos actu confert Gratiam de præsenti, gratia actu confertur & est; quodsi actu non est, actu non confertur: & si actu non confertur, falsum est, Sacerdotem illam actu conferre. Denique est inintelligibilis conjunctio & continuatio illorum terminorum: *Confero de præsenti gratiam de futuro.*

Respondetur, Philosophos purè physicos naturales & reales solùm posse hanc difficultatem movere, quippe qui solùm cognoscunt collationem Gratiæ, quæ formalissimè sit ipsa realis productio Gratiæ & infusio illius in animam, & ideo nequeunt combinare hæc duo: Gratiam de præsenti conferri, & eandem tantùm existere de futuro, imò aliquando nec de præsenti, nec de futuro existere. (nempe in casu quo post Sacramentum validè susceptum, nunquam ponitur dispositio ad Sacramenti reviviscentiam.) At Philosophi Ethici, Politici, & Morales, cum quibus sentiunt Legistæ, Canonistæ, & Jurisprudentes, omnes probè sciunt, aliam esse collationem alicujus doni quæ est actio donantis domini, vel judicis adjudicantis, aliam esse possessionem ipsius doni, sive rationem formalem, quâ donum ipsum possidetur à donatario, posseque donationem, vt est actio donantis, vel Judicis adjudicantis, esse de præsenti, quamvis possessio ejusdem sit de futuro, imò quamvis nunquam futura sit.

Ad dubium ergo Respondetur in formâ. Si Sacerdos actu confert Gratiam, gratia actu confertur, distinguo. Gratia actu confertur eâdem collatione sive ejusdem generis & rationis, quâ Sacerdos actu confert, concedituar antecedens: diversâ collatione, ratione reali, cùm Sacerdos tantùm conferat judicialiter, negatur antecedens. Ad id quod subjungitur: si Sacerdos confert gratiam, gratia confertur, & est: neganda est illa secunda pars: *& est.* quia cùm Sacerdos conferat gratiam collatione adjudicativâ, quæ est actio propria Judicis, non est necessarium, quòd Gratia realiter sit, juxta superiùs dicta: bene tamen necessarium est, quòd Gratia actu sit, quando Sacerdos non solùm confert gratiam collatione adjudicativâ, sed etiam collatione conjungente sibi productionem physicam Gratiæ, quod fit, quando subjectum est sufficienter dispositum, non solùm pro valore, sed etiam pro fructu Sacramenti.

975. Dices 2. Quamdiu non infunditur Gratia, manet homo peccator: ergo non est absolutus à peccato. R. Distinguendo consequens: Non est absolutus judicialiter negatur: non est absolutus cum executione Sententiæ, conceditur conseq. sicut, si quis judicialiter absolvitur ab exilio, est quidem absolutus, sed si adhuc maneat diutius in exilio, non est absolutus ab exilio cum executione Sententiæ.

Dices 3. cum Suarez & Lugo. in nullo alio Sacramento verba formæ significant seipsa: ergo nec in hoc Sacramento. Transeat antecedens nego consequentiam; sicut ipsi adversarij negabunt istas: formæ aliorum Sacramentorum significant immediatè actionem Ministri tanquam materiam proximam: ergo etiam forma hujus Sacramenti. formæ aliorum non significant immediatè & formaliter justificationem susçipientis: ergo nec forma pœnitentiæ. & sic de alijs. Ratio est, quia quodvis Sacramentum habet aliquid speciale: v. g. solius Matrimonij possunt & debent duo esse Ministri: & sic de alijs. In pœnitentia speciale est, quòd sit Judicium, & contineat absolutionem Judicialem, de cujus natura est, esse reflexè sui significativam.

976. Hæc, vt dixi, in compendio referre placuit, ex illo Recentiore. tum in confirmationem dictorum, tum etiam, vt inde haberetur solu-

tio argumenti quo Recentiores solent probare, & (vt ipsi putant) demonstrare, Sacramentum hoc non posse esse validum & informe: nempe quia forma falsificaretur ex defectu verificativi, quia non conferret de præsenti absolutionem, seu effectum aliquem physicum, qualem putant debere semper conferri, nempe vel Gratiam, vel Characterem. Patet responsio ex dictis, negando hoc esse necessarium; & habetur instantia manifesta in Sacramento Matrimonij valido & informi: in quo aliud non producitur quàm actio Ministri, nempe consensus internus & externus: effectus autem moralis obligationis nihil aliud physicum superaddit, quàm Decretum Dei approbativum; hoc autem à Sacramento non producitur: & tale decretum etiam in Sacramento Pœnitentiæ adest, nempe sententia divina approbativa sententiæ Ministri, juxta promissionem Christi: *Quæcumque solveritis super terram erunt soluta & in Cœlis.* Itaque argumentum illud Recentiorum, quod acceperunt ex P. Esparza, non evincit intentum. An autem ex alio capite repugnet Sacramentum Pœnitentiæ validum & informe, dicetur infrà.

CONTROVERSIA II.

Virum possit conferri valida absolutio per solum verbum, Absolvo: *ac tandem per solum,* Etiam.

977. COmmunissima DD. Sententia est, ad minimùm requiri duas voces: *Absolvo te*: quæ positæ sunt in Florentino Concilio. Nihilominus Sotus *in 4. d. 22. q. 1. a. 1. §. postremum:* putat sufficere in aliquo casu verbum, *Absolvo.* consentit Henricus Henriquez *l. 1. c. 11. n. 1. litt. Marginali B. §. solum*: Hunc secutus nuperrimè est (nec alium scio) Recentior ille Hispanus, qui vi replicarum adactus tandem eò progressus est, vt fateretur (salvo tamen meliore judicio) fore validam absolutionem, si quis interrogatus à pœnitente: *absolvisne me à peccatis istis quæ enumeravi?* responderet: *Etiam.* Cardinalis de Lugo *d. 13. n. 25.* ait, certum esse quòd talis absolutio non valeret. Rationem à priori hujus certitudinis non invenio: auctoritate tamen permotus conabor respondere ad ea, quæ pro se quasi evidentia & innegabilia affert ille doctissimus Recentior, cujus Sententiam censurâ afficere non audeo, cùm Romæ sit tradita. illud solùm adverto, Recentiorem hunc in suis thesibus de Sacramento Pœnitentiæ hanc sententiam non ponere expressè; sed potiùs dicere: Formam hujus Sacramenti consistere essentialiter in his verbis: *Absolvo te à peccatis tuis.*

Rationes, quas pro sua sententia affert, ejusmodi sunt, quæ neminem hactenus latuerunt, sed nemo eas vrsit valde, quia omnes supposuerunt, auctoritati communi plus esse in hoc puncto tribuendum, quàm rationibus desumptis à paritate actionum humanarum. Videamus illas.

978. Probat ergo assertionem 1. Verbum *absolvo*: prolatum in illis circumstantijs [ut nempe post enumerata peccata per modum confessionis] significat absolutionem à peccatis hujus autem rei præsentis & accusati apud Judicem ex institutione & vsu hominum: ergo est sufficiens forma. consequentia patet ex dictis (inquit) & antecedens probat sufficienter ipse quotidianus conspectus hominum, & vsus frequentissimus in collocutione humana; non enim aliam significationem pro forma absolutionis expetivit Christus Dominus, quàm quæ oritur, vel consistit in vsu hominum: si quis petat à Petro librum: Petrus respondente *dono*: certè nullus est, qui non dicat, Verbum *Dono* in illis circumstantijs evidenter significâsse omnibus audientibus donationem libri, & non alterius rei factam petenti & non alteri. quodsi petijsset donari sibi debitum mille aureorum, eodem verbo: *Dono*: prolato, omnes audientes jurati deponere possent, Petrum absolvisse suum debitorem à debito mille aurorum. Certè in hac re Grammatici potiùs consulendi essent, quàm Theologi.] ità ille.

Respondeo concesso antecedente nego consequentiam; & nego eam ab hoc authore vnquam probatam esse. Probaverat quidem (quod nemo negaverat) à Christo Domino assumpta esse verba secundùm significationem quam habent in hominum institutione: sed nunquam probavit, quòd Christus assumpserit verba vocalia cum circumstantijs non vocalibus, per quas in vsu & familiari conversatione hominum significatio vocum incompleta solet compleri: hoc enim nunquam probatum est, aut ab vllo probari potest, quia nemo negaverit, potuisse Christum assumere pro forma pura verba vocalia, significantia completè absque admixtione circumstantiarum, prout fecit in alijs Sacramentis (excepto matrimonio): si Christus hoc facere potuit, extrinsecus quæstio facti, an defacto fecerit. Hæc quæstio non est resolvenda ex vsu hominum, aut ab instituentibus, sed ex traditione, quæ per auctoritatem & consensum doctorum innotescit, quorum nullus non improbaret absolutionem factam per vocem: *Etiam.* Quodsi de hoc Sacramenti Judicio dicere licet quod in Judicijs humanis fieri solet, quidni ergo poterit Sacerdos mutus absolvere per solos nutus, sicut potest homo mutus dimittere debitum solo nutu? quidni poterit absolvi absens, potens absolutionem per procuratorem, vt fit in Judicijs humanis? quidni poterit absolvi qui nunquam mutus fuit? quidni poterit absolvi post mortem? ut fuit? quidni poterit absolvi post mortem? ut quid in his & similibus recurrendum est ad Christi quid in his & similibus recurrendum est ad Christi institutionem specialem, quâ voluit huic Judici aliquid inesse speciale? Deinde cur non voluit Baptismus per solum verbum *Etiam*: si quis rogaret, vt affunderem aquam & baptizarem solum in Nomine Patris & Filij, & Spiritûs S.; nunquid Joannis baptismus collatus petenti, etiam ne vocibus valuisset; nunquid servo rogan-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

numissionem satisfieret, si dominus responderet: *omnino*

979. Probat assertionem 2. Ideo in communi Sententia non requiruntur essentialiter verba, *à peccatis tuis*, sed sufficiunt *absolvo te*: quia ex circumstantijs constat, esse absolutionem à peccatis. ergo etiam communis sententia debet fateri, significationem formæ compleri per circumstantias: nam verba *Absolvo te*, sunt indifferentia ad significandam absolutionem vel à peccatis vel à censuris, &c. Hoc argumentum speciosius est priore, & pridem me aliósque vexavit. Nihilominus dupliciter responderi potest. 1. ex hoc plus non probari, (si quid probatur) quàm quòd Christus illas circumstantias assumpserit pro complemento formæ, quas ex communi auctoritate, fundatâ in verbis Conciliorum, colligimus sufficere cum verbis, *absolvo te*, vt determinatè significent absolutionem à peccatis. De exprimenda autem persona, & ejus præsentia, habemus auctoritatem cogentem, fundatam in traditione perpetua. R. Tamen 2. Negando quòd circumstantiæ compleant significationem, determinando illam ad absolutionem à peccatis. Aliud est, significationem esse completam ad significandum objectum A. determinatè: aliud, quòd absque externis circumstantijs constet de quo objecto sit sermo. Nam sensus verborum æquivocorum est perfectus, & tamen determinatio ad vnum sensum provenit ab intentione loquentis. v. g. vox Petrus est æquivoca ad plures Petros. & tamen completè significat Petrum A. ex intentione loquentis, licet non nisi ex circumstantijs possit alijs innotescere hæc intentio & determinatio. DICO ergo: verbum *Absolvo* esse æquivocum, & non vnivocum ad absolutiones diversi generis & ordinis, habere tamen sensum perfectum, sed determinandum ad vnam materiam præ alia ex intentione Ministri. Respectu personarum verò absentium & præsentium non est æquivoca, sed vnivoca, sicut est *Homo*. Quare vt significet completè personam præsentem, debet præsentia exprimi, quod non fit sine particula demonstrativa, *Te*: vel æquivalente.

Quòd autem vox: *Absolvo*: sit æquivoca ad absolutionem à vinculo peccati, & à vinculo excommunicationis, declaro dupliciter. primò sic. quando vox respectu plurium est univoca, tunc synonimorum est eadem significatio: v. g. vox *gladius* omnibus illis potest applicari, quibus vox *Ensis*, quæ est synonima. quando autem vox est æquivoca, tunc synonimum vnius significationis non potest applicari alteri. sic vox *canis* respectu canis terrestris est synonima cum animali latrabili, quæ definitio non convenit syderi quod etiam dicitur canis. Item vox Petrus respectu Petri A. est synonima cum hoc: *Filius primogenitus Consulis A.* hoc non convenit alijs qui vocantur *Petrus*. Iam ad propositum nostrum: vox *absolvo*, quæ primitùs est imposita absolutioni à vinculis corporeis, habet æquivocum sensum respectu absolutionis à peccatis: nam hæc absolutio est synonima cum voce: *Condono: Ignosco*. hæ autem voces non conveniunt absolutioni à vinculo corporeo. Item est æquivoca respectu absolutionis à Censuris: nam hæc absolutio non est ex se & essentialiter condonatio (quando enim reus est emendatus, debetur) sed est restitutio, & æquivalet huic: *Restituo te Ecclesiæ &c.*

Declaro 2. per exempla simillima. 1. vox *Transmitto* est æquivoca ad Transmissionem rei corporalis, v. g. litterarum, & ad Transmissionem quæ fit in disputationibus, quando transmittuntur propositiones, & ad transmissionem quâ quis dissimulat, & non revocat ad animum injuriam ab alio illatam: ratio est, quia in primo sensu est synonima cum hac: *mitto de loco in locum*: qui sensus reliquis non convenit. in secundo sensu idem est ac: *accepto tanquam si esset vera*. qui sensus etiam reliquis non convenit.

Secundum exemplum sit in voce, *Retorqueo*, quæ quatenus dicitur de retorsione corporea, habet vtique alium sensum, quàm quando dicitur de retorsione argumenti, quod idem est ac, ostendo argumentum etiam tibi solvendum. Et iterum alium sensum habet, quando dicitur de Retorsione Iudiciali Injuriæ, cujus sensus est:

volo vt tu habearis pro tali qualem me dicis, donec probes &c.

CAPVT VII.

DE DOLORE ET PROPOSITO REQVISITO AD SACRAMENTVM POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

Vtrum Contritio ex solo metu Pœnæ & desiderio Beatitudinis sit honesta.

980. DIcendum est cum Catholicis omnibus contra Hæreticos, esse honestam. Probatur 1. ex S. Scriptura, ex qua argumentatur Tridentinum. Ninivitæ ad prædicationem Jonæ plenam terroribus ex timore subversionis pœnitentiam egerunt, & misericordiam sunt consecuti: quamvis per illum actum non fuerint justificati, nisi accesserit Contritio, quæ probabiliter creditur accessisse, quia Christus Matth. 12. & Lucæ 1. laudat eorum pœnitentiam. Hinc Tridentinum definit, talem motum esse etiam impulsum Spiritûs Sancti, & donum Dei, viamque ad Iustificationem parare, & disponere, vt accedente Sacramento homo justificetur.

Ratio à priori est manifesta. Nam Deus in hunc finem minatur pœnas, easque infligit, vt alij absterreantur: ergo placet illi, pœnis abstreri: ergo est honestum. Eadem ratio & quidem à fortiori procedit de motivo præmij; nam & hoc in hunc finem proponitur, & est nobilius motivo pœnarum, sicut nobilior est Mercenarius quàm servus, quorum ille movetur mercede, iste verò metu pœnarum, vt ex Cassiano advertit Pallavicinus. *Legendus canon 5. Trid. sess. 14.*

Contra hanc veritatem sunt tres molestæ objectiones, quas non omnes vno modo dissolvunt.

981. Objicitur 1. Actus talis attritionis amat & eligit negationem peccati ad vitandam pœnam, vel acquirendam gloriam æternam: ergo magis amat carentiam inferni & gloriam quàm negationem peccati, juxta vulgare: Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Iam sic. qui vnum magis amat altero, habet affectum conditionatum: si possem habere carentiam pœnæ v. g. & gloriam sine carentia peccati, non curarem carentiam peccati, quod perinde est ac dicere: ego peccarem, si non esset infernus. qui actus est vtique inhonestus, & ità sensisse videntur Almainus & Adrianus.

Confirmatur difficultas. Qui dicit: si alterutrum mihi subeundum esset vel peccatum, vel infernus, mallem peccare, quàm adire infernum: talis vtique peccaret: atqui hoc videtur dicere, qui infernum appretiativè magis odit quàm peccatum (prout tacit attritio de qua loquimur) licet dicere in Logica, quòd assentiendo conclusioni propter præmissas, simus ità comparati, vt si alterutrum esset dissentiendum, potiùs dissentiremus conclusioni quàm præmissis. Ergo, &c.

R. In forma, concedendo primam consequentiam, nego subsumptum. Hoc solum legitimè infertur: ergo ex modo tendentialis actus non potest colligi aut argui, quòd homo fugeret peccatum, si infernus non esset. non autem colligitur: ergo peccaret: multò minùs colligitur ergo habet defacto affectum conditionatum peccandi, si infernus non esset. Quia posset tunc homo attendere ad alia motiva absterrentia, ad quæ defacto non attendit, sed præscindit, quæ sufficit illi motivum inferni fugiendi. Sic cum Mater puero pomum ostendit, vt accedat, movetur quidem puer à pomo, nec cognat de alia causa adeundi Matrem: nec tamen inde sequitur, quòd si Mater vocaret sine pomo, non accederet, tunc enim fortè circumspiceret, an sint alia motiva accedendi; certè circumspicere posset & ab illis moveri: ergo ex priore motivo pomi non infertur nolitio talis accessûs pro casu quo non daretur pomum. Tunc ergo solùm valet illa finitio, quando id quod adhibetur vt medium ad aliud, habet in se præcisè rationem medij ad talem finem, & nullam aliam amabilitatem, nec enim verum est, quòd illud nollet, si non conduceret ad aliud.

Ad Confirmationem nego minorem, & veritatem cum exemplo ibi allato. Nam tunc solùm arguitur rectè ità constitutus, vt si alterum esset dissentiendum, dissentiret objecto conclusionis potiùs quàm præmissarum, quando nulla apparet alia ratio assentiendi conclusioni, quàm præcisè objectum præmissarum: eodem modo, si in evitatione peccati nulla reperiretur eligibilitas, nisi præcisè ad evitandum infernum, eligeret potiùs peccatum quàm infernus; sed hæc hypothesis est inepta: quia pœna ideo intenatur, vt abhorreat

absterreat à peccato, & sic qui concipit pœnam vt pœnam, concipit peccatum vt aliunde malum, & quidem vt majus malum quàm sit malum pœnæ: ergo jam apparet vt odibile ex alio capite, quàm præcisè ob metum pœnæ.

Replicabis. Inhonestus est ille actus, qui magis odit, quod est minùs odibile: atqui attritio magis odit infernum quàm peccatum, cùm tamen sit minùs odibilis, vtpote minùs malus, vt suprà dictum. R. Distinguo majorem. qui magis odit præcisè, quatenus id quod est magis odibile, hìc & nunc odit & fugit ad declinandum alterum minùs malum, nego majorem: qui magis odit practicè, hoc est, qui eligit magis odibile ad evitandum minùs odibile, concedo majorem. & eodem modo distinctâ minore negatur consequentia. Itaque Attritio non eligit peccatum ad fugiendum infernum, & hoc modo non odit minùs peccatum quàm infernum, sed fugit hìc & nunc peccatum, vt fugiat infernum. Et hoc non est inhonestum, quia non est electio mali, sed fuga vtriusque mali.

982. Objicitur 2. Ille actus non est honestus ex objecto, cujus motivum non est efficax ad excludendam voluntatem peccandi, hoc est, cujus motivum potest quis efficaciter odisse, & tamen velle peccare: sed talis est attritio. Ergo, &c. Major & Minor declaratur. Quando malum aliquod efficaciter odimus, quod possumus duobus modis evitare, tunc vi odij non determinamur ad vnum certum modum, sed disjunctivè ad alterutrum tantùm, vt patet. atqui infernum possumus duobus modis devitare, vel non peccando, vel post peccatum pœnitentiam agendo: ergo ex metu inferni non determinamur ad non peccandum, sed ad vel non peccandum, vel agendam pœnitentiam: quare potest quis stante metu inferni velle peccare, & postmodum velle agere pœnitentiam.

Respondent aliqui, me ideo determinari ad non peccandum, quia hoc solum medium est absolutè in mea potestate, non item est in mea potestate agere pœnitentiam. Sed contra hos bene argumentatur Cardin. Pallavic. Si ex hoc capite determinarer ad non peccadum, sequeretur, quòd etiam ex metu gehennæ determinarer ad statim agendam pœnitentiam commisso peccato, quia vel vnico instanti neglecto, non est amplius in mea potestate postmodum pœnitere. atqui hoc est contra evidentem experientiam.

Aliter ergo respondendum est, & fatendum, quòd metus inferni non absterreat à peccato omni possibili efficaciâ. Ratio reddi potest à posteriori, & à priori. à posteriori quidem. quia, vt jam dictum, non absterret à continuatione habituali peccati, quia non determinat ad statim pœnitendum. Ratio autem à priori est, quia infernus non movet ad actum, quo dicam: Nolo peccare, quia infallibiliter sum venturus ad infernum: esset enim actus procedens ex falsa cognitione. Itaque motivum attritionis est Incertitudo declinandi inferni post commissum peccatum, seu periculum non agendi forte salutarem pœnitentiam, & sic adeundi infernum: hoc autem periculum & incertitudo, inducitur per peccatum mortale, sed non per continuationem habitualis peccati per se loquendo: quia aliqua dilatio pœnitentiæ non auget hoc periculum, nec facit, vt sit valde æstimabiliter probabilius, me moriturum sine pœnitentia, quàm si statim conarer agere pœnitentiam: certè in ordine ad hoc augmentum periculi impediendum, paucos movet metus inferni per se loquendo, licèt moveat ad non contrahendum de novo reatum, & ad retractandum peccatum actu saltèm non justificativo. & hinc apparet, quo sensu metus inferni, & amor beatitudinis, possit excludere affectum peccandi, tametsi non determinet, ad affectum destruendi statìm peccatum habituale, quando scilicet dilatio pœnitentia est licita, ad eóque non auget reatum.

983. Objicitur 3. Si posset dari attritio ex metu gehennæ, tunc metus gehennæ deberet esse motivum vniversale potens absterrere ab omni peccato mortali; atqui est excogitabile peccatum mortale, à quo non potest abiterrere metus inferni. Ergo, &c. Minor probatur. Ponamus enim quòd Deus alicui revelet suam prædestinationem, adeóque quòd omnia peccata ipsi sint condonanda: ponamus item talem postea dependenter à cognitione hujus revelationis peccare, dicendo: *peccabo, quia de fide certus sum me non damnandum.* de tali peccato non posset homo dolere ex metu inferni: quia repræsentaretur illi, vt essentialiter pendens à cognitione vera de me non damnando. Hanc objectionem reperi apud Pallavicinum hìc n. 133. ex cujus solutione apparebit, eandem huic auctori mentem & sensum esse, qui mihi fuit, cùm superiùs impugnarem peccatum irremissibile, dependens à revelatione de nullo peccato remittendo. ibi inter alia absurda inculeram, quòd ex illo philosophandi modo posset dari peccatum impunibile, nempe quod penderet essentialiter à revelatione de nullo peccato puniendo. Postmodum, vt dixi, deprehendi, quòd ex simili fundamento solvat Card. Pallavicinus præsentem objectionem, his verbis. [Quodsi alicui esset revelata ejus prædestinatio, negamus hunc in posteriori signo ad ejusmodi revelationem posse peccare mortaliter. nam hoc peccatum tanquam reflectens supra illam cognitionem, atque ità tanquam illam essentialiter supponens, esset essentialiter impunibile pœnâ æternâ, & inhabile ad impediendam æternam amicitiam, & vnionem peccatoris cum Deo, adeóque nec haberet essentiam peccati mortalis, neque esset detestabile ex metu gehennæ, aut desiderio beatitudinis.] Hæc ille. ex quibus vides, hunc auctorem supponere, quòd revelatio prædestinationis tantùm se extendere posset ad peccata non pendentia ab illa, & quòd sit impossibile peccatum essentialiter pendens ab illa, sicut nos diximus, esse impossibile peccatum essentialiter pendens à revelatione

latione de nullo peccato dimittendo, quia sicut in priori mutaretur essentia peccati, quia redderetur impunibile intrinsecè, ità in posteriore mutaretur eadem essentia, quia redderetur intrinsecè irremissibile.

Replicabis. In casu posito revelatæ prædestinationis, posset quis discredere revelationi; quòd peccatum esset essentialiter pendens à tali revelatione: ergo esset essentialiter impunibile pœnâ æternâ. R. Vel loquimur de revelatione passiva, quæ sit essentialiter locutio Dei, vel de alia quæ sit contingenter divina. si hæc posterior ponatur, cessat difficultas, quia peccatum non penderet essentialiter à decreto Prædestinativo: si verò ponatur revelatio essentialiter divina, tunc dicendum est, vel fore talem, quæ faceret evidentiam in attestante, vel, si esset obscura, deberet proponi tali cognitione & apprehensione, vt non fundaret sufficientem libertatem ad peccatum mortale, sed tantùm sufficientem ad veniale.

984. Objicies 4. Si ex vi timoris & odij pœnæ determinatur homo ad vitandum peccatum, quia vitare peccatum est medium ad fugiendam pœnam: ergo si committere peccatum esset similiter medium ad fugiendam pœnam, ex vi ejusdem timoris pœnæ, similiter determinaretur voluntas ad illud committendum: ergo pœna seu metus pœnæ non est in omni casu motivum aptum ad absterrendum à peccato. Ad hanc objectionem jam suprà responsum est, cùm disputaretur de casu quo quis vel deberet peccare, vel eligere infernum. Refero nunc aliam responsionem, quam adhibet sæpè adductus Recentior. Negat ergo primam consequentiam. Ratio est, quia potest determinari ex timore pœnarum ad fugiendum peccatum, supposito quòd vitare peccatum non sit malum rationis, seu inhonestum: vnde ex timore eodem pœnæ, non determinaretur ad peccandum etiam quando peccatum esset medium vitandi pœnam, & licèt esset medium vnicum: quia in peccato apparet intrinseca turpitudo. & quamvis hæc intrinseca turpitudo relucens in peccato, non esset motivum ad vitandum peccatum, esset tamen conditio retrahens. Exemplum. amat quis sanitatem, & ex hoc fine amato determinatur ad consulendum Medicum: dicésne propterea, quòd eodem fine amato consuleret Medicum, si hæc consultatio esset peccatum mortale, quia eodem modo esset medium ad finem, hoc est sanitatem acquirendam? minimè, dices, quia quamvis honestas quæ est in ejusmodi consultatione, non sit motivum ad consulendum, est tamen conditio tollens id (nempe peccatum) quod retraheret voluntatem ab electione medij. Idem dico in præsenti: ex vi timoris illius, quo homo fugit pœnam, non determinatur ad eligendum peccatum mortale, casu quo esset medium ad vitandam pœnam, quia in turpitudine peccati relucet aliquid retrahens voluntatem à positione illiusmedij.] Hæc ille, & est doctrina verissima. Illud tamen esset vlteriùs declarandum, quid agendum esset homini, cui peccatum appareret vnicum medium ad vitandum infernum. Cum enim non posset eligere peccatum, vt jam ostensum est, an propterea esset necessitatus ad eligendum infernum? ad hoc nos suprà respondimus.

CONTROVERSIA II.

Vtrum ad hoc Sacramentum sufficiat Attritio ex solo motivo creato, sine motivo Charitatis.

985. PRima Sententia est, requiri actum perfectæ Charitatis. Tribuitur Magistro Sententi. Bonaventuræ, Gabrieli, Majori, Marsilio, Hugoni & Richardo de S. Victore, Medinæ, & nonnullis doctis viris etiam post Tridentinum.

Secunda Sententia est, non requiri quidem actum perfectæ Charitatis, hoc est, justificantem etiam sine Sacramento re suscepto, requiri tamen actum dilectionis Dei minùs perfectum, quilem habeat etiam pro fine *Cui*. tametsi simul moveatur à metu pœnæ vel turpitudine peccati; imò que motivum charitatis respectu talis actûs, esse tantùm motivum partiale & inædæquatum, quod hîc & nunc in absentia alterius motivi non moveret. Hanc Sententiam docuit Franciscus Sylvius apud Card. de Lugo *d. 5. s. 9.* qui dicit eam esse contra omnes Theologos, & contra Tridentinum. Nihilominus hanc Sententiam amplexus est Eminentissimus Card. Pallavicinus hic cap. 2. *n.* 140. vbi eam mordicus defendit, inquiens, oppositam Sententiam (communem aliorum) impugnare tum Scripturæ, tum Patribus, tum D. Thomæ, tum Concilio Tridentino, tum ratione. Verùm hac suâ tam liberali censurâ, hactenus adhuc non obtinuit (quod scio) quàm vt eandem censuram in eundem retorquerent duo RR. P. Esparza, & Hispanus alius, ex eadem vterque Cathedra theologica. Citat Pallavicinus pro sua Sententia ex Scholasticis Henriquez & Valentiam, vel illi duo Recentiores eosdem illi eripiunt, obtendentes aliam esse eorum mentem, & reste, nam vterque contrariam & communem Sententiam tenet, vt totum contextum legenti patebit. Videatur P. Valentia *disp. 7. q. 8. puncto 4. §. animadvertendum autem est. & seqq. punctis ijs quæ habet q. 1. puncto 3.*

986. DICO, ad Sacramentum Pœnitentiæ sufficere attritionem, cujus ne quidem partiale motivum sit motivum charitatis, adeòque sufficere dolore ex metu inferni, vel amore præmij, advertendo ad honestatem objectivam talis motivi. Non requiri Contritionem perfectam & justificativam, adeo certum videtur post Tridentinum, vt P. Esparza indubitanter dicat esse de fide. adeo certam judicant, vt inde inferant contra Thomam Sanchez, Suarez & alios, nequidem in ar-

articulo mortis obligari aliquem ex Charitate erga seipsum ad eliciendam contritionem, quando potest recipere Sacramentum Pœnitentiæ, sed sufficere attritionem cognitam.

Probatur autem imprimis ex Tridentino *sess.* 14. c. 4. jam sæpè citato, vbi distinguens Attritionem à Contritione, ait, quòd quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere nequeat, tamen in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam percipiendam disponat. Ratio autem est, quia alioquin Sacramentum Pœnitentiæ nunquam justificaret, sed semper inveniret hominem jam justificatum per Contritionem.

Probatur jam Conclusio contra secundam sententiam 1. & meo judicio efficaciter ex Tridentino loco cit. vbi postquam dixisset, Contritionem perfectam extra Sacramentum justificare, deinde accedens ad declarandam Contritionem imperfectam, ejúsque motivum, prout sufficientem ad justificandum cum Sacramento, sic loquitur. [Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpiditudinis peccati consideratione, vel ex Gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ, declarat (Sacra Synodus) esse donum Dei & Spiritûs Sancti impulsum &c. Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ &c. tamen eum ad Dei Gratiam in Sacramento pœnitentiæ impetrandam disponit.] Ecce! aliud motivum non requirit, quàm vel turpidinem peccati, vel metum pœnæ &c. nullum verbulum habet de motivo dilectionis Dei tanquam finis *CVI.* quod tamen tacendum non erat, sed exprimendum, si requireretur, alioquin totam ferè Ecclesiam graviter decepisset.

Respondet Pallav. n. 147. Concilium loqui non eam de ipso actu attritionis formali, quàm de primo motivo, per quod incipimus disponi ad attritionem, in qua tamen aliud perfectius motivum includatur: & hoc putat colligi ex eo, quòd Concilium afferat exemplum Ninivitarum, qui non nisi per Charitatis affectum justificationem consequi potuerunt.

Sed contra hanc responsionem pugnant luculenter verba quæ mox subjicit Tridentinum, nec ea debuisset adversarius dissimulare. [Quamobrem, inquit, fallò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu susceptientium Gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, nec sensit.] Ecce! quàm clarè dicat, se locutum esse de attritione, prout sufficit ad Sacramentum. Dicat nobis Pallavicinus, qui fuerint illi Catholici Scriptores, quos redarguebant Hæretici, quasi vellent, Sacramentum justificare sine bono motu? & quos hic defendit Tridentinum? proculdubio non illi quos retuli pro prima sententia, docentes, requiri motivum dilectionis, hos enim nec hæretici carpserant, nec Tridentinum de hoc motivo verbulum dixerat. Nempe illi Scriptores, qui dixerunt, sufficere metum inferni.

Exemplum Ninivitarum potiùs nocet Pallavicino quàm patrocinetur. Si enim Concilium requireret ad Sacramentum Pœnitentiæ talem actum, quo justificati sunt Ninivitæ, requireretur perfecta Contritio, quod est contra ipsum adversarium. Ninivitæ ergo adducuntur ad ostendendum, dolorem ex metu pœnæ conceptum esse laudabilem, & illos fuisse misericordiam consecutos, impediendo & avertendo pœnam eversionis: an autem fuerint justificati per contritionem perfectam subsecutam, nihil definit Concilium.

Vlteriùs, quòd Tridentinum in cap. 4. agat de attritione, non prout est quædam dispositio remota, vt interpretatur adversarius, sed quæ sit pars Sacramenti, est luce clarius, inspiciendo totum contextum & processum Tridentini. Nam cap. tertio, cujus titulus est: *De Partibus & fructu hujus Sacramenti*: docet Materiam esse pœnitentis actus, Contritionem, Confessionem, Satisfactionem. Deinde aggreditur declarare singulas partes, seu actus pœnitentis, & capite 4. explicat Contritionem dicendo: *Contritio quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet.* Ergo in hoc capite loquitur Concilium non de attritione aliqua remotè dispositiva, sed de ea, quæ vnà cum cæteris partibus Sacramenti justificat. Dividit enim illud caput in duas partes, quarum prima agit de Contritione in genere, vsque ad illa verba: *Docet præterea.* Inde incipit secunda pars capitis, & declarantur membra dividentia illud genus Contritionis: ac primò explicat Contritionem perfectam, deinde imperfectam seu Attritionem. Ergo cùm Tridentinum initio capitis dixerit, Contritionem in genere esse partem hujus Sacramenti, sequitur evidenter, species illius postea explicatas, esse ex mente Tridentini partes ejusdem, & singulas quidem sufficientes.

Neque adversarium quidquam juvat, quòd Concilium vtatur verbo *Disponit.* hoc enim esse intelligendum de dispositione proxima & per modum partis, patet manifestè legenti contextum. Nam tribuit illi vim disponendi ad gratiam cum Sacramento talem, qualem illi negat extra Sacramentum: atqui extra Sacramentum habet vim disponendi remotam: ergo tribuit illi vim disponendi proximè, quæ est per modum partis.

987. Probatur Conclusio 2. ad hominem. Si ad Sacramentum requireretur actus conceptus ex motivo Charitatis, talis actus esset justificativus etiam extra Sacramentum: atqui Adversarius fatetur, sufficere ad Sacramentum imperfectiorem actum, qui extra Sacramentum non sit justificativus: ergo doctrina adversarij sibi non cohæret. Sequela probatur. Nam omnis Contritio charitate perfecta, extra Sacramentum justificat, vt definit Tridentinum loquens de tali actu indefinitè, & nullo facto discrimine, an præter motivum Charitatis habeat adjunctum aliud motivum inferius necne. atqui omnis actus habens motivum charitatis, est actus charitate perfectus: ergo &c.

Sed

Sed neque ex S. Scriptura potest colligi aliquod discrimen, vbene notavit P. Esparza: Quando enim dicitur: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: plus non requiritur, quàm conversio ad Deum tanquam finem *CVI.* hoc autem præstat actus quem requirit Pallavicinus, non enim vult sufficere quemcunque imperfectum amorem Dei. Quod vt omnibus constet, necessarium est ejus propria verba referre, quibus n. 148. declarat, in quonam perfecta & justificativa Contritio distinguatur ab Attritione ad Sacramentum requisita, tametsi vtraque sit ex motivo Charitatis. sic loquitur. [Distinguimus, inquit, illas hoc pacto. Duobus modis potest quis velle amicitiam Dei efficaciter. primò appretiando Deum secundùm ipsum affectivè supra omnia alia bona possibilia: secundò, appretiando quidem valde ipsum Deum secundùm ipsum; & ex alia parte parvi appretiando omnia alia bona Deo opposita, quatenus hæc omnia habent adjunctam magnam malitiam, eò quòd inferant jacturâ beatitudinis æternæ, & cruciatus æternos, ità vt ex his omnibus simul cõsideratis præferat amicitiã Dei omnibus bonis oppõsitis. Ille primo amor est valde perfectior: totus enim refunditur in magnitudinem bonitatis divinæ, quæ tanta est, vt quantacúnque esset bonitas opposita, mereretur illa huic præferri propter suam infinitatem, & ex isto amore sequitur Contritio, quæ dicitur perfectus dolor &c.] Deinde declarat attritionem quam ille ad Sacramentum requirit & dicit, quòd etiam sit amor Dei efficax, quia disponit voluntatem ad semper volendam efficaciter amicitiam Dei, quia peccatum semper affert malum pœnæ, & privationem beatitudinis. [Non est tamen, inquit, hîc amor Dei super omnia; possumus enim cum hoc amore conjungere majorem amorem alicujus objecti disparati: sed hic excessus amoris non est offensivus Dei, quia semper sumus parati ad relinquendum illud bonum, si Deo displicuerit.] & paulò post. [Sicut quis dicitur velle efficaciter emere gemmam, si velit dare totum id quod videt necessarium pro emptione gemmæ, licèt non amet gemmam super omnia alia bona, ità quis dicitur velle efficaciter amicitiam Dei, & abstinentiam à peccato, etiamsi non amet hæc bona secundùm ipsa super omnia, dummodo ità amet, vt præferat omnibus, quæ sunt, vel possunt esse necessaria ad illorum acquisitionem] Hæc ille. Quibus quidem declarat, dari posse vnum Dei amorem altero perfectiorem etiam quoad extensionem (quod nemo negat) sed non probat, hunc posteriorem non sufficere ad Iustificationem: si enim ad justificationem extra Sacramentum non sufficit amor Dei præferens Deum vt finem CVI omnibus oppositis solventibus illius amicitiam, sequitur, ad Contritionem justificativam extra Sacramentum requiri, vt ex suo tendendi modo excludat affectum ad omne peccatum veniale, quod est contra omnes theologos. Neque credibile est, in antiqua lege neminem justificari potuisse sine tanta contritionis perfectione.

988. Probatur Conclusio 3. Ex doctrina adversarij redditur aut difficilis, aut valde incertus valor confessionum, quæ communiter fiunt bonâ fide: hoc autem non est conforme providentiæ Redemptoris nostri, ad quam spectat, vt pharmaca ab eo instituta pro reparatione malæ naturæ, prosint communiter illis, à quibus bonâ fide vsurpantur, ne vllus qui damnatur possit contendere probabilem ignorantiam, ratione cujus non adhibuerit media necessaria ad animæ sanitatem.

Respondet adversarius negando sequelam. [Quis enim, inquit, qui seriò concipiens Deum summum bonum, & summè nobis benignum, ad eúmque confugiens tanquam ad Justitiæ & misericordiæ fontem, & paratum reconciliare illi suos inimicos, eósque in filios adoptare, non extemplo ad aliquem amorem illius, ac proinde ad aliquam displicentiam quòd tantam bonitatem offenderit?

Sed contra. Concedo ex tali conceptu Dei prævio, resultare aliquem affectum amoris Dei, displicentiam aliquam peccati: sed hoc posito, talis affectus in omnibus resultet ad illam quam cognitionem, evidenter sequitur, talem affectum non esse affectum liberum, sed necessarium: alioquin si est affectus liber, & quidem valde magni pretium illius doloris concepti ex metu gehennæ, vnde quæso tam fidenter supponit adversarius, eum in omnibus resultare? Ex eo quòd omnes soleamus oculos festinantissimè claudere, si quis aut musca involet in oculos, quis est qui non inferat illam occlusionem non esse motum liberum? ex eo quòd ad alterius injuriam experiamur omnes motum primò primum ad vindictam, quis est, qui non inferat esse motum necessarium & inimpedibilem? Pari modo quando Deus bonus apprehenditur sine vllo malo admixto, item quando in peccato apprehenditur formaliter ut offensa divinæ, sequitur necessario, & aliquis amor Dei, & aliqua displicentia peccati, sed talis qui est necessarius, & potest consistere cum actuali voluntate peccandi. De hac displicentia, & de hoc amore non est controversia, quia nemo illam negat.

Solvuntur objectiones.

989. OBjicit Pallavicinus 1. Textus Scripturæ, quos ait esse valde manifestos, ex 1. Joan. *Qui non diligit, manet in morte.* & ex 1. Corinth. 13. *Sine Charitate nihil sum.* R. ad 1. locum, primo etiamsi daremus ibi esse Sermonem de actu dilectionis erga Deum, fore intelligendum de actu dilectionis perfecto & justificativo, (& sic æque est explicandus adversario) & ab illa regula esse casum exceptum, quo quis vtitur privilegio Sacramenti pœnitentiæ, prout supra ex P. Valentia notavi.

Dicitur

Deinde accipitur ille locus etiam de Charitate præscindendo ab actu & habitu, alioquin infantes baptizati ante vsum rationis, manerent in morte. R. 2. ibi sermonem esse de dilectione proximi, quando graviter obligamur ad opera Charitatis. R. ad 2. locum, sensum esse, quòd quæ adhibemus ad obtinendam gratiam (quæ in Scriptura sæpè nomine Charitatis venit) si reipsa Gratia non obtineatur, nihil sint. Quòd si quis velit illum locum de actu Charitatis accipere, intelligendus est S. Paulus, sicut in responsione 1. S. Joannem interpretati sumus.

Objicit 2. Varia loca S. Augustini, ad quæ vno verbo responderi potest, S. Patrem loqui de amore perfecto, vel de inchoato (prout in omni virtuoso actu inchoatur) accedente Sacramento, quod ex speciali privilegio æquivalet amori perfecto.

Objicit 3. Auctoritatem S. Thomæ variis in locis, & per longos discursus conatur in suam Sententiam trahere. R. Breviter omnia adducta ideo nihil probare, quia probarent, confessionem non valere, nisi sit facta in statu Gratiæ, quod nec adversarius admittere potest. Vnde suspicatur Recentior Hispanus, omnia illa testimonia quæsita fuisse desiderio inveniendi præconceptam opinionem. P. Esparza ait, clarum esse legenti totum textum benè longum, S. Thomam aliter sentire quàm velit Adversarius. Alij addunt, non satis constare de sensu S. Thomæ; & cùm scripserit ante Tridentinum, mentem Tridentini potiùs attendendam esse. Ego addo, textus omnes allatos esse ex Commentarijs in 4. Sentent. nempe *dist.* 17. *q.* 3. *a.* 4. *q.* 1. & *dist.* 14. *q.* 1. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 4. nullum verò ex Summa.

990. Objicit 4. Auctoritatem Tridentini, quod conatur adversarius in suam Sententiam detorquere. Itaque Ttidentinum sess. 6. c. 6. describens præparationem hominis nondum baptizati, (& eadem est ratio de illo qui vult justificari per Sacramentum pœnitentiæ) ad justificationem docet, nondum baptizatos ad justificationem disponi, *dum Deum tanquam omnis Justitiæ fontem NB. diligere incipiunt.* & statim subjungit: *ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod, & detestationem, hoc est, eam pœnitentiam, quam ante baptismum agi oportet.* quibus verbis putat adversarius luculentissimè indicari, quòd odium peccati debeat esse ex motivo charitatis, eò quòd prius dictum fuerit, quòd Deum diligere incipiant. R. 1. Concilium non dicere, quòd diligant (prout requirit adversarius) sed diligere incipiant. quod optimè convenit dolori ex metu gehennæ concepto, & procedenti ex actu fidei, *quo credimus*, (sunt verba Trid. ibid.) *vera esse, quæ divinitùs revelata & promissa sunt, atque illud imprimis, à Deo justificari impium per gratiam ipsius, per redemptionem quæ est in Christo Jesu, & dum peccatores se esse intelligentes, à divinæ Justitiæ timore, quo vtiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* ad hunc, inquam, actum fidei & spei, si æquatur odium peccati, ex metu gehennæ, & amore salutis æternæ, tale odium est inceptio amoris, hoc est, disponens ad perfectum amorem Dei, imò in aliquo sensu est simpliciter amor Dei, vel procedit ex amore Dei, non quidem vt finis CVI, sed vt finis QVI, hoc est, amatur per illum Deus vt nostra beatitudo, & finis promissus. Porrò bene advertit P. Esparza, non sine caussa dictum esse à Concilio: *per odium aliquod & detestationem*: scilicet vagè & indeterminatè: quia videlicet nondum convenerat inter Patres Concilij tempore Sessionis 6. de qualitate illius odij, de qua diu multúmque disputatum est inter ipsos. vt constat ex actis Concilij. Convenerunt autem denique sess. 14. & tradita est vltima determinatio ac expositio illius suspensivæ indeterminationis. Huic ergo posteriori determinationi ac expositioni claræ, quam pro nobis apertè stare suprà ostendimus, insistendum est, vbi disertis verbis dicitur, Contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, & communiter concipitur ex metu gehennæ, vel turpitudine peccati, esse donum Dei, & impulsum Spiritûs sancti, & disponere cum Sacramento ad gratiam. Et hoc quidem ait se definire contra hæreticos, qui calumniabantur Catholicos, quasi non requirerent bonum motum ad Sacramentum. Hæretici autem nunquam dixerunt, actum præcedentem ex motivo dilectionis, quantumvis partiali, non esse bonum motum, sed hoc dixerunt de actu procedente ex solo metu gehennæ. Sanè si hæretici illud prius dixissent, debuisset Concilium vel maximè illos erroris redarguere ex eo, quòd Catholici requirant motivum dilectionis; vnde longè expeditiùs contra illos probâsset, à Catholicis requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ bonum motum pœnitentis.

991. Contra id quod diximus, Concilium in sess. 6. per illa verba: *incipiunt diligere*: non exigere majorem amorem, quàm amorem Concupiscentiæ, hoc est, Dei vt finis QVI, qui amor continetur in spe & odio peccati, vt impeditivi nostri vltimi finis, contra hoc, inquam, replicat Card. Pallavicinus, quia Concilium exigit amorem Dei vt fontis omnis Justitiæ; quando autem amamus Deum vt bonum nobis, non amamus vt fontem omnis Justitiæ, hoc enim spectat ad Charitatem. R. 1. Concilium non exigit ipsum amorem, sed inceptionem talis amoris, quod sufficienter sit tum per amorem Dei, vt finis QVI, hoc est, per amorem & desiderium divinæ amicitiæ, & ejusdem justitiæ timorem, quo sensu dicitur: *Initium Sapientiæ timor Domini.* tum per quandam inclinationem erga Deum vt finem CVI, quæ inclinatio est quidam motus prævenièns exercitium libertatis, & habet rationem gratiæ excitantis, & vel semper vel communiter resultat in peccatore, quando præcedunt illi actus, quos ibi Trid: recenset regulariter præcedere pœnitentiam ad baptismum requisitam, scilicet, ad ali-

quod odium peccati indeterminatè sumptum. Ergo etiamsi concederemus, Deum vt fontem omnis Justitiæ non posse diligi, nisi vt finem CVI, nihil nobis obesset Concilium. Respondeo tamen 2. falsum omnino esse, quòd quando Deum amamus vt nostrum finem *QVI*, non amemus eum vt fontem omnis Justitiæ, hoc est, omnis Gratiæ sanctificantis, & reddentis capacem beatitudinis; non enim potest Deus à nobis obtineri vt finis QVI, nisi priùs ab ipso tanquam fonte obtineamus gratiam: quicunque autem amat finem, amat omnia media necessaria: ergo cùm Deus vt fons Justitiæ sit medium necessarium ad seipsum vt finem QVI à nobis obtinendum, evidens est, quòd amando Deum vt finem QVI, amemus etiam vt fontem omnis Justitiæ.

Advertendum denique hîc est, quod etiam notavit Hispanus, per illud verbum, *Disponuntur*, Concilium enumerare omnes actus, qui *ordinariè* & quasi regulariter præveniunt Justificationem peccatoris; & propterea dispositionem quæ continet omnes illos actus recensitos, nunquam dixit, esse *necessariam*; imò cum recenseat actum Timoris, quo peccator divinæ Justitiæ terroribus vtiliter concutitur, non potest Concilij mens fuisse, omnes & singulos actus ibi recensitos exigere, vt necessarios necessitate medij ad salutem; non enim videtur congruè dici posse, ità esse necessarium necessitate medij timorem divinæ Justitiæ, vt si quis ex beatitudinis desiderio, immemor pœnarum vellet Deo reconciliari, non obtineret justificationem, neque probabile est, nullum hominem vnquam fuisse, qui potiùs traheretur spe præmiorum quàm timore pœnarum.

992. Objicit adversarius 5. rationem, quam ait validissimam. [Videtur, inquit summè incongruum, vt cùm Deus statuerit, neque conferre habitum Fidei adulto sine præcedente actu fidei, neque Spem sine præcedente actu Spei, velit tamen conferre Charitatem sine præcedente actu Charitatis. Graviss imè fallor, nisi hoc argumentum dupliciter retorqueri possit in suum auctorem, & primò quidem sic. Docet Pallavicinus in tract. de Fide, quòd quando infidelis elicit primum actum fidei, statim ipsi infundatur habitus fidei, etiamsi non justificetur, idem dicit de actu Spei. Infero. Si ab habitu Fidei & Spei licet argumentari ad habitum Charitatis, tunc ad infusionem habitûs Charitatis requiretur prævius actus Charitatis tam perfectus, vt infundatur statim habitus Charitatis, & sine tali actu prævio non infundetur ne quidem in Sacramento, sicut ad actum Fidei & Spei infunditur habitus Fidei & Spei, & sine his prævijs non infunditur, ne quidem in Sacramento: consequens est contra adversarium, quia talis actus esset justificativus, qualis tamen non prærequiritur ad infusionem habitus Charitatis in Sacramento. Secundò sic. ad infusionem habitûs fidei non sufficeret actus fidei imperfectus & impurus, non acquiescens soli revelationi & veracitati, sed innixus insuper motivo scientiæ vel opinionis, tanquam motivo patriæ: ergo nec ad infusionem habitûs Charitatis sufficiet actus Charitatis imperfectus, vt vult adversarius. Ergo argumentum nimium probat. Respondeo rectè, negando paritatem, disparitas est evidens 1. nam ideo prærequiritur actus Fidei & Spei, quia sunt prærequisiti ad actus aliarum virtutum supernaturalium; nam fides est instrumentum, quo Deus erga hominem exercet suum Magisterium, eúmque instruit; quem finem & quos medijs eum quærere debeat: Spes autem erigit animum & proponit probabilitatem finis consequendi, sine qua homo non adhiberet media ad finem. Aliter se res habet in Charitate, sine cuius actu possunt exerceri actus aliarum virtutum, vt apud omnes certum est. Disparitas est 2. quia virtute Sacramenti, quo merita Christi nobis applicantur, & prosunt ex opere operato, debet vtique suppleri aliquis defectus alicujus perfectionis, seu dispositionis, ex parte suscipientis, qui aliàs requireretur, & requisita fuit in veteri lege, & hunc dicimus esse defectum Charitatis.

993. Objicit 6. & vrget prius argumentum. Tridentinum dicit, Justificationem esse novationem interioris hominis per voluntariam susceptionem Gratiæ, & donorum quibus fit ex inimico amicus: atqui non voluntariè fit amicus, qui nullo modo amat. Et certè cùm ad amicitiam requiratur vt alteri afficiamur in ratione finis CVI, non potest esse dispositus ad amicitiam divinam, qui nullum talem affectum habet erga Deum. Sanè in peccato præcipua malitia quam agnoscunt Scholastici, est aversio à Deo in ratione finis CVI: sub qua ratione ipse est optimus, & magis meretur amorem, quam sub quacunque alia ratione, hoc est, quærendi bonus nobis. Ergo peccatum non debuit deleri nisi per oppositam conversionem ad eundem Deum tanquam ad finem CVI. Ità ille. Hæc argumentatio vel probat requiri cum Sacramento, adeoque semper actum perfectum Charitatis, adeoque per se justificativum, vel probat ad infusionem Gratiæ etiam extra Sacramentum sufficere actum amoris imperfectum, (vtrumque negat ipse Pallav.) vel nihil probat, quod verum est. Respondetur enim, satis voluntariè recipi amicitiam habitualem Dei ab eo qui eam libi dari desiderat, & elicit in hunc finem efficax propositum honestum ac Deo placens, nunquam Deum graviter offendendi: hæc dispositio licèt sine Sacramento non sufficiat (prout nec sufficit actus quem requirit Pallav.) sufficit tamen cum Sacramento, ad hoc instituto, vt consuleretur infirmitati nostræ in eliciendo actu Charitatis perfecto.

994. Objicit denique aliud argumentum vel potiùs exemplum. [Quis, inquit, peccator congruè dispositus ad impetrandam non solùm veniam sed amicitiam Principis ejus offensionem qui sic peteret veniam. *Displicet mihi, quòd te offenderim, eò quòd meruam à te punirì. caream tua displicentia & de tua aversione gratiâ fiat malum*

affectum habeo. atqui sub hac forma se offerret Deo quicunque peccator in Confessione, qui pœniteret ex solo motivo metûs. Hoc argumentum probaret imprimis, quòd actus Attritionis metu gehennæ ne quidem esset honestus, sed potiùs contemptivus Dei, sicut illa verba offensoris Principem censerentur contemptui habere. Deinde retorquetur argumentum, totidem verbis applicando ad actum quem Pallavicinus requirit, & vult sufficere cum Sacramento, non tamen sine Sacramento. Quis putaret congruè dispositum ad obtinendam veniam & amicitiam, qui diceret Principi, displicet quòd te offenderim, & pœnas meruerim, ità tamen vt defacto nullum affectũ habeam, erga te & gratiâ tui, pro casu quo nullas pœnas à te timere possem. atqui taliter se sistit Deo peccator per actum quem Pallavicinus ponit: vel, si alium perfectiorem ponit, nihil deerit illi, quominus justificet, vt suprà ostendi. Nr. 3. Negando paritatem. disparitas jam est indicata. Vel enim ille actus offensoris Principis esset honestus vel non. si non est honestus, jam non est paritas cum nostro actu, quem ipse Pallavicinus probat contra hæreticos esse honestum. Si autem ille actus ponitur esse honestus, tum iterum est disparitas: quia filius illius Principis non impetravit illi actui tale privilegium, quale Filius Dei per superabundantem satisfactionem & merita infiniti valoris impetravit Confessioni Sacramentali.

Plures alias disparitates eleganter assignat P. Esparza his verbis. [Voluntas infligendi pœnas infligibiles ab homine, non convertitur cum voluntate vitandi injurias omnes adversus eundem. fieri namque potest, vt homo injuriatus non puniat injuriantem, tum propter ignorantiam delicti, tum propter impotentiam; vnde earum pœnarum odium non continet in se odium injuriarum, & propositum non injuriandi pro omni eventu. Rursus, pœna saltem præcipua infligibilis à Principe temporali, non est privatio gratiæ & amicitiæ suæ, sed interemptio, confiscatio, exilium &c. vnde timor adversus principem temporalem, nullum ex sua natura continet in se respectum ad gratiam & amicitiam ejusdem, nullamque per se præsupponit æstimationem illius. Præterea bonitas & perfectio propria principis temporalis, non exercet rationem finis vltimi, aut etiam præcipui respectu metûs quo timetur ejus potentia, & respectu odij injuriarum ex metu: neque metus iste ac odium subordinatur intrinsecè illi fini. Vnde fit postremò, vt eidem Principi non placeat absolutè talis metus ac odium, nec ipso consulente ac desiderante concipiatur, nisi tantùm comparativè, præ affectu deteriore. Omnia autem his opposita conveniunt Attritioni.]

CONTROVERSIA III.

Vtrum Dolor debeat esse prior naturâ vel tempore ante confessionem.

995. AFfirmat P. Conink & Layman, sed cum communi Theologorum negandum est, esse necessarium ad valorem Sacramenti, vt dolor vllo modo præcedat confessionem, sed fieri posse, vt tempore sequatur confessionem. Probatur, tum solvendo fundamentum contrarium, tum ex praxi fidelium à nemine improbata: solent enim dolorem subjungere confessioni, nec Confessarij sunt solliciti, an dolor præcesserit: neque etiam exigunt à pœnitentibus, vt casu quo dolor secutus sit, instituant novam confessionem compendiosam & summariam peccatorum priùs enumeratorum, vt requirunt adversarij.

Objiciunt. Si dolor non præcedit confessionem, non potest explicari quomodo fiat sensibilis per illam. Recentiores aliqui docent, hoc non esse necesse, quia dolor non est assumptus in ratione sensibilis, neque constituit Sacramentum in ratione signi sensibilis, sed in ratione caussativi Gratiæ vnà cum cæteris partibus sensibilibus. Respondeo tamen hoc facilè posse explicari. Nam ad hoc vt A. fiat sensibile per B. satis est quòd B. sit signum sensibile alicujus habentis connexionem cum A. & cum B. tanquam suis effectibus: v.g. si dicam alicui *Discede, quia volo studere*: hæc verba reddunt sensibile studium subsequens, hoc est, præbent argumentum sensibile inferendi studium subsequens, hoc modo: Petrus dixit, se velle studere, & est homo verax: ergo studet. Ratio est, quia illa verba sunt signum voluntatis, quâ non solùm vult affirmare exteriùs, sed etiam quâ vult reipsâ studere, adeóque studium subsequens habet dependentiam ab eadem caussa à qua pendet affirmatio. Pari modo quando dolor subsequitur Confessionem, si tamen habeat connexionem cum voluntate confitendi, cum quâ etiam est connexa confessio, fit per confessionem sufficienter sensibilis, quia confessio non significat quomodocunque voluntatem narrandi peccata, sed significat voluntatem narrandi in ordine ad obtinendam absolutionem, adeóque significat voluntatem saltem implicitam faciendi omnia necessaria ad absolutionem obtinendam.

Quodsi fingamus casum, quòd quis in ipsa confessione prodat, se quidem habere desiderium absolutionis, sed non dolere de peccatis, nec habere propositum emendandi (prout sæpè prudens potest esse suspicio) tunc quidem confessio non significaret voluntatem dolendi, nisi valde implicitam & conditionatam, nempe si cognoverit necessitatem dolendi ad absolutionem obtinendam, & ideo tunc Confessarius teneretur instruere, & adhortari ad serium dolorem, qui deinde vi prioris voluntatis ponetur, aut certè si prior voluntas

non fuit tam efficax, tunc dolor subsequens fiet sensibilis per continuationem præsentiæ localis, aut alia signa quæ tunc procedunt ex voluntate, quâ quis vult auditâ adhortatione adhuc perseverare præsens Confessario, & exspectare absolutionem; nam talis voluntas exspectandi censebitur voluntas esse ponendi dolorem, quem jam cognoscit necessarium ad absolutionem quam præstolatur. Et hanc perseverantiam tanquam sufficientem ad reddendum dolorem sensibilem, agnoscit Suarez & Pallavicinus.

CONTROVERSIA IV.

Vtrum ad valorem hujus Sacramenti sit necessarius dolor & propositum conceptum ex motivo vniversali ad omnia mortalia: vbi, an hoc Sacramentum ex hoc capite nunquam possit esse validum & informe.

996. PRima Sententia' docet, sufficere dolorem ex motivo particulari, hoc est non extendente se ad omnia mortalia. Quoad propositum verò fatetur illud debere quidem esse conceptum ex motivo extendente se ad omnia peccata deinceps perpetrabilia, non tamen esse necesse, vt sit ex motivo extendente se etiam ad peccata præterita: v. g. commisisti peccatum grave furti & nullum aliud: si doleas de furto ex motivo speciali Justitiæ, & proponas deinceps vitare omnia mortalia ex motivo honestatis quæ reperitur in vitando relapsu post factam reconciliationem, eris, juxta hanc Sententiam, sufficienter dispositus, vt confitendo furtum validè & fructuosè absolvaris.

Hinc inferunt posse Sacramentum Pœnitentiæ aliquando esse validum & informe, hoc est, sine fructu: nempe si habuisses adhuc aliud mortale v. g. luxuriæ, sed illius non recordareris, & ideo de illo non doleres, nec illud retractares: tunc, inquiunt, Sacramentum esset validum, sed sine fructu gratiæ: validum esset, quia essent positæ omnes partes constitutivæ: esset autem sine fructu, quia negatio retractationis luxuriæ esset obex, ne peccatum furti posset dimitti, non enim dimittitur vnum mortale sine alio, & nullum mortale sine retractatione. Ità sentiunt Suarez, Lugo, Gaspar Hurtadus, Tannerus, Diana, Bonac: Filliucius, Dicastillo, & alij. Citant pro se S. Thomam *in* 4. *dist.* 17. *q.* 3. *a.* 4. *quæst.* 1. sed immeritò. nam ibi S. Thomas ait, posse esse validum sine vllo dolore, quam sententiam retractavit *in* 4. *dist.* 23. *q.* 1. *a.* 4. vbi ait, Contritionem esse de Essentia Sacramenti.

Secunda Sententia docet, in casu, quo pœnitens habet mortale, debere intervenire motivum vniversale, extendens se ad omnia mortalia. Et quidem hoc motivum vniversale si se teneat ex parte propositi, hocipso etiam est motivum doloris: impossibile enim est, vt quis amet aliquod motivum, & simul advertat ad peccatum à se commissum destructivum illius motivi, quin doleat de peccato ex tali motivo. Econtrario si motivum doloris est vniversale, etiam erit vniversale motivum propositi saltem virtualis. Omnes enim fatentur, quòd quando dolor est ex motivo vniversali, non sit necesse elicere propositum formale, sed sufficiat virtuale, identificatum cum dolore. His positis negat hæc sententia posse sacramentum Pœnitentiæ esse validum & informe. Ità post alios antiquos Vasquez, Coninck, Ochagavia, Layman, Turrianus, Fagundez, Arriaga, Pallavicinus, Esparza.

997. Hæc Controversia tota pendet ab intelligentia verborum quæ in Concilio Florentino & Tridentino habentur, ad quæ Concilia spectabat declarare essentiam hujus Sacramenti. Non licèt possint afferri congruentiæ, illæ tamen parùm servient ad convincendum, nisi serviant ad aperiendum sensum Conciliorum.

Censeo, secundam sententiam esse Conciliorum verbis & menti conformiorem. Probatur ex verbis Florentini in Decreto Eugenij §. *Quorum.* vbi ait, Materiam hujus Sacramenti in tres distingui partes. quarum prima est cordis Contritio, ad quam pertinet, vt doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero. Vbi priùs advertendum est, dolorem formalem non posse se extendere nisi ad peccata quæ memoriæ occurunt, motivum tamen doloris posse latius se extendere, quia potest esse motivum vniversale. Hinc colligo, adversarios ex verbis allatis male inferre, quòd Florentinum non requirat motivum doloris latiùs patens, quàm pateant peccata commissa, eò quòd requirat solùm dolorem de peccatis commissis. Non poterat enim exigere dolorem formalem ampliorem, cùm non sit possibile, dolere de peccato, quod non cogitamus esse commissum. Quapropter mentem Concilij in hoc motivum doloris, debemus colligere ex verbis adjectis: *cum proposito non peccandi de cætero.* hæc verba si syncerè spectentur, planè ingenerant conceptum propositi vniversalis, extendentis se ad quodvis peccatum possibile, adeo vt vi talis propositi nec peccata præterita posita fuissent si illud propositum tunc exstitisset. Ratio quâ inducor est hæc. Quia Concilium requisivit vt detur tale propositum, quo homo quasi renovet illud ipsum propositum, quod debebat habere antequam peccaret, nempe debebat habere voluntatem non peccandi mortaliter, ex motivo vniversalissimo, extendente se ad quodcunque peccatum, & non tantùm ad peccatum habens turpitudinem relapsûs: hoc inquam propositum à quo peccatum recessit, debet renovare, quando vult resurgere à peccato: atqui non renovaret hoc propositum, si novum propositum ex minùs vniversali motivo eliceret: ergo debet elicere propositum ex motivo vniversali.

Con-

Confirmatur 1. Quia si verba Concilij liceret restringere ad Propositum vniversale vniversalitate tantùm se extendente ad relapsum, poterit alius restringere magis, & dicere, requiri duntaxat propositum non repetendi peccata commissa, adeoque non se extendens ad omnia peccata, quorum species nunquam commissa est: hoc autem est contra ipsos adversarios: ergo si verba Concilij debent accipi de proposito ejusque motivo latiùs se extendente, quàm ad quæ se extendit dolor formalis, nempe ad sola commissa & memoriæ occurrentia, non nisi merè arbitrariè fit extensio ad sola peccata habentia rationem relapsûs.

Quodsi dicant adversarij (sicut dicunt) ideo debere magis extendi propositum, quia alioquin plus requireretur ad justificationem hominis per baptismum, qui nullum peccatum personale commisit, quàm requireretur ad justificationem illius, qui plurima commisit, nempe quia in adulto, vt per baptismum justificetur, requiritur propositum vniversale, servandi totam legem: si inquam hoc dicant, nemo non videt, hac ipsa ratione clarissimè probari, in pœnitente requiri etiam propositum hujusmodi vniversale, alioquin minus requireretur in tali, quàm in illo qui nullo commisso peccato est per baptismum justificandus.

Confirmatur vlteriùs. Propositum quod requiritur, debet ex modo tendendi & motivo suo esse inconjungibile deinceps cum peccato, vt tradunt Adversarij, præsertim Lugo contra quosdam (quos sequitur Dicastillo) volentes sufficere propositum ex motivo restricto ad solas species peccatorum confessorum: atqui propositum extendens se solùm ad peccata futura ex motivo vitandi relapsum, non est inconjungibile, sed conjungibile cum peccato futuro, vt benè advertit Arriaga, nempe casu quo alicui ex postfacto constaret, illa peccata quæ priùs putaverat se commisisse, revera se non commisisse. ergo tale propositum non est sufficiens. Aliud exemplum affert Card. Pallavicinus c. 28. his verbis. [Qui putaret se Sacerdotem exempli gratiâ, posset in adversariorum Sententia facere propositum restrictum etiam ex motivo formali ad peccata habentia turpitudinem ex dignitate Sacerdotis, vtpote quæ sola peccata existimaret sibi possibilia, atque adeo posset facere tale propositum in sensu composito, cum quo posset conjungi aliquod peccatum mortale, si fortè huic homini patefieret, se verè non esse ritè, & validè ordinatum.

998. Probatur Conclusio 2. ex Tridentino *Sess. 14. can. 4.* vbi omnes illos actus, qui requiruntur ad Justificationem per Sacramentum Pœnitentiæ, ait esse partes hujus Sacramenti, his verbis: [Si quis negaverit, ad integram & perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente, videlicet Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur, anathema sit.] Ex quibus sic argumentari licet. Si Sacramentum Pœnitentiæ potest esse validum, & informe, sequitur, posse dari omnes partes Sacramenti, & tamen deesse aliquid requisitum ad justificationem: porrò hoc quod deesset, non esset aliud quàm actus pœnitentis: atqui hunc ipsum vocat Tridentinum partem Sacramenti: ergo adhuc deesset aliqua pars. & ideo quoties non est fructuosum, non est validum ex defectu partis.

Respondet Lugo n. 94. omnes debere fateri, quòd aliquando per accidens aliquis dolor sit dispositio ad gratiam in hoc Sacramento conferendam, qui tamen non sit pars Sacramenti. v. g. qui recipit baptismum cum effectu gratiæ, si deinde peccaret mortaliter, posset dolere de illis peccatis commissis post baptismum ex hoc motivo, quòd essent peccata hominis Christiani, quæ sola sunt materia Pœnitentiæ; nec videtur dubium, quòd ille dolor sufficeret ad valorem Sacramenti. quodsi ille homo baptismum suscepisset absque dolore de peccatis præteritis, ac per consequens absque effectu gratiæ, non sufficeret ille dolor ad fructum Sacramenti: ergo deesset dolor de peccatis commissis ante baptismum, qui esset quidem dispositio ad gratiam, non tamen esset pars Sacramenti.

Sed contra. Negari à nemine potest, quòd Christus potuerit hoc Sacramentum ità instituere, vt illius pars essentialis esset non quicunque dolor, sed dolor ex motivo vniversali, & prout nos contendimus de facto esse institutũ: quodsi ergo Christus ità instituisset, consequens esset, quod dolor consistens in indivisibili totus esset pars Sacramenti, etiam quando se extenderet ad peccatum ante baptismum commissum: hinc tamen non rectè inferres, quòd etiam ipsa peccata ante baptismum commissa essent materia Sacramenti: ergo nec de facto potest ritè inferri, quòd peccata ante baptismum commissa essent materia hujus Sacramenti, si dolor de illis, vt nos dicimus, esset pars Sacramenti. Malè ergo supponit Lugo tanquam indubitabile, quòd in illo casu sufficeret dolor de peccatis præcisè, vt sunt hominis Christiani.

999. Probatur denique ex cap. 5. ejusdem sess. vbi dicitur. [Constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt postquam quisque diligentiùs se excusserit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum mortaliter offendisse meminerit. Reliqua autem peccata NB. quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniversum eâdem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: *ab occultis meis munda me Domine.*] Ecce! Concilium dicit, in vniversum peccata mortalia occulta intelligi inclusa in eadem confessione, & per eandem confessionem peti etiam eorum veniam. atqui certum est, non peti eorum veniam, quæ quis nullo modo retractat: ergo secundùm adversarios aliqua peccata commissa sed non occurrentia, non erunt in confessione inclusa: ergo vel confessio erit nulla, vel si est valida, ideo erit va-

lida, quia ratione vniversalis doloris sunt inclusa: ergo ad valorem confessionis ex mente Tridentini requiritur dolor vniversalis. Ergo, vt verbo dicam, Adversariorum Sententia videtur inhærere cortici verborum, nostra verò magis assequi mentem Concilij.

CONTROVERSIA V.

Qualis Dolor & Propositum requiratur ad Confessionem venialium.

1000. Dicendum est 1. Ad validam & fructuosam Confessionem Venialium, non est necessarius dolor aut propositum extendens se ad omnia possibilia Venialia, sed sufficit si propositum excludat voluntatem peccandi mortaliter, & insuper illa venialia detestetur, à quibus petit absolvi. Probatur 1. à posteriori. Nam omnes fatentur, posse vnum Veniale remitti sine alio, & posse confessionem fieri de aliquibus, cum actuali affectu ad alia venialia. Hocipsum colligitur ex praxi, quæ ostendit sine scrupulo nos confiteri venialia: esset autem res scrupulis obnoxia, si semper deberet intervenire propositum vitandi omnia venialia, quod esset difficillimum, & supra communes hominum vires, vt magis patebit.

Probatur Conclusio 2. & quasi à priori, vel potiùs ex communi sensu hominum, à Pallavicino c. 28. *n.* 282. Ad impetrandam veniam ab offenso duo requiruntur & sufficiunt. primum est, velle efficaciter amicitiam illius à quo veniam petimus: (ecce! propositum excludens voluntatem peccandi mortaliter) secundum, efficaciter excludere omnia illa quorum veniam petimus. Quòd autem hoc secundum requiratur (quod aliqui negârunt) probatur. Quia attritio est necessaria pars hujus Sacramenti, vt probatum est: atqui attritio quæ est pars, debet esse efficax detestatio peccati commissi, vt probatum etiam est: ergo non sufficit quæcunque inefficax displicentia, vt quidam volebant.

1001. Objicitur 1. Si requireretur modo dicto detestatio & propositum efficax circa omnia Venialia quæ quis confiretur, & à quibus absolvi cupit, sequitur non posse hominem vnquam confiteri & absolutionem petere ab illis venialibus, quæ commissa sunt ex morali necessitate, sive, ab illa multitudine quam totam erat moraliter impossibile evitare, sicut de lege ordinaria est moraliter impossibile, adeoque defacto nunquam futurum, vt quis per longum tempus abstineat ab omnibus venialibus: consequens est contra praxin: Sequela probatur. non possum enim prudenter mihi proponere non facere, quod certò scio me facturum: atqui certò scio, me sicut ante hac ità deinceps non evitaturum omnia venialia, si redeant circumstantiæ moralem necessitatem inferentes: ergo &c. vnde consequens esse videtur, non requiri respectu venialium detestationem & propositum efficax, sed sufficere simplicem displicentiam.

Hæc objectio multis difficilior apparet, quàm reipsâ sit, & si rectè attendatur, habet quandoque locum in mortalibus. contingit enim aliquos in certis vitijs ità esse habituatos, vt moraliter certi sint, se iterum lapsuros, nec possint se ullo modo erigere ad firmam spem ea diu cavendi; & tamen fatentur Theologi, talem posse absolvi, modò hîc & nunc eliciat propositum tale tamque efficax in modo tendendi, vt non possit conjungi cum voluntate peccandi, cùm voluntas peccandi sit revocatoria talis propositi: omne enim propositum humanum est revocabile; ac proinde potest stare propositum non peccandi cum futuritione revocationis. Pari modo de Venialibus moraliter inevitabilibus potest defacto concipi propositum ex se efficax incompossibile, dum perseverat, cum peccato veniali, & intrinsicè sufficiens ad omnia vitanda, quamdiu perseverat; esto certus sim, non perseveraturum; nam hæc certitudo non pertinet ad voluntatem, sed ad intellectum; adeóque illud efficax propositum potest conjungi cum judicio de futura revocatione, fundata in experientia vel revelatione divina, qualis habetur de morali necessitate peccandi venialiter, expressa in Trid. & suo loco declarata. Sic Petrus, etiam auditâ revelatione de futura negatione, poterat tamen, imò tenebatur elicere propositum non negandi.

Confirmatur. Sicut se habet retractatio & & detestatio respectu peccatorum præteritorum, ità se habet propositum respectu futurorum: atqui retractatio præteritorum non est efficax *effectivè*, sed tantùm affectivè, hoc est, conjungitur cum evidenti cognitione quòd non possimus facere, vt peccatum non præcesserit, quæ tamen cognitio non impedit, quominus sit talis aversio, vt si tempore peccati commissi exstitisset, omnem affectum peccandi excluisset: ergo potest etiam propositum esse affectivè efficax, non obstante cognitione de morali necessitate peccandi.

1002. Objicitur 2. Si ad Confessionem Venialium requiritur retractatio omnium quæ quis vult subjicere clavibus, & quidem si quis, vt solet fieri, se accusat de omnibus in confuso, sequitur facillimè posse hujusmodi dolorem & propositum revocari per veniale commissum post elicitum illum dolorem: vnde iterum consequitur, tunc Sacramentum fore nullum, quod durum videtur. R. cum Card. de Lugo, quòd quamvis illud propositum realiter sit actus indivisibilis, virtualiter tamen sit multiplex, hoc est, magis detestativum illorum Venialium, quæ sunt cæteris graviora, magisque deliberata. Vnde licèt per aliquod leve veniale revocetur propositum, quod ad ea venialia, quæ sunt æqualia, vel etiam leviora illo, quod de novo commissum est, non tamen revocatur quoad graviora, & ideo saltèm à gravioribus absolvetur, quia respectu illorum adest debita dispositio. Declarat hoc Pallavicinus dis-

plici

plici exemplo. Qui donat Petro caussâ mortis totam supellectilem, quam nunc habet, si postea disponat de aliqua parte illius, non censetur revocâsse donationem quoad alias partes. Item si Petrus ineat amicitiam cum Paulo, per voluntatem, qua decrevit nunquam eum offendere, nec in magnis, nec in parvis, etiamsi postea Petrus eum offendat in aliqua minima re, prout est inevitabile inter amicos, non censebitur revocata tota illa voluntas, ità vt non remaneat ampliùs habitualiter, & moraliter amicus.

1003. Quia verò contingere potest, vt in certis casibus revocatio voluntatis quoad vnam partem, sit etiam revocatio ejusdem voluntatis quoad omnem partem seu formalitatem, ideo non oberit tradere vnam alteramve regulam, discernendi, quandonam revocatâ voluntate quoad partem censeatur esse revocata vel non revocata quoad totum.

Prima regula potest esse hæc. Quando motivum propositi fundatur in ipsa pluralitate rerum quas sibi quis proponit, tunc revocato proposito quoad partem, revocatur quoad totum: v.g. si tibi proponas confiteri omnia tua mortalia, quia aliter non valet confessio, tunc si revocas propositum quoad vnum, censeris revocâsse quoad omnia: item si proponis tibi ad lucrandas Indulgentias præstare tria opera quæ Pontifex requirit indivisim, tunc si revocas propositum quoad vnum, v.g. quoad jejunium, censeris etiam revocâsse quoad cætera.

Secunda Regula. Quando Motivum propositi æquè reperitur in singulis atque in tota pluralitate, & non meliùs aut perfectiùs in pluralitate, quàm in singulis, revocato proposito quoad vnam partem, censetur revocatum quoad omnes: v.g. qui propter honestatem credendi proponit credere omnes articulos cum eadem credibilitate revelatos, si revocat quoad vnum articulum, censetur revocâsse quoad omnes.

Tertia Regula. Si verò econtra motivum propositi ità reperitur in singulis, vt magis reperiatur in pluribus, quàm in vno, vel magis in B. quàm in A. & movebat secundùm omnem gradum & vim movendi, tunc revocato quoad vnum seu quoad A. non censetur revocatum quoad cætera. v.g. qui ex motivo liberalitatis magnæ vult donare omnia bona, si revocat quoad vnum determinatum bonum, v.g. fundum A. non propterea censetur revocâsse quoad cætera bona, quia licèt non ampliùs velit esse liberalis summè, vult tamen adhuc esse liberalis valde vi prioris voluntatis, quà volebat esse liberalis summè, postea verò restrinxit, & temperavit. Item, qui sibi proponit esse gratus Petro pro omnibus beneficijs, quæ deinceps accepturus est ab eo, deinde non est gratus quoad aliquod beneficium leve, non propterea revocavit voluntatem quoad beneficia majora; nam quò majus est beneficium, eò major est obligatio gratitudinis, & eò major est ingratitudo respectu illius: potest autem aliquis velle esse leviter ingratus, non tamen graviter.

Jam ergo ad nostrum propositum; si quis omnia venialia detestetur ex motivo suscipiente magis & minùs. v.g. quia diminuunt fervorem Charitatis, & plura quidem magis quàm vnum, item vnum magis, quàm alterum, vi talis propositi adhuc censetur detestari ea quæ sunt graviora, etiamsi quoad vnum levius mutaverit voluntatem: quia magis detestabatur majorem diminutionem quàm minorem. Porrò hoc ipsum potest contingere etiam respectu Mortalium. Verùm quia qui in vno horum delinquit factus est omnium reus, Jacobi 2. & ideo vnum sine altero non dimittitur, ideo revocato proposito quoad vnum, licèt quoad affectum non sit revocatum quoad cætera, quoad effectum tamen remissionis perinde est, acsi quoad omnia esset revocatum.

CAPVT VIII.

DE CONFESSIONE, EIVSQVE MATERIA CIRCA QVAM.

CONTROVERSIA I.

An Iure divino sit obligatio confitendi peccata mortalia dubia.

1004. NOn est quæstio de dubio positivo, quando adest probabilis ratio, à qua possit homo prudens moveri ad judicandum, peccatum non esse commissum; tunc enim conveniunt Theologi, non esse obligationem confitendi, etiamsi adsit non solùm suspicio quædam de peccato commisso, sed etiam quædam probabilitas. Quodsi econtra haberet homo probabilem rationem, se commisisse peccatum, & nullum probabile

bile fundamentum se non commisisse, conveniunt etiam eum teneri confiteri. Vnde quidam Recentior in suis thesibus non rectè confundit hunc casum cum eo de quo est præsens controversia.

Quæritur ergo de dubio negativo, hoc est, quando nec pro se, nec contra se habet rationes probabiles, tametsi adsint indicia quædam moventia suspicionem seu timorem, an non sit commissum tale peccatum, & hoc est dubium facti. Neque est hoc dubium confundendum cum dubio, quo quis dubitat, an peccatum quod certò scit se commisisse, fuerit confessus: nam tunc etiam conveniunt (excepto fortè Caramuele) esse obligationem confitendi, quia lex manet in possessione.

1005. Tametsi ante hac affirmativa sententia ab auctoritate invaluerit, ut ob eam potissimùm plurimi subscriberent, hodie tamen negativa sententia non pauciores patronos habet. Affirmativæ patronos referre non est opus. Interest referre auctores, qui pro negativa stant. Itáque pro negativa stat imprimis P. Conink *d. 7. dub. 8. n. 69.* Quamvis non satis consequenter doceat, eum qui scit se peccâsse, dubitat tamen an mortaliter vel venialiter, teneri confiteri. Eandem negativam absolutè defendit Caramuel, qui tamen immeritò pro hac sententia citat Joannem Sanchez *Select. disp. 1. n. 12.* nam ibi tradit doctrinam communissimam, scilicet, quòd qui confitetur peccatum dubium, communiter illi adjungat materiam certam, ut non debeat absolutio dari sub conditione [semper tamen, inquit, liberum erit pœnitenti solam materiam dubiam confessioni subjicere, quando certam mortalem non habet, vel in solam venialem fuerit lapsus] hoc est verissimum, sed nihil pro sententia Caramuelis. æquè immeritò citat Baldellum & Salas, qui loquuntur de debito ex justitia commutativa, scilicet, quòd quando dubito, an debeam centum, possim in conscientia judicare me non debere, id quod etiam alij docent, admittentes obligationem confitendi peccata dubia. Eidem sententiæ favet Layman, qui tamen protestatur, se nihil velle decernere, sed alijs considerandum relinquere (& hæc erit etiam mea intentio.) Favet etiam Granadus & Præpositus, qui vocat speculativè probabilè, sicut & Arriaga n. 28. dicens, stando in ratione non carere magnâ probabilitate. Eandem probabilitatem agnoscit Palao, dum affirmativam solùm vt veriorem tradit *p. 9. n. 16.* Ultrà hos citat pro hac sententia P. Andreas Mendo P. Antoninum, Tabienam, Paludanum, Petrum Marcantium, Authorem casuum conscientiæ, Joann. Sanchez *in disput. manu scriptâ.* Philibertum Marchinum, Josephum de S. Januario, P. Bauni, Terrancinum, Lovanienses, & alios. Post hos omnes novissimè eam asserit P. Antonius de Spiritu S. in Directorio Confess. *tr. 5. d. 5. s. 2. n. 275.* Hic ipse tamen Auctor priùs tradiderat n. 271. Sententiam tertiam, quâ tollit omnem materiam disputandi de hoc puncto, nempe docet, quòd si agamus de regimine propriæ conscientiæ, non dentur dubia negativa, semper enim occurrunt rationes aliquæ leves, aut graves, juxta quas actiones & resolutiones nostras gubernare possimus. Unde in examine conscientiæ alienæ, aut propriæ, his debemus regulis securissimis vti. De reg. Juris in 6. reg. 6. *Nemo potest ad impossibile obligari.* Ergo, qui fecit, quod potuit, fecit quod debuit. 15. *Odia debent restringi, & favores convenit ampliari.* 30. *In obscuris minimum est sequendum.* 47. *Præsumitur ignorantia, ubi scientia non probatur.* 54 *Qui prior est tempore, potior est jure.* Ergo in dubijs standum est pro possessione, quæ fuerat ante dubium. 65. *Melior est conditio possidentis.* 45. *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerùmque fieri consuevit.*

Inspiciamus nunc argumenta vtriusque partis, cum responsionibus, quæ possunt adhiberi.

Argumenta partis affirmantis obligationem.

1006. PRimum argumentum. Ex sententijs oppositis ad praxin spectantibus, illa est alteri præferenda, quæ est conformis sensui ac judicio fidelium, atque ipsi continuæ praxi, nec habet contra se rationes enervantes vim praxis, & communis judicij: sed talis est sententia affirmans obligationem confitendi peccata dubia. Ergo, &c. Major supponitur. Minor probatur, quia propter continuam praxin nullus audet absolutè contrariam, ut practicabilem asserere. Viderunt nempe DD. ex ipso usu & praxi totius Ecclesiæ, cujus initium non agnoscitur, rectè colligi, ab ipsis Apostolis promanâsse, vt loquitur Card. de Lugo.

Ad hoc argumentum responderur in ea cordatè supponi, quod non probatur. Supponitur continua praxis, quòd peccata dubia negativè fuerint Christiani confessi ex obligatione indubitanter cognita, quod non probatur, nec probari potest: tum quia etiamsi ea fuissent semper soliti confiteri aliqui, non probatur, quòd non fuerint alij, qui hujusmodi dubia practicè deposuerint (ut fieri posse ostenderur) & tanquam scrupulum rejecerint. Deinde non potest probari, quòd etiam illi, qui confessi sunt peccata negativè dubia, id fecerint ex cognita obligatione certa: fortè enim id fecerunt ad melius esse, fortè quia id ab vno doctore audierunt. Tertiò non potest probari, quòd illi, qui confessi sunt aliqua peccata, dicendo, se dubitare an fecerint, quòd, inquam, locuti sint de dubio negativo, & non potiùs de dubio positivo, quatenus habuerunt probabilem rationem se peccâsse, & fortè nullam, quòd non peccaverint. Certè hujusmodi peccata solere sub dubio proponi, à fidelibus, plus quàm certum est. Quomodo ergo poterit probari praxis fidelium, quòd in

in confessionali distinxerint dubium negativum à positivo? quotusquisque fidelium habet accuratam hujus distinctionis notitiam? Accedit, quòd ex antiquioribus, qui illam sententiam tenuerunt, plerique nixi sint fundamentis inefficacibus, ut posteriores agnoverunt: v. g. quòd in dubio debeamus sequi tutiorem partem; quòd debeamus omnia explicare sicut sunt in conscientia: quòd debeamus omnia confiteri, de quibus ante hoc Sacramentum institutum debebamus elicere contritionem: hæc inquam argumenta sunt insufficientia, quia nimiùm probant, nempe quòd etiam illa dubia deberemus confiteri, à quibus nos aliqua probabilitas absolvit. Denique supponitur in argumento, quòd nullus DD. audeat contrarium asserere, & practicare, quod falsum esse patet ex allegatis: vnde etiam patet, sententiam affirmativam non pollere illâ certitudine, quam Suarez & Sanchez illi tribuit, hodie autem communiùs illi negatur.

1007. Secundum argumentum est Card. Pallavicini n. 306. [in dubio, vtrius ex duobus res sit, dividitur à Judice inter eos: ità est faciendum in casu nostro. Si tu non es peccator, gratia Dei est tua: si es peccator, habes debitum carendi illâ in æternum, & subeundi infernum. Deus ex sua benignitate permittit, ut in hoc dubio res dividatur, magno cum excessu pro nostra parte. Damus enim aliquid minimum ex nostro, hoc est confessionem peccati tanquam dubij, & Deus obligatur ad aliquid maximum ex suo, hoc est ad veniam peccati, & ad promissionem vitæ æternæ.] Ità ille satis eleganter, an æquè nervosè, subsisto. Non enim video, quomodo hinc probetur obligatio determinata ad confessionem, ut Deus obligetur ad veniam: cur enim non sufficiet, vt ex tribus medijs vnum ponatur, vel contritio, vel confessio aliorum peccatorum, vel confessio peccati dubij, & quocunque horum posito, Deus obligatur ad veniam: exigere autem determinatè confessionem peccati dubij, est petere principium, de hoc enim disputatur. Taceo falsum esse, quòd in dubio semper res dividatur à Judice, quid si enim res sit indivisibilis, ut est Beneficium? Si altera pars est in possessione, & agitur in petitorio, actore nihil probante nulla fit de jure divisio, sed relinquitur res Possessori, nisi partes litigantes sponte compositionem inire, & transigere velint. In casu nostro dubius est in possessione innocentiæ, & quamdiu non probatur deliquisse, non est cur ipse debeat adire Judicem, impositurum illi pœnitentiam certam pro delicto dubio, sed satis erit, si affectum amicitiæ exerceat, vel alia peccata confiteatur, vt indirectè absolvatur à dubio, casu, quo fuisset commissum.

1008. Tertium argumentum, quod paucis insinuat Suarez his verbis. [In eo casu, seclusâ Confessione tenetur homo habere contritionem de tali peccato, saltèm ratione periculi: sed quod est de necessitate Contritionis, est etiam de necessitate Confessionis. Ergò, &c. Illustrat hoc argumentum Card. Lugo, quem sequitur Esparza. Sacerdotes sunt constituti Vicarij Christi, ad quos peccata omnia deferantur, quæ debuissent ad ipsum Deum deferri: atqui peccata dubia ante institutionem Sacramenti Pœnitentiæ debebant ad Deum deferri per Contritionem: ergo nunc est obligatio deferendi ad Vicarios Dei etiam peccata dubia, sicut est obligatio deferendi peccata certa, quæ obligatio colligitur ex illis Christi verbis: *Quorum peccata retinueritis, retenta sunt.*

Ad hoc argumentum respondeti potest ex Arriaga, majorem non esse vniversaliter veram; nam in lege antiqua erat obligatio Contritionis in periculo vitæ, quandocunque erat probabile dubium peccati mortalis, ne ille homo se exponeret evidenti periculo damnationis; & tamen in lege Gratiæ non successit loco hujus obligationis obligatio confitendi peccata hujusmodi, vt supponunt ferè omnes DD. Neque dicas, etiam in articulo mortis defacto esse obligationem confitendi peccata probabiliter seu positivè dubia, ob majorem securitatem & moralem certitudinem justificationis, quam affert Sacramentum, non item affert existimata contritio. Non, inquam, hoc dicas. Nam licèt obligemur in articulo mortis confiteri peccata positivè dubia ex lege Charitatis ob majorem certitudinem, hæc tamen obligatio cessaret in casu quo aliunde haberetur talis certitudo; v. g. quia priùs jam illud peccatum positivè dubium erat indirectè deletum per confessionem aliorum peccatorum, vt optimè advertit Card. Pallavicinus c. 32. n. 302. & P. Antonius à Spiritu S. n. 290. Addo ego aliam instantiam. Ante institutionem hujus Sacramenti erat obligatio elicendi contritionem extendentem se etiam ad circumstantias aggravantes peccatum notabiliter, & tamen in hanc obligationem non successit obligatio confitendi circumstantias aggravantes. Ergo non est vniversim vera major propositio. & hæc est prima responsio.

Secundò responderi potest cum docto Recentiore, Christum voluisse, vt ad Tribunal Ecclesiæ deferantur omnes causæ, quæ priùs debebant ad ipsum deferri, in quantùm hæc delatio erat necessaria & vtilis ad cognoscendam causam & æquitatem judicij servandam: cùm ergo ad Judicium absolutum explicatio dubij negativi planè nihil servire possit, cùm Sacerdos ex hoc tam parum judicare posset, quàm parùm ipse pœnitens, qui ne quidem ad probabile judicium se resolvere potest, meritò censemus, nos ad istam explicationem non teneri: Hæc ille Recentior, & meo judicio benè. Et hæc sunt argumenta sententiæ affirmantis, & imponentis obligationem tam gravem.

Argumenta Sententiæ negantis.

1009. PRimum argumentum desumitur ab auctoritate Concilij Tridentini *sess.* 14. *c.* 5. quod, vt obviaret Calvini calumniæ, quòd obligatio confitendi sit conscientiarum Carnificina,

declarat, obligationem pœnitentis his verbis. [Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habent, in confessione recensere.] Et inferiùs. [Sed & impium est, Confessionem quæ hac ratione fieri præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare; constat enim nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt post, quam quisque diligentiùs se excusserit, & conscientiæ suæ sinus omnes & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum &, Deum suum mortaliter offendisse meminerit:] Jam sic. Peccatorum dubiorum nec est conscientia, propriè loquendo, nec memoria. rectè enim & cum veritate quis de illis dicere potest, se eorum non meminisse, non habere conscientiam: nam *meminisse*, & *habere conscientiam*, non sonant primam apprehensionem aliquam non suasivam, nec meram suspicionem, sed significant Judicium, saltèm reflexum de probabilitate rei, & quòd adsint fundamenta propter quæ quis posset prudenter opinari aut scire. Atqui talia non adsunt quoad peccata dubia: ergo eorum non habetur conscientia, nec eorum meminimus: atqui juxta Tridentinum solùm obligamur ad confitenda, quorum conscientiam habemus, & quorum meminimus: ergo non datur obligatio confitendi dubia.

Confirmatur. Si *Conscientia* hîc acciperetur prout abstrahit à dubia & certa, complecteretur etiam dubiam positivè, quia nulla fit hujus exceptio in Tridentino, vel si fit exceptio fit per illa verba recensita. Atqui si conscientia dubia positivè non comprehenditur per vocem *Conscientiam*, & *Meminisse*, multò minùs comprehendentur peccata dubia negativè, vt manifestum est, quia magis accedunt ad ignorantiam: ergo Conscientia non accipitur vt Genus ad Conscientiam certam & dubiam, sed accipitur pro specie Conscientiæ certæ, non quidem evidentis, sed moraliter certæ, hoc est, quod ità probabile est, vt pro innocentia nulla stet probabilitas.

Ad hoc argumentum respondet P. Mendo, Tridentinum definivisse id quod certum erat, nempe peccata certa esse necessariò confitenda, cætera verò reliquisse disputationi Theologorum. Verùm non capio vim hujus responsionis. Si enim Concilium solùm id definivit, quod certum est, nempe peccata certa esse necessariò confitenda, quid ergo, quæso, significant illa verba: *constat ergo nihil aliud exigi? &c.* si nihil aliud exigitur: quomodo ergo relinquitur disputationi Theologorum, quòd aliquid aliud exigatur? Deinde: si Tridentinum reliquit hoc disputationi Theologorum, quomodo ergo verum est, quòd continua Praxis & consensus DD. stet pro sententia obligante, & quòd hoc sit signum veritatis & doctrinæ ab Apostolis per traditionem acceptæ? Hæc mihi conciliatu difficilia sunt.

1010. Secundum, argumentum & meo judicio optimum est negativum. Nulla obligatio, præsertim gravis, est imponenda fidelibus, quæ nullâ efficaci ratione probatur, sed obligatio confitendi dubia peccata non probatur, vt satis videtur patere ex solutionibus adhibitis: ergo non est fidelibus imponenda. Omitto alia argumenta quæ affert P. Antonius à Spiritu S. & P. Mendo, quia puto recipere claram solutionem.

Post hæc scripta occurrit mihi alia probatio, quòd peccata negativè dubia reverà & Theologicè ac etiam Canonisticè loquendo, non sint in conscientia nostra. In cap. fin. de Præscript. dicitur. *Oportet, vt qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ.* subsumo. atqui præscriptioni non obstat, si post eam bonâ fide cæptam, superveniat dubium etiam negativum de re an sit aliena: ergo habens tale dubium non habet conscientiam rei alienæ: ergo pari modo qui dubitat, an peccaverit, non habet conscientiam rei alienæ.

CONTROVERSIA II.

An Circumstantiæ aggravantes sint necessariò aperiendæ in Confessione.

1011. SCiendum est 1. tam in actu bono quàm in malo aliqua prædicata dici esse de substantia actûs, seu pertinere ad substantiam actûs, alia verò dici Circumstantias; & licèt hæc prædicata aliud non sint quàm formalitates, seu formaliter distincta prædicata, vocatur tamen vnum respectu aliorum quasi *substantia* respectu accidentium; quia sicut Substantia est radix accidentium, & præsupponitur ad illa cum aliqua prioritate, ità etiam secundùm modum concipiendi, vnum prædicatum est quasi prius logicè seu prioritate rationis, vel prioritate secundùm subsistendi consequentiam: v. g. si volo occidere Patrem meum, *homicidium* est prædicatum pertinens ad substantiam actûs, *Parricidium* verò dicitur circumstantia, quia secundùm conceptum nostrum parricidium includit & supponit homicidium, sed non econtra. Potest verò contingere, vt in eodem indivisibili actu sint duo prædicata substantialia, eò quòd neutrum habeat vllam prioritatem ad alterum, quod alibi ostendam, sed huc nihil facit.

Sciendum est 2. Circumstantias dividi in illas quæ mutant speciem peccati, & illas quæ intra eandem speciem aggravant; huc etiam spectant per oppositionem illæ circumstantiæ, quæ diminuunt seu alleviant peccatum. Quod attinet ad circumstantias primi generis, non pertinet ad hunc locum, sed in secundo libro tradidi regulam cognoscendi differentias specificas peccatorum, & quandonam numero multiplicentur. Ad Circumstantias aggravantes pertinet augmentum numeri, quantitatis, intentionis, durationis, advertentiæ majoris. Ad diminuentes, v. g. vehementia tentationis, metus ab alio incussus &c.

Suppone-

Supponendum est 3. ex Tridentino constare, quòd sint explicandæ circumstantiæ speciem mutantes, item numerum peccatorum. Ratio est, quia alioquin non omnia peccata dicerentur; nam quando circumstantia mutat speciem, hoc ipso sunt duæ species in illo peccato, esto realiter identificentur: item si quis tantùm confiteretur duas fornicationes, cùm tamen ter fuerit fornicatus, vnum peccatum taceretur.

1012. Restat ergo Controversia de Circumstantijs notabiliter aggravantibus, an illæ sint à pœnitente manifestandæ, etiam non exspectatâ interrogatione Confessarij, v. g. qui furatus est mille, an debeat dicere: furatus sum mille: vel sufficiat dicere: furatus sum summam gravem, sufficientem ad mortale.

Prima Sententia affirmat esse manifestandas circumstantias notabiliter aggravantes. Ità post aliquos antiquos Cajetanus, Dom. Sotus Suarez Henriq. Fagundez, Th. Sanchez, Conink, Tanner, Arriaga.

Secunda negat. Ità S. Thomas *in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. in respons. ad 5. quæst.* vbi sic loquitur. [Quidam dicunt, quòd omnes circumstantiæ, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, confiteri necessitatis est, si memoriæ occurrant. Alij verò dicunt, quòd non sint de necessitate confitendæ, nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus peccati trahunt, & hoc probabilius est.] S. Thomam sequuntur plurimi antiquiores apud Dicastillo. ex RR. Toletus, Valentia, Vasq. Zerola, Pessantius, Sayrus, Reginaldus, alijque apud Dianam p. 1. tr. 7. resol. 1. item Card. de Lugo, Palao, Dicastillo, Pallavic.

Tertia Sententia esse posset, (quam videtur reipsâ tenere P. Esparza,) quæ facit discrimen inter Circumstantias aggravantes. Aliquæ enim tenent se ex parte objecti ejusque reali extensione, vt: major vel minor quantitas rei furtivæ. aliæ verò tenent se vnicè ex parte actûs, vt: major vel minor intensio actûs, major vel minor moralitas seu libertas, proveniens ex minùs vel magis clara cognitione motivorum abstrentium à peccato, aut allicientium ad illud: ac denique brevior aut longior duratio. Priores circumstantias vult esse confitendas, & quoad hoc convenit cum prima Sententia, & addit, illas non esse propriè circumstantias, sed pertinere ad substantiam actûs, adeo vt illis non manifestatis non sit manifestatum sufficienter peccatum, ratione scilicet æquivalentiæ qua æquivalet pluribus peccatis numero distinctis. Posteriores verò vult non esse confitendas, & hoc tribuit secundæ Sententiæ, atque has solas vocatas esse circumstantias aggravantes ab illis, qui tempore S. Thomæ & Scoti scripserunt. maximè autem adducit Alexandrum Alensem 4. *p. q.* 18. *memb.* 4. *a.* 3. In hanc Sententiam diu multumque conatus sum me resolvere; sed non potui invenire solidum fundamentum illius discriminis, sufficiens ad solvenda argumenta occurrentia, & ad tenendam doctrinæ consequentiam.

Quod attinet ad Alexandrum de Ales, non est hic Auctor pro P. Esparza; docet enim vnicè, illas circumstantias, quæ transferunt ad aliud genus peccati, hoc est, quæ mutant speciem, non debere vocari circumstantias, sed substantiam actûs, de alijs nihil habet; & ait vniversim, omnes circumstantias aggravantes esse confitendas non minùs quàm speciem mutantes.

1013. DICO 1. Non apparet clarum & solidum discrimen inter circumstantias tenentes se ex parte actûs, & tenentes se ex parte objecti. Ità cæteri Authores; & quidem Suarez & Arriaga in terminis monent, sine inconsequentia non posse obligationem confitendi affirmari de posterioribus, & negari de prioribus: hoc solum discrimen agnoscunt, quòd v. g. intensio actus non soleat ità facilè dignosci quandonam fuerit notabilis, & excedens communem peccandi modum; cæterùm si advertatur, ajunt esse omnino explicandam.

Probatur Conclusio. Si esset aliquod discrimen, quare circumstantiæ pertinentes ad objectum actûs, potiùs pertineant ad substantiam actus, & ideo essent confitendæ præ cæteris, esset hoc, quia qui v. g. furatur mille, licèt non committat formaliter mille furta vnius floreni sufficientis ad peccatum mortale, committit tamen æquivalenter, hoc est, committit peccatum æquivalens mille furtis vnius floreni, & ideo licèt non debeat nec possit cum veritate dicere: commisi mille furta vnius floreni, potest tamen ac debet dicere: commisi furtum mille florenorum. atqui hæc ratio tota etiam procedit de circumstantijs primi generis, hoc est tenentibus se ex parte actûs: ergo vtrobique est par ratio. Minorem probo per singulos circumstantias. & imprimis clarissimè de circumstantia durationis: nam singulorum instantium duratio æquivalet actui mortaliter peccaminoso, & sufficit secundùm se ad peccatum mortale. Secundò ostenditur in circumstantia intensionis; & quidem si gradus sunt homogenei, clarum est quemvis gradum secundùm se sufficere ad mortale, adeoque actum intensum vt quatuor æquivalere quatuor actibus. Si verò sint heterogenei, non propterea minuitur æquivalentia, cùm secundus sit primo perfectior, & si seorsim poneretur, vtique ad mortale sufficeret. Tertiò ostenditur in circumstantia advertentiæ majoris quàm sit illa quæ requiritur & sufficit ad mortale: nam & illa æquivalet pluribus advertentijs, quarum singulæ sine reliquis sufficerent ad mortale.

Alia ratio discriminis assignatur ab alijs, & est hæc. Duratio, Intensio, & major prænotio, sunt prædicata indifferentia ex suo conceptu ad actum bonum & malum, & perinde augent actum bonum ac malum.

Sed contra. Quando dicis esse indifferentia ex suo conceptu, vel loqueris de conceptu specifico illorum prædicatorum, vel de conceptu

generico & abstrahente à respectu & conjunctione ad talem actum in specie. Si primum, doctrina non subsistit: nam duratio, intensio, & claritas actûs mali non potest inesse actui bono, vt patet. Si secundum, nihil est ad rem 1. quia secundùm suum conceptum genericum nec sunt bona nec mala: ergo vt sic considerata non augent malitiam & gravitatem peccati: quomodo ergo sunt circumstantiæ aggravantes? 2. Eodem modo procedit tota ratio de circumstantijs spectantibus ad objectum: v.g. accipere mille, prout abstrahit à conceptu specifico furti, est prædicatum indifferens ad actum bonum vel malum; si enim accipio mille per modum mutui, vel doni, vel depositi, est actus bonus. Item occidere mille homines, abstrahendo à conceptu specifico occisionis factæ privatâ aut publicâ auctoritate, est indifferens, vt conjungatur cum occisione honesta vel inhonesta. Item cognoscere plures fœminas, abstrahendo à conceptu specifico fornicationis vel adulterij vel conjugis, est prædicatum reperibile in actu honesto æquè ac inhonesto. Sepositâ ergo hac tertiâ & mediâ sententiâ,

1014. DICO 2. Probabilius est, non esse obligationem per se loquendo, explicandi circumstantias notabiliter aggravantes, antecedenter ad interrogationem Confessarij. Probatur Conclusio 1. ex Conc. Trident. sess. 14. c. 5. vbi cum dixisset circumstantias speciem mutantes esse confitendas, dixissetque, impium esse dicere, hanc obligationem esse observatu impossibilem, subjungit rationem: [constat enim, inquit, nihil aliud exigi, quàm vt ea peccata quis confiteatur, quorum meminerit: [atqui hoc facit, qui confitetur numerum & species: ergo præter hæc nil exigitur. vel sic: Concilium ait, constare quid à fidelibus exigatur: atqui non constat exigi confessionem circumstantium aggravantium (cùm hoc sit valde controversum) ergo non exigitur. vel sic. Nihil exigitur, nisi quod constat exigi, sed non constat exigi confitendas esse circumstantias aggravantes: ergo non exigitur earum confessio.

Card. de Lugo putat posse eludi vim hujus argumenti, dicendo, per verba illa, *Nihil aliud*: non excludi circumstantias aggravantes, sed peccata quæ memoriæ non occurrunt: atqui circumstantiæ aggravantes occurrunt memoriæ, & sine illis non satis integrè explicatur peccatum.

Sed vrgeri potest optimè ex can. 7. vbi quasi repetitur doctrina capitis 5. ibi ergo dicitur anathema neganti, *necessarium esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habetur, & NB. circumstantias, quæ peccati speciem mutant.* Ecce! priùs loquitur canon de peccatis spectatis quoad substantiam, & vt formaliter distinctis à circumstantijs; & ne quis putaret hoc sufficere, addit doctrinam dogmaticam de circumstantijs, & solas illas exprimit, quæ speciem mutant: quæ additio esset inepta, si jam omnia ea, quæ ad confessionem sufficiunt, comprehendisset illis verbis *omnia peccata quæ memoriæ occurrunt.* ergo etiam capite 5. quando dixit, *nihil aliud requiri quàm confessionem omnium peccatorum &c.* alluit ad præcedentia verba de circumstantijs speciem mutantibus, quasi diceret, nihil aliud requiri, quàm confessionem omnium peccatorum quoad substantiam, & circumstantias speciem mutantes: ergo aggravantes ab obligatione exclusit. Sanè si caput 5. cum canone septimo attentè conferatur, apparebit vis argumenti.

1015. Confirmatur 1. Alioquin Concilium modo deceptorio locutum fuisset. Si enim Concilium absolutè de circumstantijs tacuisset, cenſeri posset quoad circumstantias nihil voluisse definire, sed scholis examinandum relinquere. At verò postquam Concilium expressè mentionem facere voluit circumstantiarum, & expressit vnicum genus circumstantiarum, scilicet, speciem mutantium, & de his solis dixit esse obligationem confitendi, præbuit antam rationabilem inferendi, non exigi confessionem circumstantiarū aggravantium, id quod optimo exemplo declarat Lugo. Si enim diceret Concilium, esse obligationem confitendi peccata, quæ consumantur enormiùs, inferremus non esse obligationem confitendi merè interna. Addo ego aliud simile: si dixisset Concilium, esse obligationem confitendi peccata certa, & nihil adderet de dubijs, sine hæsitatione concluderemus, non esse obligationem confitendi dubia.

Confirmatur 2. Et maximè ad hominem contra P. Esparza, qui quando ageba de attritione, an debeat esse ex motivo charitatis, partem negativam probavit ex verbis Tridentini, exprimentis solam turpitudinem peccati, & metum inferni, & nullam mentionem facientis motivi charitatis, addiditque regulam generalem his verbis, [Licèt non habeat Concilium adjunctam expressè particulam exclusivam alterius motivi, ex *sola* consideratione turpitudinis, ex *solo* metu, &c. Perinde tamen accipiendum est, ac si ea particula expressè adjuncta fuisset: quia NB. dum aliud non exigitur, sufficienter excluditur necessitas cujusvis alterius, & quia in materia doctrinali ac dogmatica particularis æquivalet vniversali, vt fert axioma meritò apud omnes receptum, aliàs enim vacillarent pleræque definitiones dogmaticæ, siquidem plerumque traduntur absque ejusmodi particulis exclusivis.] Hæc ille: quæ procedunt in casu nostro: & sensus illius axiomatis est, quòd quando Concilium aliquid requirit in particulari, perinde sit ac si diceret: *Et hoc est totum, quod requiritur.* Nisi aliunde evidenter contrarium constet, aut se declaret Concilium, quòd de alijs nihil velit statuere. Hoc sibi vult etiam Regula vulgatissima Juris, quam deducunt DD. ex can. 4. dist. 25. *Inclusio vnius est alterius exclusio & vicissim.* Alij aliter efferunt & dicunt. In dogmaticis, quando affirmatur vnum esse necessarium,

sarium, & aliud tacetur, de quo etiam dubitari potest, de hoc negatur.

1016. Probatur Conclusio. 2. Adversarij non possunt tradere vllam probabilem regulam, & in praxi observabilem cognoscendi circumstantiam notabiliter aggravantem: sed sine hac regula sententia illorum est pernitiosa potiùs, quam vtilis, ergo, &c. Major probatur, & imprimis nullus adversariorum amplectitur regulam supra indicatam, quasi illa sit pars notabiliter aggravans, quæ secundùm se sufficeret ad mortale propter inconvenientia ibid. indicata. Itaque Suarez & post eum alij assignant in genere hanc regulam: quando scilicet illa gravitas excedit notabiliter ordinarium modum operandi tali modo circa talia objecta. v. g. Si supponamus vnum florenum esse materiam gravem furti sufficientem & requisitam ad mortale, tunc non tenebitur fur explicare circumstantiam aggravantem, si duos florenos furatus est, quia, inquiunt, duo floreni non excedunt ordinarium modum furandi, vtpote qui habet aliquam latitudinem, si tamen acciperet quinque florenos, tunc putat Arriaga esse sufficientem agravationem, quæ explicari debeat, & à fortiori, inquit, si acciperet quinque cum dimidio, quia licet ille Medius non aggravaret notabiliter, aggravat tamen simul cum alijs respectu vnius floreni, quem supponimus esse materiam supra quam cadit aggravatio.

Sed contra. Si ille medius florenus etiam explicandus est: ergo si fur vel vnum teruntium vlterius acciperet, deberet etiam explicare, quod nemo alius dicit, sequela patet, quia vnà cum reliquis etiam aggravat.

Ideo Suarez & alij aliter discurrunt, & dicunt, modum ordinarium furandi habere quandam latitudinem, intra quam non datur circumstantia aggravans explicanda, sed Confessarius potest illam totam præsumere; sint, exempli gratiâ, tres floreni: sed si hos notabiliter fur excedat, tunc esse circumstantiam explicandam; adeóque sicut florenus est materia gravis & notabilis, ità si vltra tres florenos adderet vnum, excessus esset notabilis, & hunc deberet explicare, & sic deinceps.

Sed contra hoc bene vrget Dicastillo, quia falsum est, quod supponitur, dari aliquem terminum assignabilem furti ordinarij; nam fures furantur datâ occasione plus & minus, sine certo morali termino, & sanè in materia detractionis non capio ullam assignationem certi gradûs famæ, qui communiter soleat lædi & non vltra. Præterea quæri potest, quomodo debuerint confiteri primi fures alicujus provinciæ, qui nihil sciverunt de communi consuetudine furandi?

1017. Probatur Conclusio 3. Si Circumstantiæ aggravantes essent explicandæ, tunc etiam essent explicandæ alleviantes, v. g. quando peccatum fit ex summo metu, ex motu vehementis iræ provenientis ex justo dolore, quando fit alterius dolo, aut vehementi tentatione: consequens est contra praxin: ergo &c.

Ad hanc probationem diversimodè respondent adversarij. Scotus, Canus & Arriaga concedunt sequelam. contra quos rectè ostendit Lugo, sequelam esse absurdam, & contra sensum fidelium: quis enim dicat, maritum qui occidit ex summo dolore alium deprehensum cum vxore in adulterio, non rectè explicare suum peccatum, si præcisè dicat: feci injustum homicidium? quis talem obligabit ad denuò confitendum?

Alij ergo, quos sequitur Suarez, negant sequelam; & quidem Suarez varias dat disparitates, quibus vtcumque satisfit plurium argumento, quo paritatem vrgent. Sed non satisfit argumento Lugonis, quod etiam placuit P. Dicastillo. Sicut enim non licet in confessione minuere aliquid ex materia quæ est necessaria ad integritatem confessionis (qualis per adversarios est circumstantia aggravans) ità non licet opponere aliquid pro materia absolutionis, quod non est materia idonea: atqui hoc faceret, qui circumstantiam alleviantem non exprimeret: ergo &c. Major est certa. Minor declaratur. nam tacendo illam circumstantiam, apponerem illam gravitatem quam peccatum defacto non habet, sed haberet si talis circumstantia non adfuisset: sicut tu ais, tacendo circumstantiam aggravantem, non exprimi omne id quod est materia necessaria confessionis.

DICES. Qui confitetur homicidium præscindit ab illis circumstantijs: ergo satis exprimit suum peccatum, & dat materiam idoneam, modò in alterutro membro verificetur. R. Pari modo & nos dicimus. Qui confiterur: *furatus sum magnam summam*: præscindit à floreno & mille: ergo satis exprimit suum peccatum, & dat materiam necessariam confessionis, quæ inest huic furto, in quocunque membro verificetur.

Solvuntur Objectiones.

1018. OBjiciunt 1. Si Circumstantiæ aggravantes non essent confitendæ, tunc qui furatus esset mille vno furto, satisfaceret dicendo: furatus sum florenum. quia reliquam summam, vtpote solùm aggravantem, non tenetur dicere, & præterea furtum mille floren: est etiam furtum vnius; adeóque talis confiteretur verè suum peccatum, & non aliud non commissum. R. Hæc formalitas: esse furtum mille florenorum: non est circumstantia aggravans respectu hujus formalitatis, esse furtum vnius floreni tantùm. sed respectu hujus: esse furtum vnius floreni, cum præcisione an vnius tantùm vel plurium, quia cum priore formalitate non potest conjungi, cùm excludatur formalissimè, sed cum posteriore. Porrò qui diceret: *furatus sum vnum florenum* spectato communi modo loquendi, non significat conceptum præcisivum, sed limitativum & restrictivum; & ideo in rigore talis non esset confessus suum peccatum, quod non fuit furtum vnius tantùm

tùm floreni: & sic negatur sequela: deberet ergo vti terminis significantibus furtum vt præscindens ab vno vel pluribus: v.g. furatus sum summam gravem. quæ verba sunt apta excitare in Confessario desiderium sciendi, quanta fuerit ea summa: hoc enim necessarium est, vt Confessarius possit interrogare, siquidem judicet opus esse, ad cognoscendam sufficientem dispositionem pœnitentis, eúmque debito modo instruendum de facienda restitutione; ad quam interrogationem habet Confessarius jus, & pœnitens tenetur tunc respondere, non quòd illa explicatio sit materia necessaria ad valorem Sacramenti vt benè notavit P. Dicastillo, sed quia alioquin vellet impedire institutionem sibi pro salute animæ necessariam, & sic de novo peccaret, vel certè non haberet propositum sufficiens. Quodsi pœnitens esset homo tam doctus, vt prudenter judicare posset, se non habere opus vllâ institutione, & esset paratus ad omnia præstanda, quæ possent à Confessario dictari, non teneretur respondere, sicut econtra si Confessarius hoc posset de pœnitente præsumere, non teneretur interrogare.

1019. Objic. 2. Tridentinum *sess.* 14. *c.* 5. colligit, circumstantias speciem mutantes & numerum peccatorum esse exprimendum, ex eo quòd Sacerdotes hoc judicium incognitâ causâ exercere non possint, neque æquitatem in pœnis imponendis servare, si in genere duntaxat, & non potiùs in specie ac figillatim sua ipsi peccata declarâssent: atqui hæc ratio probat etiam de circumstantijs aggravantibus: ergo & hæ sunt confitendæ. Minor probatur: quia hujusmodi circumstantiæ requirunt etiam impositionem gravioris pœnæ, & diversum judicium in Confessario de statu pœnitentis.

Respondetur. Si ratio Concilij evidenter eodem modo procederet de aggravantibus ac speciem mutantibus circumstantijs, Concilium negligenter egisset prætermittendo species aggravantes, exprimendo speciem mutantes. Respondetur ergo absolutè, Confessarium non esse obligatum ad formandum perfectissimum & metaphysicè exactum judicium de gravitate peccatorum, nec etiam ad imponendam pœnam mathematicè æqualem, vt omnes fatentur: ergo nec requiritur à pœnitente exactissima declaratio omnis gravitatis vndecunque provenientis. Cujus vlterior ratio est manifesta, quia vt ibidem Tridentinum declarat, hoc Sacramentum ità institutum est, vt non esset carnificina Conscientiæ, & tamen requiritur examen valde diligens in omnem speciem & numerum peccatorum, hoc enim à potiori non est moraliter impossibile, nec admodum difficile homini habenti seriam curam animæ suæ. at verò exigere examen in omnes circumstantias aggravantes singulorum peccatorum, in homine præsertim habente multa peccata, esset res intolerabilis molestiæ, non solùm in illis qui litteras ignorant, nec adnotare possunt quæ in examine deprehendunt, adeoque post examen facillimè iterum obliviscerentur plurium, & esset res infiniti laboris examinare tales in confessione de singulis circumstantijs aggravantibus, tenentibus se tum ex parte actûs tum ex parte objecti, non inquam solùm in illis illiteratis, sed etiam in litteratis: & manifesta praxis reclamat: quare sicut de his non requiritur examen conscientiæ, ità nec earum confessio, & consequenter licèt pro his non imponatur pœnitentia commensurata, adhuc tamen explicatis speciebus & numero peccatorum, potest servari sufficiens æquitas in impositione pœnitentiæ tam satisfactoriæ quàm medicinalis. At verò si quis tantùm in genere confiteretur dicendo: *Peccavi*: tunc non haberet Confessarius vllum fundamentum imponendi diversas pœnitentias, sed posset & deberet imponere eandem omnibus, hoc autem infallibiliter traheret secum inæqualitatem summam. vel enim imponeret illam, quæ correspondet minimo mortali, & tunc qui essent gravissimi peccatores sine vlla proportione punirentur: si illam quæ gravissimis peccatis debetur, intolerabiliter gravarentur leviores peccatores. Medicinalis pœnitentia nullum locum haberet, vbi species peccatorum non cognoscerentur. Et in hoc consistit æquitas hujus Sacramenti.

1020. Objicitur 3. Vnum furtum decem aureorum, continet totam malitiam & gravitatem quam continent decem furta, singula vnius aurei: ergo si in hoc casu est explicandus numerus, in priore casu erit explicanda gravitas. Quomodo hoc argumentum retorquendum sit, jam suprà dictum. R. Negando paritatem. Non enim numerus est exprimendus præcisè propter gravitatè, sed quia alioqui si tantùm in confuso diceret: *blasphemavi aliquoties*, sciens me decies blasphemâsse, non confiteret omnia & singula peccata cum ea certitudine, cum qua existunt in conscientia.

1021. Objiciuntur 4. Varij Canones, quibus videtur declarari hujusmodi obligatio. Ad illos optimè respondet Vasquez & Dicastillo, illis nimium probatum iri, quia aliqui loquuntur de circumstantijs quæ ne quidem inducunt necessitatem peccati, saltèm non mortalis, vt si maritus cognovit conjugem gravidam, aut tempore festivo, &c. R. Ergo, olim quidem fuisse in vsu hujusmodi circumstantiæ aperirentur, & etiam pœnitentiæ imponerentur, non quòd hoc esset de necessitate Sacramenti, sed quia tunc fervebat Charitas Dei & humilitas.

Objici solet vltimò. Ergo qui vno impetu occideret decem homines, satisfaceret dicendo: *Occidi*, non explicando numerum. De hac difficultate dictum est in tract. de Peccatis, quòd pertinet. Eam hoc loco tractat admodum accurate P. Antonius à Spiritu S. *disp.* 7. *sect.* 1. In quo non habet magnam vtilitatem quidquid dicamus in hoc puncto, in quo est mira dicendi varietas apud DD. Multi enim dicunt, illum numerum occisorum esse circumstantiam aggravantem, alij non-

gra-

gant. Mihi certum est, quòd pœnitens non satisfaceret dicendo: *occidi.* quia deciperet Confessarium, qui non nisi vnius hominis necem supponeret, quia hic est communis modus significandi per illam vocem. Quodsi ergo dicat, se plures occidisse vno impetu, nemo Confessariorum est, qui non agnoscat obligationem interrogandi numerum. Disparitas autem cum furto est, quòd numerus occisorum non ità coalescat in vnum, sicut plures quantitates pecuniæ eidem domino ablatæ. Sed de hoc videatur citatus Author, & P. Andreas Mendo *dissert. 2. q. vn.* & apud hos alij citati, quorum infinitas replicas non vacat huc referre, ob exiguam hujus quæstionis vtilitatem, vt dixi.

CAPVT IX.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA VNICA.

An collatio Ordinis sit etiam immediata collatio Iurisdictionis.

1022. CErtum est 1. Solos Sacerdotes esse Ministros idoneos ad absolvendum, vt habetur in Trid. *sess.* 14. *c.* 6. & ideo non posset nunc tolerari sententia Magistri *in 4. dist.* 17. *a.* 3. cui quidem videtur accessisse S. Thomas *q.* 3. *a.* 3. *quæst.* 2. his verbis. [Sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ità & Pœnitentia. Baptismus autem habet duplicem Ministrum, vnum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem, alium cui ratione necessitatis dispensatio baptismi committitur, & ità etiam Minister pœnitentiæ, cui confessio facienda ex officio est Sacerdos, sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, vt ei confessio fieri possit.] Objici possent quædam verba Cypriani *l.* 3. *ep.* 17. [Si quis, inquit, oppressus infirmitate non potuerit exspectare adventum Sacerdotis, reconcilietur per Diaconum, factâ priùs confessione.] Verùm Cyprianus loquitur de quadam reconciliatione externâ seu in foro externo, quæ tunc erat in vsu, & fieri poterat per Diaconum.

Certum est 2. Sacerdotem in ordinatione sua accipere potestatem quandam saltèm incompletam, & omninò requisitam ad absolvendum Sacramentaliter, quæ potestatis collatio significatur per verba, *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

Certum 3. Jurisdictionem absolutam & expeditam ad absolvendum, aliquo modo distingui à potestate Ordinis, tanquam totum à parte. Nam potestas Ordinis potest existere sine potestate Jurisdictionis, sed non econtra. Omnes enim Sacerdotes habent potestatem Ordinis, non tamen hoc ipso habent Jurisdictionem expeditam in omnes Christianos, & omnia peccata eorum: debent enim aliqui priùs approbari ab Ordinario, vel consequi Officium, cui sit connexa ordinaria Jurisdictio, cæteris verò debet Jurisdictio delegari. Imò in aliquo sensu potest dari potestas Jurisdictionis sine potestate Ordinis, non quidem Jurisdictio absolvendi per se, sed per alium à se delegatum, vt si quis eligitur in Episcopum, vel consequitur beneficium curatum, & necdum habet ordinem Presbyterij.

1023. Controversia est, an quando confertur potestas Ordinis, etiam conferatur potestas Jurisdictionis, saltèm inchoata vel conditionalis. In qua sunt tres Opiniones, quarum priores duæ non differunt nisi in modo loquendi, tertia verò differt reipsâ.

Prima ergo Sententia docet, conferri etiam tunc Jurisdictionem, sed cum quadam indeterminatione subditorum & causarum, hoc est, nullos determinando subditos & peccata, & ideo non potest illa Jurisdictio exire in actum, nisi priùs designentur certi subditi, aut peccata. id quod Vasquez conatur explicare exemplo quorundam Tribunalium. Itaque Pontifex vel Episcopi postmodum designando certa genera peccatorum, alijs reservatis, item designando certos homines, faciunt, vt Jurisdictio in Ordinatione accepta possit exercere actum Jurisdictionis.

Secunda Sententia differt à prima præcisè, quòd hanc designationem & determinationem velit vocandam esse veram collationem Jurisdictionis, & sic ait Jurisdictionem differre à Potestate Ordinis, quæ aliud non est quàm capacitas Jurisdictionis.

Tertia est P. Arriaga & Esparza: per Ordinationem conferri immediatè Jurisdictionem in omnes omnino homines, & omnia peccata, sed sub conditione, non quidem sub conditione designationis; sic enim coincideret cum prima Sententia, sed sub conditione hac: nisi à Pontifice

Pontifice vel alijs superioribus certæ personæ extrahantur, & eximantur à Iurisdictione vniversali, quod idem de certis peccatis dicendum est. Vnde sequitur, quòd si nullæ fierent exemptiones, vi Ordinis omnes haberent æqualem Iurisdictionem, & possent quoslibet à quibusvis peccatis absolvere; cùm tamen in prima Sententia neminem possent sinè designatione; quæ est vtiq; realis differentia.

Pro tertia Sententia videtur primò stare sensus verborum formæ, qua traditur potestas Ordinis: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis*, &c. quæ verba significare videntur ejusmodi potestatem completam, & vniversalem, quia Christus illis verbis contulit Apostolis talem potestatem, & significavit: verba autem Sacramentalia tantum operantur quantum significant: ergo eundem significant effectum, sive à Christo, sive ab ejus Ministro legitimo proferantur.

Deinde omnes Sacerdotes habent ejusmodi potestatem in Venialia peccata, & mortalia semel confessa: non autem habent ex speciali concessione Pontificis, aut Inferiorum, cum de nulla constet: ergo habent ex vi Ordinis, non impediti exceptione aut limitatione contraria.

Contra hanc tamen Sententiam maximè facit communis, & recepta divisio Iurisdictionis, in Ordinariam & Delegatam: in hac autem Sententia non videtur vnquam dari Iurisdictio delegata propriè. Nam Iurisdictio delegata est illa, quæ legitimè confertur ab habente Ordinariam, & non convenit ratione Officij; atqui nullus Sacerdos haberet hoc modo delegatam Iurisdictionem, quia nulli conferretur ab habente ordinariam, sed tantùm non limitaretur illa, quam vi ordinationis accepit vniversalem & ordinariam.

Quodsi dicas, ideo tales habere Iurisdictionem delegatam, quia illa vniversalis quam acceperunt limitabilem in Ordine, fuit ab Ecclesia priùs limitata, vt non posset exerceri, nisi in Venialia & Mortalia jam confessa, deinde verò hanc limitationem, quasi iterum laxari ad certas personas, & peccata. Contra est 1. quia sic fieret per ambages & circuitum, quod fieri posset rectâ viâ & brevissimè, scilicet vt nullam Iurisdictionem vi Ordinis habenti, sed solam capacitatem conferatur Iurisdictio, sic vel sic limitata. Certè negari non potest, hunc modum magis esse juxta communem hominum conceptum. Contra est 2. Quia sic nemo præter Pontificem haberet Iurisdictionem ordinariam, quia omnes habent jurisdictionem aliquo modo limitatam. Contra est 3. Quia, vt advertit P. Dicastillo, hic modus explicandi inducit modum loquendi nimis improprium: v.g. quando Princeps aliquis est excommunicatus, habet vinculum suæ Iurisdictionis, quando deinde absolvitur ab excommunicatione, non rectè diceretur illi conferri Iurisdictio: ergo solvi impedimentum non est conferri Iurisdictionem.

1024. Omnibus consideratis magis propendeo in tertiam Sententiam, quæ vt melius intelligatur, declaro illam exemplo nisi fallor idoneo. Magistratus Academicus Ingolstadiensis habet Iurisdictionem vniversalem, & ordinariam in Studiosos, non solùm in Civilibus, sed etiam Criminalibus, hac tamen cum limitatione, quòd certas causas graviores possit Serenissimus Elector, si videbitur, ad suum Tribunal avocare, quæ Avocatio aliud planè non est, quàm quod est peccatorum Reservatio pro sacro Pœnitentiæ Tribunali. Porrò illa avocatio ità ligat & impedit Iurisdictionem Academicam, vt tamen negatio avocationis non possit vllo modo vocari collatio Iurisdictionis: est enim tantummodo non impeditio Iurisdictionis jam priùs convenientis ratione Officij. Ità se res habet in nostro casu. Omnis Sacerdos vi ordinationis accipit Iurisdictionem vniversalem, sed cum hac limitatione necessariò subintelligenda (sine qua esset pernitiosissima collatio vniversalis Iurisdictionis omnibus sine discrimine Sacerdotibus) nisi à magistratu superiore certæ causæ avocentur. Porrò phrasis Theologorum est, quòd in quocunque casu Sacerdos non possit absolvere, talis casus sit illi reservatus, in quo sensu quærunt; an peccata venialia, vel mortalia confessa possint reservari, cùm defacto omnes Sacerdotes possint ab illis absolvere? Si ergo omnis impotentia Sacerdotis ad absolvendum provenit à reservatione seu avocatione, & omnis avocatio præsupponit Iurisdictionem talem, vt si non fieret avocatio, hoc ipso posset exerceri, consequens est, omnem Sacerdotem accipere Iurisdictionem immediatè per Ordinationem.

1025. Objicies. Absurdum planè est dicere, quòd ab illo, cui à suprema potestate concessa est vniversalis Iurisdictio, avocentur deinde ab inferiore Magistratu omnes ferè causæ, paucissimis relictis, ijsque solummodo, quæ ità sunt Iurisdictionis voluntariæ, vt reus non teneatur subire judicium: atqui hoc fieret in casu nostro. Christus enim contulisset Iurisdictionem vniversalem, cum potestate facta Ecclesiæ aliquas causas avocandi: Ecclesia autem avocaret omnes causas, exceptis peccatis venialibus & mortalibus jam confessis. R. Imò Ecclesia non avocat ad se vllam causam, hoc est, vllam personam, nec vllum peccatum reservat pro illis circumstantijs, pro quibus per se & præcisè ex institutione Sacramenti est hoc Sacramentum sub præcepto. Omnes enim Sacerdotes habent Iurisdictionem absolutam & expeditam in omnes personas, & peccatum pro articulo mortis, saltèm quando non adest proprius pastor, imò ex multorum probabili Sententia, quam fusè propugnat P. Dicastillo, etiam præsente parocho. ità expressit Tridentinum *sess. 14. c. 7.* his verbis: [Piè admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei constitutum semper fuit, vt nulla sit, NB. reservatio in articulo mortis; atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris

suris absolvere possint.] Ecce! ex sola non avocatione, seu non reservatione, infert Concilium Iurisdictionem absolvendi vniversalem: ergo supponitur hæc priùs collata: ergo vel immediatè à Christo, per Ordinationem, vel ab homine. si illud: habetur intentum. si secundum, deberent adversarij adferre aliquem textum ex quo talis collatio colligeretur, sicut econtra colligitur reservatio ex cap. Omnis vtriusque sexus de Pœnit. & remissionib. quod etiam est caput 21. Concilij Lateran. sub Innoc. III. & est relatum in Tridentino *sess.* 14. *c.* 5. *in fine.* [Omnis vtriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltèm semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam proprijs viribus studeat adimplere, &c. Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de caussa sua confiteri peccata, licentiam priùs postulet, & obtineat à proprio Sacerdote, cùm aliter, NB. ipse illum non possit absolvere, vel ligare.]

Ad argumentum suprà contra hanc Sententiam factum, facilis est responsio, non intervenire inutiles circuitus & ambages, sed necessarias ad rectè gubernandam Ecclesiam, & adhuc salvari propriè dictam Iurisdictionem delegatam, sicut esset Iurisdictio propriè delegata, si Princeps caussam ad se avocatam committeret jùdicandam vni ex Academicis Consiliarijs, quia committeret ei vices suas, vt suo nomine, (& non ex Officio cui de Iure sit annexa Iurisdictio, quæ dicitur ordinaria) judicaret caussam, alioquin à se judicandam vi avocationis: ità etiam faceret Episcopus constituendo aliquem Religiosum Pœnitentiarium in sua Cathedrali Ecclesia. Vnde non est ad rem exemplum allatum à P. Dicastillo, vt consideranti patet.

CAPVT X.

DE SIGILLO CONFESSIONIS.

CONTROVERSIA I.

Quo Iure sit hoc Sigillum introductum in toto suo rigore.

1026. SIgillum hoc esse rigidissimum, & pro omni casu humanâ auctoritate indispensabile, sine consensu pœnitentis, ac præterea etiam se extendere ad alios quàm Confessarium, nempe qui vel audiunt confessionem, vel à Confessario ex consensu pœnitentis consuluntur, vel interpretes agunt, adeoque esse longè vniversalius quàm sit Secretum naturale, quo quis ab altero obligatur, certum est ex perpetuo fidelium Sensu. Vnde ab illo rigore non eximit quantumvis magnum Reipublicæ detrimentum imminens ex observatione Sigilli, sicut eximit à Secreto naturali. Neque hoc debet videri grave Reipublicæ: non enim habuit Respublica jus ad confessionis institutionem: quodsi ergo non fuisset institutum hoc Sacramentum, Respublica incurreret illud ipsum damnum quod incurrit ex observatione sigilli. Porrò hoc sigillum non est solùm primariò institutum in bonum privatum pœnitentis, sed etiam in bonum publicum, quia erat vel necessarium vel certè valdè expediens ad bene gubernandos mores totius Christianitatis, qui sine tali sigillo nonaccederent cum ea confidentia ad hoc Sacramentum. Vnde non habet locum Regula, quòd bonum publicum sit præferendum privato, sicut habet locum in Secreto naturali.

1027. Quæstio est, an, suppositâ institutione hujus Sacramenti, resultet obligatio sigilli cum toto suo rigore ex ipso Jure naturæ, vel ex Jure positivo divino, vel ex vtroque.

Prima Sententia docet, dari hanc obligationem sigilli cum toto suo rigore ex solo jure naturæ, secluso etiam vlteriore præcepto divino. Ità Gaspar Hurtadus, Dicastillo, & Lugo, immeritò pro se citans Henriquez, qui apertè stat pro contraria sententia.

Secunda Sententia est, totum rigorem hujus sigilli compleri per præceptum divinum positivum, adeóque non esse adæquatè Iuris naturæ. Ità cæteri DD. communiter. Card. Pallavicinus non videtur reipsâ ab hac sententia differre, licèt spectato loquendi modo videatur aliquid singulare velle, his verbis. [Et quidem probabile est, hanc obligationem ex natura sua esse annexam præcepto confessionis, sed non adeo evidenter, quin opus fuerit, vt Christus eam promulgaret, quæ promulgatio habetur ex traditione Ecclesiæ.]

Censeo secundam sententiam esse veram. nam obligatio merè naturalis tam rigida, non ostenditur sufficienter ab auctoribus primæ Sententiæ, posséque semper verisimiliter responderi, si non accederet præceptum Christi; & mihi vix credibile est, quòd si solùm præceptum naturale

esset, hactenus nullus Theologus inventus fuisset, qui non ausus esset hanc obligationem naturalem pro aliquo valde extraordinario casu negare.

Probatur ergo prima Sententia vnicè. quia si in vllo casu liceret revelare peccatum ex confessione cognitum, redderetur hoc Sacramentum nimis exosum, nec homines ampliùs ità securè accederent, & sic cederet illa licentia in grave præjudicium, adeòque in irreverentiam hujus Sacramenti. Hæc tamen ratio non omnino convincit. Nam licèt hoc Sacramentum sit dignum, vt homines cum illa confidentia accedant, cum qua defacto accedunt, hinc tamen non licet inferre, quòd omne illud debeat esse sub gravi obligatione, quod requiritur ad tam confidentialem accessum; præsertim si loquamur de illis peccatis, quæ quis non tenetur confiteri: item si advertamus ad illud privilegium, quod habet hoc Sacramentum, quòd quando est periculum revelationis, possit quis indirectè absolvi ab illo peccato cujus revelationem timet. Sanè negari non potest, quòd adhuc maximum beneficium esset, posse confiteri venialia cum emolumento maximo, etiamsi liceret Confessario in casu gravi revelare peccatum veniale: nam licèt tunc non daretur tam confidentialis accessus, necdum tamen est probatum, quòd iste confidentialis accessus sit necessariò connexus cum institutione hujus Sacramenti: imò contrarium videtur dicendum, quòd aliter institui potuisset.

CONTROVERSIA II.

An, & quomodo liceat Confessario vti notitiâ confessionis.

1028. GRavis est controversia, an Confessarius possit vti notitiâ hausta ex confessione ad quasdam actiones vel omissiones ex se alioquin licitas, & quæ possent fieri hîc & nunc absque notitia talis peccati hausta ex confessione: v. g. an Superior possit subditum amovere ab officio aliquo, vel mittere ad alium locum. fingunt alij alios casus planè metaphysicos, vt, si sciret Confessarius ex confessione, & sine licentia vtendi hac notitia data à pœnitente, sibi esse paratum venenum in potu, an possit abstinere à potu.

Prima sententia affirmat. Tribuitur D. Thomæ *quodlib. 5. a. 13. & in 4. dist. 21. q. 3. a. 1.* & in supplemento *q. 11. a. 1. ad. 3.* Secunda Sententia negat. Varijs vtraque limitationibus vtitur, quibus omnibus consideratis fortè non vsque adeo differunt, vt differre videntur.

1029. Dicendum 1. Inspecto jure positivo Ecclesiastico, certum est, talem vsum non licere Superioribus Religionum in ordine ad gubernationem suorum subditorum. Extat enim Constitutio Clementis VIII. edita anno 1594. sic loquens. [Tam Superiores pro tempore existentes, quàm Confessarij, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur.]

1030. Dicendum 2. Notitiâ Confessionis licet vti ad illas actiones, quas pudor & verecundia non solet hominibus reddere ingratas, etiamsi suspicentur fieri dependenter à confessione audita, modò per illas nec directè nec indirectè revelatur peccatum: v. g. licet pœnitentem singulari affectu prosequi, familiatiùs & confidentiùs cum illo agere: in quibus ipsis tamen actionibus cautè procedendum est, quia fieri posset, vt licèt ceteroquin essent actiones gratæ, in his tamen circumstantijs non sine rubore pœnitenti molestè exhiberentur. Itaque omnis ille vsus hujus notitiæ est licitus, quem si sciant pœnitentes esse licitum, non propterea quidquam absterrentur à Confessione, quia vident, in illis actionibus non contineri nec directè nec indirectè vllum periculum revelationis peccati, nullam exprobrationem ejusdem. Ità Lugo, Palao, Pallav. & alij. Hinc ob notitiam confessionis possum moveri ad hæc dendum, consulendum sine manifestatione personæ, possum vitare illas occasiones in quibus pœnitens lapsus est: potest Superior emendare suum rigorem, si ex confessione intelligat, inde nasci multas querelas & murmurationes. Imò addit Castro Palao, posse Confessarium vti notitia ad examinandum complicem, ità tamen vt non intelligat, vnde moveatur ad tale examen. Rationem à priori bene assignat Pallavicinus *c. 7. n. 327.* debet nimirum obligatio sigilli ità esse instituta, vt non sit nimis onerosa Confessarijs (seu vtilitate pœnitentium) ne alioquin eos à Ministerio deterreat: ideo non prohibentur generici loqui de ijs quæ audierunt in Confessione, dummodo in singulis casibus nullum sit morale periculum manifestationis.

Dices. Ex hac ipsa licentia jam oritur periculum alicujus manifestationis in genere; nempe si arbitrio Confessarij committitur, judicare in hîc & nunc nullum sit periculum, sæpè fiet vt Confessarij imprudenter judicent, & sic jam redderet confessio odiosa. R. Esse quidem aliquod remotum periculum hujusmodi incommodorum, sed illud esse leve malum, si comparetur cum illo, quod afferret præceptum adeo rigidum, non vtendi notitiâ confessionis in casibus & modis recensitis; vnde fit, vt neminem absterreat à Confessione.

1031. DICO 3. Ille vsus confessionis, est illicitus, cujus licentia redderet confessionem difficiliorem, quàm sit si ponatur non licere. Sit declariùs. Ille vsus notitiæ est illicitus, Jure divino ex institutione hujus Sacramenti, cujus prohibitio servit ad facilitandam confessionem. Ita Lugo, Dicastillo, Esparza, Arriaga alij. Ratio est eadem quæ vrget pro sigillo, & inde deducitur hæc Conclusio. Voluit nimirum Christus hoc Sacramentum sic instituere, & omnibus illis obligationibus

obligationibus munire, vt, quantùm in se erat, tolleret omnem difficultatem, quæ oritur ex verecundia vel damno incurrendo, & quæ non est intrinseca Confessioni. vt proinde in ordine ad commodum & incommodum pœnitentis, non aliter se habeat notitia Confessarij, quàm si non sciret. Hinc

1032. Resolvitur 1. quid agere liceat Confessario, si ex confessione cognoscit imminere sibi grave periculum, quod posset subterfugere vtendo notitiâ confessionis. R. Si fuga vel alius actus talis esset, qui nec directè nec indirectè revelaret confessum, peccatum nec redderet aliunde exosam confessionem, liceret: secùs, non liceret, quidquid dicat Conink, volens licere fugere, etiamsi alij inde colligerent, se à Petro in Confessione proditos esse, quem bene refutat Lugo: qui etiam rectè addit, casum non esse moralem, sed metaphysicum; & à tot sæculis non esse auditum, quòd contigisset, vt opus fuerit tali vsu sine licentia pœnitentis, qui licentiam libenter dabit, vel si dare nollet, non huic sed alteri confessus esset, vel habuisset justam caussam tacendi peccatum, quia est moraliter certum periculum, fore vt Confessarius illâ notitiâ vtatur, qui vsus si sit gravis pœnitenti, habet sufficientem caussam tacendi pro tunc peccatum, vt fatentur Pallavicin. & Esparza. vel denique posset Confessarius prudenter colligere, talem nequam non animo confitendi dixisse, sed animo obligandi Confessarium ad non fugiendum &c. & tunc non obligaret sigillum.

Neque videtur alia mens esse P. Adami Tanneri *to. 4. disp. 6. q. 9. dub. 6. n. 140.* quidquid autem sit de illius mente, illud non debeo dissimulare, Dianam *parte 5. tr. 11. Resol. 3.* in fine, mirari, quòd Tannerus docuerit licitum vsum notitiæ Confessionis in casu posito, contra Decretum quod condidit noster P. Generalis Claudius Aquaviva, prohibens doceri à nostris, aut practicari Sententiam asserentem, justis de caussis licere nonnunquam Confessario, cùm id fieri potest sine vlla revelatæ confessionis suspicione vti extra Confessionem notitiâ per confessionem habitâ. Hanc Dianæ admirationem approbat P. Dicastillo *n. 140.* in fine. Sed vterque admirationem facilè deposuisset, si legisset sequens folium P. Tanneri, qui §. *Quâ ratione* mentionem facit hujus ipsius Decreti, vbi notat, prædictum Generalem fuisse super hoc decreto ex Germania consultum, & respondisse, mentem sibi ac propositum fuisse, vsum NB. ejus notitiæ duntaxat prohibere in ijs, quæ pertinent ad regimen & gubernationem superiorum. in cæteris verò casibus qui incident (adeoque etiam in secretis suffragijs, v. g. si ex confessione constaret aliquem esse indignum aut incapacem alicujus beneficij aut officij) cùm statuendum nihil, ità se gerere vnumquemque debere, vti conscientiæ suæ ex Doctorum sententijs consultiùs forè cognoverit. Denique etiam Castro Palao ad longum refert verba Decreti illius, nihilominus sententiam Tanneri tenet.

Pro Sententia P. Conink paulò antè relata objici potest: quia in tali casu videtur fore lex moraliter inobservabilis, consideratâ humanâ fragilitate. R. Multas alias leges exstare, quæ etiam obligant in casu difficillimo, & moraliter impracticabili, sed rarissimo, eò quòd si talis casus exceptus esset, inde per consequentiam sequeretur maximum præjudicium contra finem legis, & sic ejus vtilitas elideretur. Exempla sunt obvia. obligatio non mentiendi, non dicendi hæresin externam, non occidendi directè innocentem, exponendi se periculo vitæ ad liberandum eum, quem injustè in tale periculum conjecisti, hæ inquam & plures similes, nullam admittunt exceptionem, ne quidem pro casu quo similes actiones essent necessariæ ad conservandam propriam vitam. imò reperiuntur etiam hujusmodi leges humanæ, vt lex non contrahendi cum persona conjuncta in certo gradu; non celebrandi sine vestibus sacris, non in fermentato, &c.

1033. Resolvitur 2. Non licere vti notitiâ confessionis, ad neganda Sacramenta indigno, vel habenti impedimentum ex confessione notum: vnde si talis petat denuntiari à Parocho, nec Parochus habeat licentiam aperiendi impedimentum, eò quòd deberet loqui de peccato audito, debet denuntiare, & assistere Matrimonio quantumvis invalido; alioquin jam redderetur odiosa confessio. vt post alios docet P. Aversa de Matrim. *q. 7. §. Quodsi parochus.*

Resolvitur 3. Posse Confessarium in secunda confessione loqui de peccatis auditis in priori confessione, in quantum hoc conducit ad dirigendum pœnitentem. Iam enim iterum agit Vicarium Christi, & vt talis scit peccata præterita, & statum pœnitentis inde dependentem. Certè in hac licentia fundat se illa praxis & consilium quod datur pœnitentibus, vt constanter vni confiteantur. Extendit hoc Lugo cum Henriquez, vt etiam possit statim post datam absolutionem adhuc aliquid monere occasione peccatorum confessorum, quia censetur adhuc moraliter durare illud judicium, quidquid contradicat Fagundez & Diana.

Resolvitur 4. Contra Suarez, Filliucium, & Nunnum, quòd si pœnitens neget confessario petitam licentiam loquendi de peccatis auditis, non possit de illis loqui, alioquin hæc petitio licentiæ esset mera cæremonia & vrbanitas, & hac ratione redderetur exosa confessio, non minùs, imò magis, quàm si fuisset, non petitâ licentiâ, locutus.

CONTROVERSIA III.

Vtrum ratione Sigilli defendi possit licentia manifestandi Complicem in confessione, si peccatum aliter explicari non possit.

1034. DUbitatur, an, quando species peccati non potest explicari, quin Confessario innotescat persona complicis, possit subticeri talis circumstantia peccati, propter famam proximi, vel an liceat, imò an tenearis Complicem manifestare. v.g. commisisti incestum cum Sorore aut Matre, & Confessarius novit tuam sororem & matrem, quæritur, an satis sit dicere: commisi incestum: ità tamen vt specialitas incestûs in alia confessione manifestetur alteri confessario, cui non sit nota persona complex. In praxi certum est, vtrúmque fieri posse; cùm vtráque opposita Sententia sit saltem extrinsecè probabilis. Nunc autem rem speculativè examinamus.

Prima Sententia docet, posse ac debere Complicem reticeri. Ratio est, quia ob incommodum grave proximi potest peccatum reticeri: jam verò, infamari etiam apud vnum est grave incommodum, & proximus habet jus ad suam famam: ergo possum: & quia possùm, debeo ex Iust tia parcere ipsius famæ. Ità non pauci apud Dianam & Dicastillo, quibus accedit Arriaga.

Secunda docet, licere tunc manifestare complicem atque debere. Ità quadraginta nominati AA. celebres relati à P. Dicastillo, quibus & ipse accedit: item Amicus, Castro Palao, & quod magnum veritatis argumentum est, in ea conveniunt Suarez & Vasquez. est etiam S. Thomæ in terminis *in 4. dist. 16. q. 3. a. 2. quæst. 5. ad 5.* est denique S. Bernardi, qui eam indubitanter supponit in formula honestæ vitæ, his verbis. [De nullo prorsus siniſtrè loquaris, quantumcúnque sit verum, vel manifestum, nisi in Confessione, & hoc vbi non potes aliter manifestare peccatum tuum.]

1035. Huic Sententiæ libenter assentior, tùm quia est tantorum virorum, tum quia cohæret cum regulis quas tradam in tr. de Iust. circa Detractionem & Occisionem indirectam innocentis in certis casibus licitam; quæ in præsenti casu multò magis locum habent, vbi damnum infamationis plurimùm minuitur obligatione sigilli, quo complex non minùs gaudet quàm pœnitens.

Omissis variis probationibus, quarum inefficaciam ostendit Arriaga & Dicastillo, melior probatio est quâ vtitur Amicus, Palao, Dicastillo, & etiam insinuat Lugo, Suarez, Vasquez, scilicet, quòd alter complex habeat quidem jus ad suam famam, sed non cum tanto meo incommodo, quod subirem, si non liceret mihi totam speciem peccati explicare, adeóque non potest esse rationabiliter invitus, quòd innotescat delictum Confessario sine periculo vlterioris damni, & in tam arcano judicio, quando hoc est necessarium, vt ego possim integrè meum peccatum confiteri, directam ejus absolutionem consequi, & onere iterum confitendi liberari, competentem accipere instructionem & correctionem, &c. propter quæ bona Christus hoc Sacramentum instituit, & integram confessionem præcepit, eámque imposito sigillo facilitavit, illísque bonis posthabuit ipsius pœnitentis famam, eum obligando, vt cum sui infamatione illa bona procuret. Ergo pariter & à fortiori censendus est Christus licentiam dedisse, propter hæ ipsa bona consequenda infamandi complicem, quando aliter non possumus illa consequi; nam minor causa sufficit, vt liceat infamare proximum (cæteris paribus) quam sufficiat, vt obliger ego ad me ipsum infamandum. Hæc est tota substantia probationis, prout ab aliis proponitur; cujus fundamenta partim tradidi in tract. de Charitate, quæ proinde hic non repeto, partim tradam loco indicato de Iure & Iustit. tract. 1.

1036. DICO nunc vlteriùs. In tali casu non solùm licitum est, sed etiam tenemur manifestare complicem. Ità plerique ex Authoribus secundæ Sententiæ. Et hic habes, lector, exemplum clarissimum contra doctrinam Clarissimi viri Prosperi Fagnani de Opinione probabili, quam retuli & impugnavi in lib. 2. Habes, inquam, exemplum, quo homo constituitur in tali circumstantia, vt necessitetur ad sequendam Sententiam probabilem, & non possit habere certitudinem, quam ille auctor semper requirit. Nam probabile est, te teneri manifestare complicem, & insuper probabile est, te teneri ad tacendum, & tamen vtrumque declinare non potes, & quin aliquatenus exponas periculo materialis erroris, sicut potes declinare in alijs casibus, vt, si probabile est licere sumere duodecim vncias pro collatione, & est probabile non licere, & est tamen certum te non errare aut peccare si abstineas ab illis. Probatur autem Conclusio. Quandocumque concurrunt duorum præceptorum materiæ incompossibiles, tunc cessante obligatione vnius præcepti, & non interveniente aliunde alià causâ excusante ab observatione alterius præcepti, obligat alterum præceptum: v.g. teneor hodie audire Missam, quia est dies festus: teneor non dare occasionem scandali proximo, si sine meo incommodo præponderante possim cavere: si exeam è domo, scandalizabitur Petrus mei aspectu: prævalet tamen commodum Missæ; tunc non tantùm licet adire Missam, sed teneor adire, nisi accedat alia ratio excusans, v.g. morbus, aut jactura rei domesticæ: tunc enim excusor, non ex cessatione legis oppositæ de scandalo cavendo, sed quia lex humana præcipiens Missam non obligat cum tali incommodo meo.

Sic se res habet in casu nostro: concurrunt materiæ duorum præceptorum, negatio scilicet infamationis proximi, & integritas materialis confessionis, præceptum non infamandi cessat, vt pro-

vt probatum est conclusione præcedente: ergo secundum præceptum obligat, nisi interveniat alia caussa excusans, qualis esset v.g. periculum evulgationis, &c.

Quodsi illud peccatum jam aliàs essem confessus, & vellem modò confiteri generaliter, tunc quidem non tenerer manifestare complicem, quia non teneor in confessione generali omnia dicere quæ jam semel confessus sum, licitè tamen manifestarem, vt patet ex prima Conclusione, & benè resolvit Dicastillo.

CAPVT XI.

DE SATISFACTIONE SACRAMENTALI.

CONTROVERSIA I.

An opus formaliter satisfactorium debeat esse pœnale, formaliter liberum, & in gratia factum.

1037. DICO 1. Opus satisfactorium debet esse pœnale. Ità cum D. Th. communis contra Vasq. Probatur ex Trid. loco cit. Ratio est, quia satisfactio est vindicatio delicti commissi, & ordinatur ad correctionem tum ipsius satisfacientis, tum aliorum vt absterreantur, ac denique succedit in locum pœnæ à Deo infligendæ. An autem omne opus meritorium ratione suæ victoriæ quam includit omnis actus virtutis, sit hoc ipso pœnalis, & requirat arduitatem, dictum est lib. 2. tr. de Merit.

1038. DICO 2. Opus satisfactionis à nobis sponte susceptum, debet provenire ab exercitio libero & meritorio. Probatur. Debet enim esse tale, per quod homo placeat Deo, & dignus fiat cujus opus acceptetur loco pœnæ alioquin infligendæ. debet etiam opus externum dignificari ad hoc, vt habeat vim satisfaciendi satisfactione contradistinctâ ab illa quæ inest (ex communiore sententia contra Arriagam d. 22. à n. 19.) actui formaliter meritorio: dignificatur autem & qualificatur ex eo quod procedat ab actu meritorio. Sanè omnes judicamus, eum qui dormit humi, præcisè quia non habet lectum, non satisfacere Deo per talem mortificationem.

1039. DICO 3. Pœnalitas externa auget Satisfactionem quò est major, etiamsi nullum novum exercitium liberum accedat, vel tunc influat, quidquid sit an augeat rationem meriti, de quo dictum est tr. de Merito. Conclusio est communis contra Suarez d. 48. s. 8. n. 16. & 18. Probatur. Quia Satisfactio se habet per modum solutionis, in qua consideratur non solùm affectus (vt in merito) sed ipsa exterior executio.

Accedit communis fidelium sensus, vtique in ratione allata fundatus: solemus enim nos affligere jejunijs, disciplinis, cilicijs, in eum finem, vt transactâ actione relinquatur adhuc dolor independenter ab actuali libero voluntatis exercitio immediatè influente; & per talem dolorem censemus satisfieri copiosiùs, quàm si talis dolor non sequeretur.

Hinc si quis det famulo pecunias distribuendas pauperibus, vt satisfaciat pœnitentiæ injunctæ, tunc primùm consequetur fructum satisfactionis, quando actu dabitur eleemosyna, licèt tunc ipse dormiat: quia tunc ponitur alienatio pecuniæ, quæ est realiter, & objectivè pœnalis.

Objicies. Ex hoc sequi videtur, adhuc satisfieri per opus pœnale, quando illud inceptum est in gratia, & continuatur superveniente peccato, quia adhuc verum est dicere, quòd procedat ab actu meritorio originaliter, & non requiritur eum de præsenti existere. R. Magnorum DD. Sententiam esse, quòd Pœnitentia non solùm possit impleri in statu peccati mortalis, quantùm satis est, vt pœnitens liberetur ab obligatione imposita per Sacerdotis claves, verùm etiam illam pœnitentiam liberare pœnitentem ab aliqua parte pœnæ; cujus ratio est, quòd sit opus pœnale injunctum à Iudice, vt tali: Alij dicunt, habere primùm suum effectum remoto obice, quos refert & sequitur Lugo.

Vtrum autem sit peccatum saltèm veniale, perficere pœnitentiam in statu peccati mortalis, negant plures, quos refert & sequitur P. Antonius à Spiritu sancto. probabilis tamen est Sententia Alensis & Barbosæ apud eundem, esse peccatum saltèm veniale, quia est aliqua irreverentia erga Sacramentum, impedire quominus statim consequatur suum effectum satisfactionis.

CONTROVERSIA II.

An sit obligatio imponendi Pœnitentiam, eámque acceptandi.

1040. TRes potissimùm casus sunt, in quibus non est necesse imponere Pœnitentiam. Primus, quando pœnitens jam est sensibus destitutus. Quodsi adhuc sibi præsens est, imponenda erit levis, & citò præstabilis, v.g. invocatio nominis JESV, vel tunsio pectoris: gravior verò, si eam promeruit, imponenda sub conditione: si convaluerit.

Secundus casus est, quando Confessarius ex circumstantijs intelligit, pœnitentem integrè satisfeciisse, quod tamen vix unquam constabit.

Tertius. Si lucrandæ sunt indulgentiæ plenariæ, saltèm moraliter certæ: quamvis & tunc expediat levem saltem imponi. imò, vt advertit P. Esparza, nec tunc omittendæ sunt pœnitentiæ medicinales, si alioquin censentur necessariæ.

Quando imponenda est pœnitentia levis, tunc non erit culpa gravis, si non imponatur, sicut nec ipse pœnitens graviter peccat eam non implendo. Rationem reddit Pallavicinus; quia non est talis pars Sacramenti, sine qua Sacramentum sit deforme. Imò Bonifacius VIII., vt refert glossa in Extrav. *Antiquorum de pœnit. & remiss.* reprehendit Confessarios, qui anno Iubilæi imponebant alias pœnitentias. ergo non curavit pro tunc defectum hujus partis integralis.

1041. Quæritur 1. an Pœnitentia imponenda sit per modum Præcepti, vel possit imponi per modum Consilij, ità vt liberum sit pœnitenti implere vel non implere. hoc posterius affirmat Suarez, Tanner, Fillivejus, & alij plures.

Dicendum tamen est, semper pœnitentiam debere esse aliquatenus sub Præcepto. Ità communiter RR. Probatur ex Tridentino, quod expressè definit impositionem Pœnitentiæ procedere ex potestate ligandi. vnde sic argumentor. Sacerdos tenetur per se loquendo imponere pœnitentiam, vt Sacramentum habeat suam integritatem: atqui impositio hæc procedit ex potestate ligandi: potestas autem ligandi non exercetur dando Consilium, sed obligando & præcipiendo, sicut & Iustitia Vindicativa: ergo debet pœnitentia imponi præceptivè.

Respondet Suarez & Diana, ligari pœnitentem conditionatè, si velit consequi fructum ex opere operato. Verùm hoc bene rejicit Arriaga: ridiculum sanè est dicere, reum ligari carcere, si Iudex illi dicat; Si vis manere in carcere, tractabo te lautè: si tamen vis abire, potes. Hinc apparet, crassum fuisse quorundam errorem, existimantium, per illa verba, quæ Confessarius absolutioni subjungit: Passio Domini, &c. omnia opera hominis elevari in partem pœnitentiæ pro satisfactione. Sunt enim verba deprecatoria, & non præceptiva.

Dixi in Conclusione: *Aliquatenus*. Nam certum est, aliquo modo posse pœnitenti pœnitentiam esse liberam. v.g. si illi injungantur duæ opera sub disjunctione, vt electio sit libera pœnitenti.

1042. Quæritur 2. An hoc præcepto obligetur pœnitens ad acceptandam pœnitentiam rationabiliter impositam, vel an sit illi liberum acceptare, & consequenter absque novo piaculo non persolvere, acceptâ nihilominus absolutione. Scotus, Gabriel, Navarrus, Medina, dixerunt, non teneri pœnitentem ad acceptandum, sed ejus arbitrio relinqui vel satisfaciendi in hac vita, vel differendi in alteram vitam, ibique satisfaciendi.

Contrarium tamen certum est, quod Vasquez putat esse de fide. Ratio est, quia Pœnitentia imponitur à Iudice, reus autem tenetur obedire Iudici præcipienti. Vnde non est paritas cum legibus civilibus, quas ideo subditi non tenentur acceptare, quia legislator accepit suam potestatem à populo, & quidem cum illa restrictione.

Objiciunt. Nemo tenetur vti privilegio: atqui est privilegium posse pro satispassione magna substituere modicam satisfactionem. R. Negando, quòd sit merum privilegium, cùm includat præceptum, & imperium Iudicis vindicantis delicta, & ferentis sententiam absolutoriam quidem, sed insuper etiam obligatoriam, & quidem in eum qui se tali Iudici subjecit: adeoque non est liber, vt consequatur absolutionem sine obligatione. Dum enim se subijcit potestati absolvendi, subijcit se etiam potestati ligandi, cùm vtraque competat Sacerdoti: ergo si Sacerdos non vult vnam exercere sine altera, sed vtramque, jam hoc ipso reus est vtrique subjectus.

1043. Quæritur 3. An liceat pœnitentiam implere per alium. R. cum distinctione. Sunt enim aliquæ operationes quæ factæ nomine nostro, adhuc dicuntur esse operationes, nostræ, vt si quis meo nomine contrahat, vel ex meo det eleemosynam, & hujusmodi, non est dubium posse præstari per alium. Aliæ actiones non sunt nisi illius à quo procedunt, vt jejunare, orare, audire Missam, &c. de quibus negandum est posse per alium fieri, quia Tridentinum dicit, partes Sacramenti esse actus pœnitentis, & intentio Confessarij est, vt in propria persona fiant, nisi expressè procurationem hujusmodi operum imponat.

Quæritur 4. Si tibi injungatur pro pœnitentia, vt jejunes tribus proximis diebus Veneris, & tu obliviscaris tali die, an sis liber à jejunio. R. Negativè, quia sicut dicitur de præcepto sumendi Eucharistiam in Paschate, Confessarius primariò intendit triplex jejunium, & tantùm secundariò designavit diem Veneris.

Quæritur 5. An pœnitens differendo in longum tempus pœnitentiam, possit peccare mortaliter. R. 1. Si Confessarius nullum tempus designavit, dilatio non erit facilè peccatum mortale, si non sit excessiva & nimia. R. 2. Si tempus determinavit, tunc si variaretur gra-

ter contra Confessarij intentionem, esset grave peccatum: vt si præcepisset singulis mensibus confiteri, tunc si integro mense intermitteres, graviter contravenires præcepto Confessarij. Si verò præciperet, vt intra mensem iterum confitearis, dilatio alteriúsve diei vltra mensem, non esset gravis.

CONTROVERSIA III.

Quis posit mutare Pœnitentiam.

1044. DIcendum est contra Portell, Villalobos, & Dianam, non posse pœnitentem ipsum mutare pœnitentiam, ne quidem in opus aliud evidenter melius. Probatur. Satisfactio est debita ex præcepto: quando autem aliquid debetur ex præcepto, non est in potestate obligati mutare in id quod est, & judicat ipse esse evidenter melius: v. g. esset evidenter melius dare eleemosynam 100. aureorum, quàm recitare vno die Horas Canonicas, nec tamen licet comutare hanc obligationem in illud opus. Ratio à priori est, quia licèt sæpè in casu particulari legislator esset optimè contentus, si interrogaretur, vt hoc pro illo substitueretur, vniversalis tamen licentia commutandi ad arbitrium subditi, nec expedit, nec legislator in illam consentire censetur, propter periculum certum frequentissimi abusús hujus licentiæ.

Objiciunt. Potest vovens mutare votum in aliud melius. ergo & pœnitentiam. Negatur paritas. nam periculum abusús in commutanda re præcepta, provenit originaliter ex eo, quòd præcepti & legis obligatio, vtpote proveniens ab alio, sæpè sit nobis ingrata, & juxta naturalem propensionem nitamur in vetitum, & sæpè non assequamur quis sit finis præcepti, aut legis: inde fieret, vt non nisi cum maximo præjudicio finis legis posset esse potestas vniversalis pro libitu subditorum commutare obligationes legis & præcepti, & cessaret maxima ex parte, si non omnino, subordinatio, conformitas, & reverentia erga Magistratus. At verò obligatio voti est omnino voluntaria, & primò grata: non sumus autem, perse loquendo, propensi ad mutandam voluntariam obligationem in aliam evidenter meliorem.

1045. Dicendum 2. Alium Confessarium posse pœnitentiam ab alio injunctam commutare, si peccata saltèm graviora denuò audiat; tunc enim causam ab alio judicatam denuò judicat, succedens priori Iudici in eodem tribunali; sicut secundus Episcopus potest moderari vel mutare pœnam ab antecessore impositam. Quo casu pœnitentia à secundo confessario imposita, non evadit pars integralis prioris Sacramenti, quia non est impletio prioris præcepti. Neque est absurdum prius Sacramentum hoc modo reddi incompletum, quia non deest tunc aliquod complementum requisitum: nam pro illis peccatis satisfit per pœnitentiam in secundo judicio impositam. Quodsi (prout fieri convenit) Secundus Iudex aliquid prioris pœnitentiæ retineat, tunc potest illa pars esse complementum vtriúsque Sacramenti, sicut eadem aqua duplicis baptismi.

Loquendo denique de eodem Confessario, probabile est, quod asserit Lugo, posse eum mutare pœnitentiam etiam post quodvis longum tempus, modò adhuc saltèm confusè recordetur peccatorum, etiamsi non fiat nova confessio. Nam sicut ipsa executio pœnitentiæ, quantumvis serò facta, est complementum & pars Sacramenti, & cum prioribus moraliter conjungitur, ità & illa mutatio pœnitentiæ ab eodem Iudice facta.

1046. Pro Coronide quæres, an Satisfactio Sacramentalis exhibita post absolutionem, causet aliquem gradum Gratiæ sanctificantis vltra illam, quam causavit Sacramentum per partes suas essentiales, nempe quando fuit finita forma absolutionis. S. Thomas planè id fieri supponit, nec potest commodè in alium sensum trahi *q. 90. a. 2. ad 2.* eum sequuntur Cajetanus, Sotus, Suarez, & Turrianus, ac probabilem vocat Dicastillo. Contraria est valdè communis. Neutra habet convincens argumentum, & ideo negativa præfertur, quia non debet sine gravi fundamento affirmari talis vis causativa. Fundamentum affirmativæ opinionis est, quia Satisfactio est pars Sacramenti: ergo debet causare gratiam. R. esse tantùm partem integralem, quæ si præsupponat tempore positas partes essentiales, non debet novam gratiam superaddere, cujus instantiam afferunt aliqui in Extrema Vnctione. Sufficit ergo ad partem integralem, vt sit apta causare gratiam, quando præcedit vltimam partem essentialem. Et hæc de Pœnitentiæ Sacramento (prætermissis quæstionibus alijs, in quibus plus valet Legum auctoritas, & numerus asserentium, quàm differentium ratiocinatio) dicta sufficiant,

Ad Majorem DEI Gloriam.

INDEX